INSTITUTIONES

PHILOSOPHICÆ

IN SEMINARIO BAJOCENSI HABITÆ,

ANNO 1839-1840.

AUCTORE

A. NOGET-LACOUDRE,

CANONICO AD HONOREM ECCL. CATH. BAJ. SEMINARII SOMMERVIACENSI SUPERIORE IBIDEMQUE CURSUS PHILOSOPHIÆ MAJORIS PROFESSORE.

Mihi Christianus nomen est,
Catholicus cognomen.
S. PATIANUS.

TOMUS TERTIUS.

DE ETHICA GENERALI ET SPECIALI

EDITIO QUARTA.

PARISIIS,

APUD MEQUIGNON JUNIOREM,

LEROUX ET JOUBY SUCCESSORES,

FACULTATIS THEOLOGIÆ BIBLIOPOLAS,

Via Magnorum Augustinianorum 7.

INSTITUTIONES

PHILOSOPHICÆ.

TOMUS III.

PARISIIS. — EXCUDEBANT FIRMIN DIDOT FRATRES, VIA JACOB, 56.

INSTITUTIONES

PHILOSOPHICÆ

IN SEMINARIO BAJOCENSI HABITÆ,

ANNO 1839-1840.

AUCTORE

A. NOGET-LACOUDRE,

CANONICO AD HONOREM ECCL. CATH. BAJ. SEMINARII SOMMERVIACENSI SUPERIORE IRIDEMQUE CURSUS PHILOSOPHIÆ MAJORIS PROFESSORE.

Mihi Christianus nomen est,
Catholicus cognomen.
S. PATIANUS.

TOMUS TERTIUS.

DE ETHICA GENERALI ET SPECIALI.

EDITIO QUARTA.

PARISIIS,

APUD MÉQUIGNON JUNIOREM,

NUNC

J. LEROUX ET JOUBY SUCCESSORES,

FACULTATIS THEOLOGIÆ BIBLIOPOLAS,

Via Majorum Augustinianorum, 7.

1851.



A. M. D. G. I. M. I.

INSTITUTIONES

PHILOSOPHICÆ.

METAPHYSICÆ TERTIA PARS,

ETHICA.

Ethica *Est scientia quæ de moribus informandis disserit.* Ethicam nostram dividemus in quatuor partes. Pars prima, quam psychologicam vocamus, describit varios affectus sensibilitatis variasque activitatis operationes. Pars secunda theorica vocatur, tractatque de Ethicâ generali. Pars tertia est practica, agitque de Ethicâ speciali. Quartam demùm subjungemus partem historicam et criticam.

ETHICÆ

PARS PRIMA PSYCHOLOGICA.

Antequàm præcepta morum explanentur, plurima necessariò præire debent. Quùm enim Ethicæ finis sit ut voluntas humana discat appetitus regere, libidines coercere et omnes facultates humanæ mentis ad bonum vertere, antè omnia enumerandæ et investigandæ sunt illæ facultates, ideòque primo loco pars psychologica ponitur.

Jam diximus; nempè in Logicâ, tres esse præcipuas mentis humanæ facultates, scilicet intellectum, sensibilitatem et activitatem. Addidimus tres illas facultates ad quemlibet actum aut ad quamlibet affectionem concurrere. Intellectûs operationes exposuimus, in parte psychologicâ logicæ nostræ, nobis nunc agendum est de sensibilitate et activitate. Duo erunt capita.

CAPUT PRIMUM.

DE SENSIBILITATE.

Hoc caput dividemus in quatuor articulos, nempè primum de naturâ sensibilitatis : secundum de variorum sensibilitatis affectuum divisione et descriptione : tertium de modo quo sensibilitas evolvitur : quartum demùm de inordinatis affectibus sensibilitatis.

ARTICULUS PRIMUS.

DE NATURA SENSIBILITATIS.

§ I. Sensibilitatis definitio. — § II. Ejusdem characteres. — § III. Discrimen inter sensum et consensum. — § IV. Rationes disparitatis sensibilitatem inter et intellectum activitatemque.

§ I. *Sensibilitatis definitio.* Sensibilitatis naturam notam faciunt tum ejus definitio, tum ipsius characteres, tum ejus comparatio cum aliis facultatibus. Porrò sensibilitas nihil aliud est ac *Facultas sentiendi.*

Sed, ut mox dicemus, sensus duplicis præsertim sunt generis, alii transitorii sunt, ut sensatio caloris, podagræ, voluptatis, etc.; alii verò in nobis immanentes sunt, quales sunt diversæ propensiones quibus sponte inclinamur ad ea quibus natura nostra indiget. Porrò quandò dicitur sensibilitatem esse facultatem sentiendi, intelligitur hanc esse facultatem perferendi sensus non solùm transitorios, sed et immanentes. Quinimò sensibilitatis analysis psychologica de posterioribus præcipuè disserit. Sensibilitas ergò habenda est tanquàm facultas perferendi sensus quoscumque.

§ II. *Sensibilitatis characteres.* His characteribus gaudet sensibilitas.

1° Aliquandò sensibilitas est via adipiscendi cognitiones. Sic vidimus in Logicâ nos conscientiâ, sive sensu intimo, edoceri ea quæ intra mentem peraguntur; variis sensationibus nos pariter colorum, sonorum, etc., ideas acquirere. Sed et ferè semper sensibilitas ad agendum commovet; conamur enim injucunda avertere; jucunda verò comparare, ad id sensibilitate incitati.

2° Docent psychologi objectum sensibilitatis non esse

extra mentem positum, sed ab ipsâ sensatione non distingui. Sed illud non est de omni affectu sensibilitatis verum. Reverà agnoscendum est objectum sensationis non esse ab ipsâ sensatione distinctum : sic objectum sensûs jucundi est ipsa delectatio; ipse autem dolor est objectum sensûs injucundi. Sed præter sensationes aliosque sensus transitoríos, sensibilitas includit et alios affectus quorum objectum ab ipsis distinguitur. Sic quandò fame coacti alimenta appetimus, objectum hujusce appetitûs, id est cibus, ab ipsâ fame distinctus est. Sic quandò sensu benevolo in aliquem afficimur, hujus affectionis objectum, id est homo ille, ab ipsâ benevolâ affectione pariter distinctus est.

3° Sensibilitas est facultas diversa in singulis : alium juvat illa res; alium verò res diversa.

4° Sensibilitas non est libera, nisi indirectè; à nobis enim non pendet dolore non angi, sensu jucundo non delectari.

§ III. *Discrimen inter sensum et consensum.* In motibus affectibusque sensibilitatis distinguendus est ipse *sensus* à *consensu*. Sensus nempè est *Illa animi affectio quâ inclinamur ad appetendum aliquod bonum sensibile, aut ad avertendum aliquod malum sensibile, aut ipsa delectatio quâ fruimur, aut ipse dolor quo angimur.* Hujus generis affectiones ad sensibilitatem pertinent. Sed activitatis liberæ est huic affectioni parere aut adversùs eamdem reniti. *Quandò huic affectioni se libenter tradit activitas*, tunc adest consensus. Adest sensus tantùm, non consensus, quandò delectationem propellere, aut dolorem vincere nititur activitas. Hinc omnis delectatio ex se mala peccatum non est; quandò nempè sensui non adjungitur consensus.

§ IV. *Rationes disparitatis sensibilitatem inter et intellectum activitatemque.* Ex characteribus superiùs expositis nunc patet quâ ratione ab intellectu et activitate secernatur sensibilitas. Sic, excepto solummodò casu quo mens se ipsam agnoscit, intellectûs objectum est extra mentem positum; cognitio enim ab objecto cognito distinguitur; idea circuli, verbi gratiâ, non est rotunda. Præthereà non diversæ sunt, pro diversis singulorum intellectibus, veritates. Econtrà, ut suprà vidimus, objectum sensationis à sensatione non differt; diversæ sunt in singulis sensationes; non enim omnes eodem modo iisdem objectis afficiuntur. Insuper intellectus ad agendum movet suadendo rationesque agendi subministrando; sensibilitas autem ad actum cæco, si sola sit, impulsu incitat.

Activitas autem sæpè sæpiùs vult aut non vult liberè; dùm econtrà sensibilitas, in iis quæ sibi propria sunt, numquàm est libera, saltem directè.

ARTICULUS II.

DE DIVERSORUM AFFECTUUM SENSIBILITATIS DIVISIONE ET DESCRIPTIONE.

Nondùm reperi apud auctores qui de Psychologiâ tractant, affectuum sensibilitatis divisionem quæ mihi planè arriserit : multa inveni non clara satis. Obscuritas, meo quidem judicio, indè provenit quòd sensibilitas sit facultas admodùm complexa, cujus affectus varii nequeunt integrè dividi, nisi ipsa sub multiplici aspectu consideretur. Sequentem propono divisionem quâ non omne tolli punctum confido, licèt aliquam lucem ex eâ obtinendam esse existimem.

Itaque dividam affectus sensibilitatis, 1° relativè ad

eorum originem aut causam; 2° relativè ad eorum essentiam aut affectus; 3° relativè ad naturam quæ ab ipsis præcipuè afficitur, seu relativè ad eorum subjectum; 4° demùm relativè ad objectum. Harum distinctionum utilitas patebit, postquàm explicaverimus quid per singulas intelligamus. De his dicemus in totidem paragraphis.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

AFFECTUUM SENSIBILITATIS DIVISIO ET DESCRIPTIO, RELATIVÈ AD EORUM ORIGINEM AUT CAUSAM.

§ I. Affectus recepti aut transitorii. — § II. Affectus immanentes. — § III. Utriusque generis characteres.

§ I. *Affectus recepti aut transitorii.* Hi sunt *Affectus qui oriuntur ex aliquâ causâ transitoriâ quæ vel in organis corporeis, vel immediatè in ipsâ conscientiâ impressionem quamdam producit.* Sic odor, color, sapor et cæteræ sensationes quæ ex corporibus proveniunt, impressionem priùs producunt in organis corporeis. Sic econtrà sensus intimus modificationum mentis impressionem in conscientiâ immediatè producit. Affectus illi sedem habent in sensibilitate quæ relativè ad eos velut passivè se gerit. Non dico hanc esse etiam in iis omninò passivam; non enim existimo entia omninò passiva, utputà cadaver, aut stipitem, aut lapidem posse sensibilitate gaudere : sensibilitas adesse nequit nisi in iis subjectis in quibus vita est et proindè activitas. Sed illos affectus sensibilitas in se recipit, itaque dico hanc relativè ad eos sese velut passivè gerere. Ipsi, non secùs ac eorum causa, fugitivi sunt et transitorii. Hos itaque affectus dicam *receptos* aut *transitorios.*

Duo affectuum genera includit hæc classis, nempe *sensationes corporeas* et *sensus intimos conscientiæ*. Necesse non est ut moneamus sensationibus corporeis adjunctum esse sensum intimum, alioquin ipsarum conscientia non haberetur, et proindè reverà non adesset sensatio; sed impressio tantùm commovens organa. Sed si sensationi semper adjunctus est sensus aliquis intimus, agnoscendi sunt tamen sensus quidam intimi qui non videntur oriri ex sentationibus corporeis. Sic, quandò de aliquâ re cogito, sensus intimus hujus cogitationis ipsam conscientiam immediatè afficit. Duo igitur affectuum genera computanda sunt inter actus receptos.

§ II. *Affectus immanentes*. Hi sunt autem alii *Affectus qui proveniunt ex ipsâ animæ nostræ constitutione*. Ipsos e causâ extrinsecâ non recipimus, sed illos natura nobis plerumquè indidit. Isti affectus non sunt fugitivi; sed in nobis immanentes sunt. Sic amor nostrì et affectiones omnes, sive benevolæ, sive malevolæ, non sunt affectus fugitivi et transitorii, quales sunt sensationes; sed illi affectus sunt dispositiones menti nostræ inhærentes. Illi prætereà nos ad agendum inclinant, et ideò in vulgari sermone sæpè vocantur inclinationes. De his loquuntur psychologi sub nomine propensionum naturæ nostræ aut principiorum actionis (*tendances de notre nature*, *tendances primitives*, *principes d'action, ou mobiles de la volonté*). Affectus illos nos vocabimus *immanentes,* eò quòd fugitivi non sint, quemadmodùm affectus recepti. Affectuum immanentium enumerationem subjungendi dabitur inferiùs occasio.

Itaque relativè ad originem aut causam, affectus sensibilitatis divido in receptos et immanentes.

§ III. *Utriusque generis characteres*. Affectus quos vo-

cavi receptos, plerumquè sunt via adipiscendi cognitiones aliquas. Sic sensationibus, corporum proprietates, conscientiâ verò omnes modificationes mentis cognoscimus. Idcircò tum de sensationibus, sive perceptione externâ, tum de conscientiâ diximus in Logicâ, agendo de variis modis quibus intellectus apprehendit veritatem : nec dictis in Logicâ quidquam de his addi opus est. Affectus autem quos vocavi immanentes, potiùs inserviunt ut nos ad agendum incitent.

Affectuum receptorum objectum ab his ipsis affectibus non est distinctum : sic, verbi gratiâ, in sensatione saporis, ipso sapore afficior; idem est dicendum de cæteris sensationibus. Sequitur saporem, colorem, odorem, etc., sumptos pro sensatione, totos in mente, non in objectis corporeis sedem habere. Sed non sequitur corporibus non inesse proprietates quæ causam dant sensationibus quas experimur : corpora enim sunt sapida, odorata, colorata, etc., ità ut alio sensu dicatur inesse corporibus saporem, odorem, colorem. Porrò de hoc jam monueramus in Logicâ.

Affectuum verò immanentium objectum ab ipsis distinguitur. Sic benevola in aliquem affectio ab ipso homine qui diligitur distincta est, ut jam superiùs diximus.

Non igitur omninò verùm est objectum affectuum sensibilitatis ab ipsis affectibus distinctum non esse, ut docent plerumquè psychologi, qui ità loquuntur, eò quòd priùs clarè non posuerint distinctionem inter duo hæc affectuum genera quæ secernenda esse diximus. De utrisque tamen singulatim dicere non omittunt.

PARAGRAPHUS II.

AFFECTUUM SENSIBILITATIS DIVISIO ET DESCRIPTIO RELATIVÈ AD EORUM ESSENTIAM AUT EFFECTUS.

§ I. Distinguuntur sensus jucundi et injucundi. — § II. Sensus qui his comites eunt. — § III. Isti sensus sensibilitati essentiales sunt. — § IV. Possunt tamen leniri aut superari.

§ I. *Distinguuntur sensus jucundi et injucundi.* Duæ sunt proprietates quorumlibet affectuum sensibilitatis, relativè ad eorum essentiam aut effectus; et indè sub hoc respectu considerati in duo genera secernendi sunt. Scilicet omnes affectus quos experimur *jucundi* sunt vel *injucundi*. Non enim videtur admittendos esse sensus omninò indifferentes; sed potiùs dari aliquandò sensus adeò leves ut non animadvertamus quomodò his afficiamur. Sensus jucundus vocatur *voluptàs*, aut *delectatio*. Sensus injucundus vocatur *dolor*.

§ II. *Sensus qui his comites eunt.* Sensus jucundus lætitiam affert; tristitia autem sensum injucundum comitatur.

Amorem et odium pariunt isti sensus, scilicet amamus ea quibus delectamur, odimus autem ea quæ nobis molestiam afferunt.

Alii etiam affectus his sensibus conjunguntur; quidam nempè præcedunt, quidam verò comitantur, quidam demùm subsequuntur. Delectationem nondùm potitam optamus; præsente fruimur; ablatam dolemus. Econtrà à dolore nondùm præsente refugimus; quandò adest, angimur; à dolore vindicati, gaudemus.

§ III. *Isti sensus sensibilitati essentiales sunt.* Ab uno eodemque principio, nempè propriæ felicitatis amore,

originem ducunt omnes isti motus. Quâ enim ratione jucunda appetimus, injucunda verò avertere conamur, nisi eò quòd jucunda felicitati nostræ conferant, obsint autem injucunda? Ille autem propriæ felicitatis amor sic consideratus essentialis est sensibilitati : qui enim jucundis non delectaretur, non conflictaretur verò injucundis, ille profectò dicendus esset sensibilitatis expers. Fortis quidem magnique animi est voluptates doloresque pariter contemnere, quùm præsertim illi sensus superandi sunt ut officium aliquod impleatur : sed licèt nec doloribus, nec deliciis vincamur, non sequitur nos sensus illos non experiri. His exerceri ad naturam sensibilem attinet; ad activitatem autem illos animi virtute superare.

Verè malum est dolor, bonumque est voluptas, quanquàm id negaverunt Stoici : bonum dico aut malum naturæ nostræ; non verò bonum aut malum morale. Bonum enim physicum et bonum morale à se invicem differunt, ut fusiùs infrà exponetur. Aliquandò illa duo inter se pugnant, aliquandò autem conciliari queunt. Quemadmodùm verò non potest tolli bonum morale, ut sola voluptas bona dicatur cum Epicureis; ità nec tollendum est bonum physicum, ut cum Stoicis unum bonum morale prædicetur. Naturæ enim adversaretur qui negaret malum esse dolorem. Quùm ille stoicæ disciplinæ philosophus Possidonius, licèt doloribus podagræ cruciatus maximis, coram Pompeio tamen disputaret de hoc Stoicorum dogmate : *Nihil esse bonum, nisi quod honestum esset*, ferunt illum, quùm inter disserendum quasi faces doloris ei admoverentur, sæpè dixisse : *Nihil agis, dolor; nunquàm te esse confitebor malum.* Sed nonne voces illæ sæpiùs interjectæ falsi arguebant ipsum dogma quod ratiociniis adstruere satagebat? Natura, argumentis superior, invicta dictis refragabatur.

§ IV. *Possunt tamen sensus doloris aut voluptatis leniri aut superari.* Quamvis sensus illi ex naturâ suâ pungant aut delectent, hi tamen pluribus causis leniuntur. Hos mitigat attentionis diversio, auget autem ipsorum attenta consideratio. Illud testatur experientia. Sic, quandò aliquis sensus acrior nos commovet, remissioris obliviscimur. Sic etiam dolentem animam levat dulce cum amicis colloquium, aut labor modicus, aut quælibet occupatio quæ mentem alibi fixam detinet. Refert Th. Reid se novisse virum quemdam qui, inter acerrimos podagræ cruciatus, solitus erat latrunculis ludere, sicque vividos doloris morsus illum persæpè imminuisse.

Consuetudine etiam mitescunt illi sensus. Sic vir frequentibus fortiterque toleratis doloribus exercitatus, iis ità induratur ut consuetudo videatur quasi callum quoddam obduxisse dolori. Sic etiam voluptatum aciem retundit usus, ità ut illi qui inter delicias vitam consumunt, novis semper stimulis voluptatis sensum acuere indigeant. Ne tamen credas voluptatibus indulgendum esse, quò frequentiâ faciliùs hebescat illarum sensus ardensque desiderium illisque demùm valedicatur. Nam, licèt voluptas aliqua consuetudine sui fastidium generet, intereà tamen crescit in dies vesanus libidinum ardor animique debilitas, adeò ut non ab omni, sed à tali voluptate fastidientes, non à deliciis avertantur, sed sopitos sensus novis exquisitisque undequaquè incitamentis exsuscitare omni operâ studeant.

PARAGRAPHUS III.

AFFECTUUM SENSIBILITATIS DIVISIO ET DESCRIPTIO, RELATIVÈ AD NATURAM QUÆ AB IPSIS PRÆCIPUÈ AFFICITUR, SEU RELATIVÈ AD EORUM SUBJECTUM.

§ I. Sensibilitas physica et moralis. — * § II. An sensationes visûs et auditûs ad sensibilitatem physicam pertineant? — § III. Contra eos qui sensibilitatem moralem negant.

§ I. *Sensibilitas physica et moralis.* Sensus quos experimur, vel naturam corpoream, vel animam præcipuè afficiunt. Hinc affectus distribuuntur in affectus *physicos* et affectus *morales*, sensibilitasque pariter in *physicam* et *moralem* dividitur. Fatemur quidem omnes sensus afficere conscientiam, et proindè animam ipsam. Fatemur insuper sæpissimè animæ condolere corpus. Attamen plurimi sunt sensus qui in ipsum corpus sedem habere videntur. Sic dolor podagræ ad corpus refertur, amicitia verò ad animam. Quomodò autem sensibilitatem physicam à sensibilitate morali secernemus? Mihi videtur dicendum esse *Omnes affectus quorum causa physica est et in corpus proximè agit*, ad sensibilitatem physicam pertinere : *Affectus* econtrà *quorum causa moralis est aut qui mentem proximè afficiunt*, pertinere ad sensibilitatem moralem. Omnes igitur sensationes includit sensibilitas physica; moralis autem sensibilitas odium et amorem et quæ his affinia sunt continet.

* § II. *An sensationes visûs et auditûs ad sensibilitatem physicam pertineant.* Negant scoticæ scholæ philosophi sensationes quæ oculis et auribus accipiuntur, ad sensibilitatem physicam referri. Namque, inquiunt, sensationes quas ex aliis sensibus tactu, gustu, odoratu acci-

pimus, sedem habere videntur in organis propriis : prout organa illa afficiuntur, dolemus aut recreamur. Contrà verò sensationes visùs et auditûs his quidem organis accipiuntur, sed in iis sensibus illæ sedem habere non judicamus : visis coloribus aut auditis sonis ideò delectamur quòd inter colores aut inter sonos æquam relationem ope intellectûs percipimus. Hinc artes pictoria musicaque intelligentiam supponunt, ipsæque inter liberales disciplinas computantur. Undè Scotici oculos auresque vocant *sensus intellectuales*, sensationesque ex visu et auditu haustas sensibilitati morali tribuunt.

* Nos autem, quamvis agnoscamus non abesse verum quùm visûs et auditûs sensationes extolluntur supra illas quæ aliis sensibus accipiuntur, attamen existimamus illas ad sensibilitatem physicam præcipuè attinere. Sensationes enim illæ proximè corpus afficiunt. Quod adeò verum est, ut jucunditas ex coloribus aut sonis accepta pendeat proximè ab organorum dispositione. Sic ægros oculos vividiores colores molestè afficiunt; pariter et auribus dolentibus graves sunt musici concentus. Prætereà rudes et ignari regularum musices, modulatis tamen numerosisque sonis delectantur, imò et iis permulcentur belluarum aures. Utrique tamen dici nequeunt relationes sonorum mente intelligere. Minùs igitur ad intellectum quàm ad sensibilitatem attinent illi sensus. Quùm verò musicæ studiosus aliquis miratur quàm peritè compositi fuerint soni, moduli, numeri, et ex arte conspectâ delectatur, tunc is intellectuali delectatione capitur, eò quòd illa præcipuè trahatur ex intellectu.

§ III. *Contra eos qui sensibilitatem moralem negant.* Non desunt scriptores qui nullam sensibilitatem moralem fateantur. Ii nihil agnoscunt præter voluptatem vias-

que assequendæ voluptatis. Ipsis virtutes nullum pulchritudinis moralis sensum secum afferre videntur. Mercatoris probitas ipsis nihil aliud est ac fidei publicæ sibi conciliandæ via : avaritiæ econtrà vitium, nihil præter nimiam curam comparandi quibus posteà voluptatibus fruantur. De hâc opinione inferiùs agetur. Hic animadvertere satis erit hanc opinionem naturæ veritatique adversari. Experientia quotidiana testatur quòd, post bonum quoddam opus peractum, sensu jucundo qui à corpore omninò alienus est, delectamur. Pariter rerum pulchrè gestarum admiratio nos intùs commovet quin sensum illum ullo modo ad voluptatem corpoream aut commoda referamus; sed ipsâ virtutis consideratione propter ipsam delectamur. Sic etiam molestè afficimur patratorum scelerum narratione, ipsaque indignè ferre solemus, licèt nullo modo his criminibus læsi fuerimus.

PARAGRAPHUS IV.

AFFECTUUM SENSIBILITATIS DIVISIO ET DESCRIPTIO, RELATIVÈ AD EORUM OBJECTUM.

Tot sunt affectus diversi, relativè ad eorum objectum, quot variæ res adsunt in quibus affectum defigere possumus. Innumera autem agnosci possunt hujus generis objecta, et proindè innumeri esse possunt affectus sensibilitatis relativè ad eorum objectum. Possunt tamen illa objecta ad paucas classes revocari. Numerari possunt 1° amor nostri, 2° appetitus, 3° cupiditates, 4° affectiones, 5° affectus æsthetícus, et pius erga Deum sensus, 6° demùm sensus moralis. Mihi videtur res omnes quarum studio teneri possumus in his sex affectuum generibus includi. De singulis acturi sumus in totidem numeris.

NUMERUS PRIMUS.

DE AMORE NOSTRI.

§ I. Amor nostri spontaneus. — § II. Amor nostri reflexus. — § III. Egoismus. — § IV. An possimus agere quin propriam felicitatem quæramus?

§ I. *Amor nostri spontaneus*. Amor nostri potest esse *spontaneus* aut *reflexus*.

Amor nostri spontaneus est *Sensus quidam universalis et necessarius quo existentiæ nostræ amore tenemur, inclinamurque ad quærenda ea quæ nos delectant, seclusâ omni consideratione reflexâ*. Ille sensus adeò sensibilitati essentialiter inhæret, ut cuilibet sensibilitate prædito sit infusus, nec concipi queat sensibilitas absque illo sensu. Reverà hujus expertes non sunt ipsæ belluæ; entia sensibilia dignoscimus eò quòd à sensibus injucundis refugiant; entia autem aut sensibilitate carentia, aut mortua esse judicamus, quùm nullo jam sensu jucundo aut injucundo videntur commoveri. Possumus tamen huic sensui non parere, quandò deliberatè agimus.

Amor ille nostri spontaneus cæcus est, quùm ex hypothesi absit ab eo reflexio. Ille igitur attinet ad genus instinctuum quibus natura suâpte nos impellit versùs ea quæ nobis necessaria aut utilia sunt.

Sequitur agentem seipsum hoc amore non intendere. Directio enim actûs alicujus ad finem aliquem supponit adesse in agente reflexam considerationem istius finis; sed ab amore nostri spontaneo abest, ut diximus, reflexio. Hinc docent psychologi amorem nostri spontaneum ad nostram personam intentione non referri, gallicè : *il est impersonnel*.

§ II. *Amor nostri reflexus*. Amor nostri fit reflexus

Præcipuè quùm adest consideratio finis ad quem referuntur actus ad quos impellit natura, id est, *quandò intendimus nostram felicitatem assequendam*. Tunc consideramus etiam vulgò quænam sint viæ aptiores ut optatum finem consequamur. Non igitur amor nostri reflexus jam ex omni parte inter instinctus computandus est, quâ parte enim adest reflexio, ille ad intellectum pertinet. Amor hic ad utilitatem personæ agentis refertur, *il est personnel et intéressé*.

§ III. *Egoismus*. Egoismus strictè sumptus est *Amor nostri reflexus excludens cœterorum amorem*, et proindè vitiosus est ille amor. Egoista utilitatem propriam solummodò intendit, cæterorum autem commoda aut incommoda nil curat, modò ipse omnibus fruatur. Patet quàm detestabilis sit iste egoismus.

Egoismum quidam latiori sensu accipientes, vocant egoismum quemlibet nostri amorem. Patet tamen adesse discrimen inter vitiosum egoismum et amorem nostri spontaneum aut etiam reflexum, sed intra debitos limites retentum. Vituperatione quidem dignus non est amor nostri spontaneus; vitio enim caret ille qui ducitur instinctu quodam à naturâ nobis indito, quandiù abest reflexio quâ dirigatur ille actus. Sic culpâ vacant infantes antè rationis usum. Nec vitiosus est amor nostri reflexus quandò agens non vult cæteros incommoda pati ut omnia ad seipsum referantur, sed econtrà ex omni parte intra debitos limites retinetur ille amor. Nihil enim prohibet quin nobis necessaria et utilia provideamus. Non defuerunt tamen philosophi de quibus inferiùs agemus, qui culpaverint quemlibet nostri amorem. Cæterùm mallem amorem nostri spontaneum aut reflexum, sed legitimum, non vocari egoismum; sed hoc nomine designari tantùm amorem nostri vitiosum.

Sunt et qui virtutem negent, existimentque virtutes quaslibet tales non esse nisi specie, re autem illas nihil esse præter vias utilitatis alicujus consequendæ, sicque illas ad amorem nostrî attinere. Multi quidem inveniuntur qui damnabili consuetudine virtutis speciem questûs tantùm causâ induunt. Attamen virtutes cæteræque affectiones ab egoismo sive strictiori, sive latiori sensu accepto differunt, eò quòd virtutes et cæteræ affectiones directè et proximè referantur ad personam ab agente distinctam, *elles sont impersonnelles*, dùm econtrà amor nostrî reflexus ad ipsum agentem refertur proximè. Sic eleemosyna proximè ad pauperem refertur, ad nos verò remotè, quatenùs ex misericordiâ aliquid emolumenti, famæ, verbi gratiâ, consequi intendimus.

§ IV. *An possimus agere quin propriam felicitatem quæramus?* Disputant philosophi utrùm possimus agere quin felicitatem propriam quæramus, an non. Quæstio hæc non levis est; de hâc fusiùs posteà dicturi sumus : in præsenti satis sit hæc pauca notare. Si felicitas sumitur sensu maximè universali, pro quâcumque voluntatis nostræ expletione, certum est nos non posse agere quin propriam felicitatem quæramus; semper enim quidquid magìs libet agimus, quùm liberi simus. Sic ille etiam qui supponitur agere solo officii implendi studio ductus, agit tamen quod magìs libet; sed non semper quod magìs delectat. Si verò felicitas sumitur pro delectatione, certum est multa nos peragere quibus non delectamur. Sic eâ animi dispositione agere possumus, ut, si officii implendi studium solum nos ad agendum non moveat, at saltem magìs illud ad actum incitet quàm alicujus delectationis cupiditas. Sic etiam, qui adductus in desperationem sibi violentas infert manus, delectationem propriè dictam non

quærit, saltem proximè, licèt aliquo modo et remotè hanc expetat; mors enim quam sibi parat, ipsi minor videtur calamitas quàm vita inter miserias producta.

NUMERUS II.

DE APPETITIBUS.

§ I. Quid sit appetitus? — § II. Appetitus à naturâ, alii ab usu inditi. — § III. Appetituum characteres.

§ I. *Quid sit appetitus?* Appetitus sunt *Sensus quidam corporei, non perpetui, sed statis temporibus recurrentes; aliquid magis minùsve injucundi, pro vi et acritate suâ secum ferentes; qui nos impellunt ad appetendum aliquid quo corpus indiget.*

§ II. *Appetitus à naturâ, alii ab usu inditi.* Appetitus sunt à naturâ vel ab usu nobis inditi. Prioris generis sunt fames, sitis, quibùs adjungi aliquo modo possunt quidam alii, velut dormiendi appetitio et necessitas. Dormiendi tamen appetitio vulgò non vocatur appetitus, quamvis ad genus appetituum attineat, iisdemque ferè characteribus sit insignita. Appetitus verò alii ab usu consueto alicujus rei ducunt originem : sic tabaci et vini igne vaporati et stillati recurrit appetitus iis qui his sunt assuefacti.

§ III. *Appetituum characteres.* A cæteris sensibus distinguuntur appetitus, præsertim naturales, his præcipuè notis 1° statis temporibus recurrunt. 2° Aliquid injucundi secum ferunt. 3° Prorsùs corporei sunt, ipsisque animantibus ratione destitutis pariter insunt. 4° Expletione ad tempus saltem conquiescunt.

Appetitus liberi non sunt. A nobis enim non pendet sensum hunc corporeum experiri aut non experiri. Principio tamen liberi sunt appetitus qui ex usu nascuntur. Sed ap-

petitus explere aut non explere possumus. Aliquid saltem ipsis denegare menti admodùm utile est. Quùm appetitus prorsùs corporei sint et expletione et consuetudine acriores recurrant, timendum habemus ne ipsi animum perturbent, rationi prævaleant, brutisque pejorem hominem efficiant. Quid turpius enim viro immoderato potui dedito? Bruta animalia, expletis fame aut siti, non ampliùs edunt aut bibunt; homines verò, appetitus refrenare non soliti, adeò se cibis et vino ingurgitant ut et rationem evertant, officia implenda non curent, corporis vires intemperanti ciborum et potûs usu exhauriant; nec tantis malis ad saniorem frugem vulgò reducuntur. Non eo fine nobis appetitus natura indidit. Sed auctor noster benignus semper et beneficus nobis non reliquit curam inquirendi quæ corpori necessaria essent; sed nos appetitibus ultrò admonet de iis quibus indiget corpus : appetitus igitur novum sunt Dei erga nos meritum.

NUMERUS III.

DE CUPIDITATIBUS.

§ I. De cupiditatibus generatim. — § II. Cupiditas sciendi. — § III. Cupiditas consociationis humanæ. — § IV. Cupiditas gloriæ, sive aliorum existimationis. — § V. Cupiditas æquales antecellendi. — § VI. Cupiditas potentiæ. — § VII. Cupiditas opes habendi.

§ I. *De cupiditatibus generatim.* Hic per cupiditates (*désirs*) non intelligimus vitiosas libidines; sed *Inclinationes quasdam immanentes quæ non in corpore, sed in mente sedem habent, et quarum objectum sunt res, non personæ.*

Differt igitur ab appetitu cupiditas, eò quòd 1° hicce posterior sensus corporeus non sit; sed in mente sedem

habet : 2° non statis temporibus recurrit : 3° non satiatur, sed perpetuus est.

Differt etiam ab affectione cupiditas, eò quòd objectum cupiditatis sint res, affectionum verò personæ.

Non penès arbitrium est cupiditatum expers esse. Illæ à naturâ etiam rectâ profluunt, nec vitiosæ fiunt, nisi quandò rationis limites transgrediuntur. Nec homini bonum foret ab omni cupiditate vacuo esse, indè enim orirentur segnities, socordia et cujuslibet rei incuria. Quemadmodùm ille qui nullâ teneretur cupiditate, libidinum ardore non deflagraret; ità nec virtutum studio incenderetur. Sed expedit naturæ humanæ inditas esse cupiditates. Hinc varia studia quæ homines ad præclarè gerenda incitant. Quò quis ardentiori animo præditus est, eò magis ad excolendas virtutes aptus invenitur. Idem sanè ad vitia propensior est; maximâ animi constantiâ ille indiget ne à recto officiorum tramite deflectat; summâ illi sæpissimè contentione pugnandum est : sed inter ardua luctationum discrimina perficitur plùsque meriti obtinet operosa virtus. Quàm præclarum et ipso Deo dignum præbet spectaculum vir probus cultorque virtutis cum adversâ cupiditate compositus! Non igitur penitùs extinguendæ, sed frenandæ et dirigendæ sunt cupiditates.

Multis cupiditatibus tenemur. Præcipuum locum obtinent sciendi cupiditas, sive curiositas; cupiditas humanâ consociatione utendi (*désir de société*); cupiditas aliorum existimationem assequendi (*désir d'estime*), sive gloriæ studium; cupiditas æquales antecellendi (*désir d'excellence, ou de supériorité*), quæ æmulationi præbet originem; cupiditas imperandi cæteris (*désir du pouvoir*), e quâ nascitur ambitio; cupiditas habendi, e quâ avaritia sumit principium. De singulis quædam dicenda.

§ II. *Cupiditas sciendi*. Sciendi cupiditas in omnibus invenitur. Ab incunabulis in infantibus deprehenditur. Varia habet objecta, pro variis vitæ temporibus et cujuscumque indole. Perutilis est sciendi hæc cupiditas, modò ad debitum finem convertatur.

§ III. *Cupiditas humanæ consociationis*. Consociationis humanæ cupiditas omnibus est innata. Exoptatur humana consociatio, non solùm ob plurima commoda quæ ex communi vitâ percipimus; sed et instinctu et invincibili quodam naturæ impulsu in societatem ducimur. Tædium affert solitudo, et ubi desunt homines, à belluis sæpèque ab ipsis rebus animâ carentibus tædii levamen inquirimus. Nôrunt omnes propensam Pelissonii voluntatem in araneam. Consociationis humanæ cupiditati vicinum est natalis soli desiderium.

§ IV. *Cupiditas aliorum existimationis*. Gloriæ, sive aliorum existimationis cupiditas invenitur etiam in naturâ humanâ. Cupiditas hæc non est factitia, sed nobis congenita; deprehenditur enim et in infantibus qui, etiam antè reflexionis usum, molestiâ afficiuntur, quùm parvi à cæteris penduntur. Adeò gloriæ et existimationis cupidi sunt homines, ut inter pericula ruant vitamque ipsam parvipendant, ob famæ et nominis cupiditatem. Optima est gloriæ cupiditas, modò ad legitimum finem dirigatur. Multa ex hâc commoda percipit terrena societas: gloriæ autem quæ ex hominibus venit, christianus homo antefert gloriam quam suis Deus promittit. Nimia autem gloriæ cupiditas elatos efficit. Gloria autem falsa esse potest, illa nempè quæ ex actibus indecoris quæritur. Sic falsa est gloria eorum qui, ut gentium domitores nominentur, non dubitant ubique clades necesque cruentas inferre. Sic etiam falsa est gloria quam plu-

rimi e suis vitiis inhonestisque factis obtinere volunt.

§ V. *Cupiditas æquales antecellendi.* Gloriæ cupiditati vicina est æmulatio. Hæc est cupiditas æquales antecellendi. Vocatur etiam præstantiæ cupiditas. Quotiès æqualibus antecellere nitimur, non eorum meritum imminuendo, sed meliùs quàm ipsi agendo, adest æmulatio laudabilis. Si verò ipsorum meritum imminuere conamur, eo fine ut ipsis præstantiores habeamur, æmulatio non adest, sed turpis invidia. A naturâ nobis indita est præstantiæ cupiditas; ipsa enim et in infantibus invenitur, nec in viris ulli debetur arti. Multùm ut nos ad laborem incitet valet æmulatio.

§ VI. *Cupiditas potentiæ.* Cupiditas potentiæ, sive viribus valendi, deprehenditur etiam in hominibus. In infantibus et pueris animadvertitur. Hi sæpissimè inter se decertant quis alteri viribus præstet. Provectiores ætate homines etiam aliquandò inter se de virium præstantiâ contendunt. Non solùm autem viribus corporeis, sed et vi et acumine intellectûs præstantiores inveniri gaudent. Hinc et imperandi cupiditas hostesque victoriâ subigendi, aut politicam auctoritatem penès se habendi. Exindè etiam nascitur libertatis amor, aut sese ab aliorum ditione ac potestate expediendi cupiditas. Oritur et indè dominii cupiditas quâ nobis satis non est ut res usuario jure in manus tradantur, sed eas penès arbitrium habere volumus. Immodica potentiæ cupiditas in ambitionem immutatur.

§ VII. *Cupiditas opes habendi.* Invenitur etiam in hominibus cupiditas opes habendi; sunt enim in avaritiam proclives. Quid non cogit auri fames? Quidam verò philosophi avaritiam inter cupiditates secundarias, non autem inter cupiditates nobis congenitas annumerant.

Nobis autem videtur avaritiam quidem, sive cupiditatem habendi aurum, eo tantùm fine ut habeatur, non esse rectæ rationi consentaneam nec ab ipsâ naturâ oriri : auctor enim naturæ nobis vitia non indidit. Quùm tamen cupiditas ista non semper ex nostro facto proveniat, agnoscendum est hanc nobis esse congenitam. Multa enim vitia congenita nobis esse lugenda testatur experientia, docetque revelatio hominem e statu perfectiori lapsum nunc esse et ab ortu vitiosum.

NUMERUS IV.

§ I. Quid intelligatur per affectiones? — § II. Affectiones benevolæ et malevolæ. — * § III. An affectiones sive benevolæ, sive malevolæ primitivæ sint. — § IV. An affectiones pertineant ad activitatem liberam? — § V. Sympathia et antipathia.

§ I. *Quid intelligatur per affectiones?* Affectiones sunt *Sensus immanentes qui nos erga cæteros inclinant aut ab eis avertunt* : duplicis enim generis agnoscendæ sunt affectiones.

Affectiones ab appetitibus et à cupiditatibus distinguuntur. Ab appetitibus quidem discrepant eò quòd, non secùs ac cupiditates, in mente sedem illæ habeant; non statis temporibus recurrunt; non satiantur, sed perpetuæ sunt. A cupiditatibus autem differunt eò quòd res cupiditate, affectione autem personas prosequamur.

§ II. *Affectiones benevolæ et malevolæ.* Duplicis generis distinguendæ sunt affectiones, benevolæ scilicet et malevolæ. Benevolus animus *Nos ad benefaciendum cæteris incitat*, malevolus econtrà animus *Nos ad nocendum cæteris impellit.* Benevolum animum comitatur sensus jucundus; injucundus autem malevolum.

Inter affectiones benevolas numerantur : amor, ami-

citia, studiosus in patriam affectus, benevolentia, commiseratio, gratus animus, admiratio, veneratio, etc.

Affectiones malevolæ sunt : odium, invidia, vindictæ, injuriæ dolor, morositas, etc.

Sunt qui dolorem ex injuriâ alteri illatâ conceptum indignationem vocant. Mihi videtur hanc affectionem esse partim benevolam partimque malevolam; benevolam scilicet erga illum qui patitur injuriam, malevolam verò erga illum qui injuriam infert.

* § III. *An affectiones sive benevolæ, sive malevolæ, sint primitivæ.* Dubitant quidam psychologi an affectiones tum benevolæ, tum malevolæ, primitivæ sint, id est, nobis congenitæ, an verò in alios sensus resolvi possint. Addunt ipsis videri saltem à naturâ inditum nobis fuisse propriæ injuriæ dolorem qui aliquandò deliberationem prævenit, aliquandò autem deliberatus est. Injuriæ autem dolor deliberatus, justi et injusti, boni et mali moralis notionem includit. Huic responsioni suffragamur; sed quoad cæteras affectiones distinguendum esse putamus. Innata nobis est dispositio quædam naturalis quæ posteà, occasione datâ, nos inclinabit erga talem personam determinatam, aut ab eâ nos avertet; ipsa autem specialis affectio benevola aut malevola quæ occasione datâ evolvitur, quatenùs illa est specialis, non est congenita nobis. Nam affectio illa supponit objecti in quod impenditur animus, cognitionem, quæ profectò nobis à naturâ non est indita. A fortiori idem dicendum, si affectio illa deliberata sit.

* Nùm autem, inquies, à naturâ inditæ sunt affectiones malevolæ in cæteros? Equidem fateor affectiones istas à naturâ rectâ non proficisci : natura enim recta nobis non indidit affectiones quæ rationi adversantur : rationi autem

adversantur affectiones malevolæ quæ absque legitimâ causâ suboriuntur animo. Sed humana natura recta non est, ut fides christiana docet, non igitur mirum quòd inveniantur homines plurimi in affectiones malevolas propensiores.

§ IV. *An affectiones pertineant ad activitatem liberam?* Adsunt auctores qui contendunt amorem et odium, ad quæ cæteras omnes affectiones referunt, nullo modo esse libera, eo quòd, inquiunt, hæc pertineant ad sensibilitatem quæ non est facultas libera. Concludunt iidem eos qui bonum agunt ob spem, et proindè amorem mercedis, aut timorem, et proindè odium vindictæ, nullo modo mereri, eo quòd libertate careant actus amoris et odii. Huic opinioni de quâ iterùm infrà agetur, jam occurrimus anteà, monendo distinguendum esse sedulò quid in affectionibus et in cupiditatibus, immò et in quolibet sensu, ad sensibilitatem, quid verò ad voluntatem, seu ad activitatem liberam pertineat. Scilicet ad sensibilitatem pertinet sensus, sive inclinatio; consensus autem ad activitatem liberam pertinet. Sensus et inclinatio libera non sunt, saltem directè; consensus autem liber est. Sic, in amoris actu, propensio quæ nos fert ad amandum, ex sensibilitate sæpè oritur; consensus huic propensioni præstitus pertinet ad activitatem liberam. Consensus ille propriè amoris actum constituit; sicque sæpè sæpiùs liber est actus amoris. Sit in exemplum inimicorum amor. Si sensui et inclinationi parerem, inimicum odio prosequerer; hunc autem, vim naturæ inferendo, diligere possum, undè patet actum amoris pertinere ad activitatem liberam. Idem dic de cæteris affectionibus.

§ V. *Sympathia et antipathia.* Voces sympathia et antipathia non unico sensu accipiuntur. Quidam per sym-

pathiam intelligunt *Animum erga aliquem benevolum;* per antipathiam verò *Malevolum animum.* At eo sensu acceptæ, sympathia et antipathia includunt omnes affectiones sive benevolas, sive malevolas.

Alii sympathiam vocant *Indolis convenientiam affectuumque conjunctionem;* antipathiam verò *Indolis disconvenientiam et animi ab aliquo alienationem.* Hoc in sensu sympathia et antipathia videntur in sermone magìs usitato accipi.

Sunt autem qui alio sensu voces illas usurpant : huic autem sententiæ eò magìs attendendum est, quòd illa referatur ad systema quoddam ethicæ, de quo posteà sumus acturi. Per sympathiam ii intelligunt *Sensum quem experimur parem illi quem experitur alter;* per antipathiam econtrà intelligunt *Sensum disparem.* Scilicet, juxta eos, tales nos condidit natura, ut in partem veniamus quorumdam sensuum quibus videmus cæteros affici; et econtrà aliquandò avertamur à sensibus quibus afficiuntur cæteri. Res illustrabitur exemplis. Quum eleemosynam pauperi aliquem tribuentem video, in partem venio sensûs commiserationis quem experitur ille qui eleemosynam largitur : en sympathia. Quum verò video furem ob furtum lætantem, aut tyrannum cum voluptate insontes inter cruciatus contemplantem, intùs ego avertor ab illis sensibus satanici gaudii, tuncque antipathiâ commoveor. Aliquandò autem non sum totius sensûs quem alter experitur particeps, sed alicujus partis tantùm. Sic, quandò alter aliquâ cupiditate ductus immodicè dolet aut lætatur, ego ab eâdem cupiditate vacuus, non eodem gradu afficior. Si quis, verbi gratiâ, ob injuriam graviori abreptus irâ immodicè conqueritur, ego animo sedatus indignè quidem, minùs tamen hanc injuriam fero.

Porrò philosophi de quibus nunc agimus contendunt sympathiam præbere regulam quâ dijudicemus quid bonum, quid verò malum sit moraliter. Nempè bonum est quidquid commovet sympathiam spectatoris à studio partium alieni; malum verò quidquid econtrà ejus antipathiam concitat. De hoc systemate fusiùs infrà dicturi sumus.

NUMERUS V.

DE AFFECTU ÆSTHETICO, SIMULQUE DE PIO ERGA DEUM SENSU.

§ I. Quid sit affectus æstheticus. — * § II. Pulchritudo absoluta et relativa. — § III. Pulchrum intellectuale et pulchrum morale. — § IV. Pius erga Deum sensus. — § V. Pii erga Deum sensûs affinitas cum affectu æsthetico.

§ I. *Quid sit affectus æstheticus.* Jam, sub nomine perceptionis æstheticæ, diximus in Logicâ de affectu æsthetico, quatenùs nempè eo juvante pulchrum et sublime percipimus. Hic est via cognoscendi quæ pulchra et sublimia sunt. Et ideò de hoc dicendi locus aderat inter facultates cognoscendi quibus præditus est intellectus humanus. At præter perceptionem pulchri et sublimis, horum datur etiam sensus quem affectum æstheticum vocamus. De hoc affectu, quatenùs ille sensus est, nunc dicendum suscipimus.

Affectus æstheticus est *Ille jucundus sensus quem in nobis commovet pulchri aut sublimis conspectio.*

Affectus ille simplex est nec in alios sensus resolvitur; nec definitione, sed experientiâ cognoscitur ejus natura; huic enim sensui nullus alter compar inveniri potest.

* § II. *Pulchritudo absoluta et relativa.* Duæ conditiones sunt necessariæ ut in nobis concitetur affectus ille æstheticus, nempè 1° ut in objectis reverà existat pulchritudo aliqua. 2° Ut pulchritudo illa constitutioni nostræ sit con-

grua. *Pulchritudo quæ inest in objectis independenter à sensu quem hujus experimur,* vocatur *absoluta* : si verò illa consideretur *Quatenùs constitutioni nostræ attemperata*, illa dicitur *relativa*. Quo posito, patet pulchritudinem relativam præsupponere pulchritudinem absolutam.

* Utramque conditionem paulò suprà assignatam necessariam esse constat eo quòd, si nulla in objectis existeret pulchritudo, eorum pulchritudine commoveri non possemus, et si quis daretur tunc sensus, hic ab affectu æsthetico discreparet, quum affectus æstheticus ille sit quem affert pulchri conspectio. Sed et frustrà mira inesset objectis pulchritudo, nisi præditi essemus facultate hanc percipiendi, et nisi simul foremus ita constituti ut nos sensu jucundo commoveret illa perceptio. Ad quid musici concentus illi cui Midæ aures natura dedit? Ad quid eximia poëtarum opera illi quem, dùm nasceretur, vim sentire carminis inimicus Apollo non docuit?

* Hinc diversus est in singulis affectus æstheticus, non quòd pulchritudo objectorum dubia sit aut perpetuam mutationem subeat, sed quòd diversa sit singulorum constitutio. Hinc etiam si novum sensationum organum corpori nostro adderetur, fortè nova mirandaque pulchritudinis genera in iisdem objectis deprehenderemus. Multùm etiam adjuvat imaginatio ut vividior in nobis excitetur æstheticus affectus. Hujus ratio mihi hæc est, quòd eò faciliùs pleniùsque percipimus relationes quæ pulchrum constituunt, quò acriori pollemus imaginandi vi, et quòd eò molliores variis sensibus sumus, quò ferventior est imaginatio. Et indè explicatur cur juvenilibus annis affectus æstheticus in nobis faciliùs commoveatur, quàm quum, maturiori jam ætate, frigescit imaginatio ; cur etiam non omnes aut iisdem rebus, aut eodem gradu delectentur.

* Undè autem originem trahat pulchritudo absoluta, quid pulchrum absolutum constituat, satis difficilè assignari potest. Reverà pulchrum ope affectùs æsthetici percipitur : sed quum, ut superiùs exposuimus, sensus ille plurimùm pendeat ex singulorum constitutione, sequitur non omnibus eadem pulchra videri. Attamen animadvertere possumus affectum æstheticum, quotiès ille in nobis commovetur, originem ducere ex aliquâ perfectione quæ elucet in operibus quorum pulchritudinem miramur. Hinc pulchritudo dici posset cum Platone : *Splendor boni*, id est, perfecti.

§ III. *Pulchrum intellectuale et pulchrum morale.* Plura genera pulchritudinis distingui possunt. Duo quidam distinguunt, nempè *pulchrum morale* et *pulchrum intellectuale*. Pulchrum morale illud est *Quod elucet in actibus virtutis*. Pulchrum intellectuale econtrà illud est *Quod in naturâ aut in artibus splendet.*

Dicunt pulchrum intellectuale oriri ex æquâ et congruenti partium dispositione, ita ut varietati conjuncta sit unitas. At nobis quidem videtur pulchra esse ea in quibus elucet intra varietatem unitas, sed et alia agnoscenda sunt pulchra in quibus varietas non adest. Sic unius coloris miramur aliquandò pulchritudinem; sic etiam, quandò innubilus splendet æther, dùm dies est, cœli miramur cœruleum colorem, licèt in eo non adsit varietas. Nec semper unitas necessaria est ut adsit pulchritudo. Sic stellati cœli nos jucundè visio commovet, quamvis nullo aut non unico ordine nocturna astra disposita videantur.

Pulchrum morale oritur ex præclarè gestis. Animadvertunt autem, nec immeritò, amorem nostri quo, viâ etiam legitimâ quærimus quæ nobis utilia sunt, seclusâ

intentione implendi officii, nunquàm pulchrum videri. Reverâ, ut adsit pulchritudo moralis, oportet ut adsit virtus, et proindè intentio officii alicujus adimplendi.

§ IV. *Pius erga Deum sensus.* Aliquam affinitatem cum affectu æsthetico habet pius erga Deum sensus (*le sentiment religieux*).

Pius ille erga Deum sensus supponit supremi cujusdam et benevoli numinis notionem et opinionem, includitque quamdam in eum voluntatis propensionem et aliquam ad eum deprecandum inclinationem.

Homines pium erga Deum experiri sensum testatur experientia. Sæpissimè quidem Deo non serviunt : attamen vulgò pium erga Deum sensum servant, ita ut atheismi insimulatio omnibus indecora videatur.

Propensio hæc in Deum à naturâ oritur. Dei quidem notio distincta ab institutione vulgò accipitur; pium hunc sensum fovet sæpissimè primæva educatio; non tamen hunc ingerunt magistrorum institutiones et præcepta : non enim propensionem hanc libidinibus perversisque cupiditatibus inimicam ita facilè evolverent, nisi ipsa nobis à naturâ primitùs indita fuisset.

Pius ille sensus non eodem gradu in omnibus invenitur. Non desunt qui hunc negligant, immò et superasse exteriùs aliqui videntur. In plurimis aut sopitus, aut nullus apparet. At dubito an aliquis unquàm deprehensus fuerit, in quo nunquàm, saltem interdùm, reviviscat, aut quum magna impendet calamitas, aut quum sedato animo stellatum cœlum consideratur, sive quoddam aliud magnum oculis se præbet naturæ spectaculum, aut quâcumque aliâ occasione datâ.

§ V. *Pii erga Deum sensûs affinitas cum affectu æsthetico.* Hinc dico pium sensum erga Deum affinem esse

affectui æsthetico; affectus enim æstheticus ad pium sensum erga Deum nos sæpè ducit; rursùsque pius erga Deum sensus aptissimus est ad fovendum affectum æstheticum. Reverà atheismus, fidem in Deum abjiciendo, negandoque quidquid spiritale est, hominem deprimit eumque cum vili materiâ exæquat, libertatem, officia, virtutes de medio tollit, nec jam ullus relinquitur pulchro morali locus. Sed et pulchro in artibus producendo officit atheismus; tollendo enim ab homine propriæ dignitatis fidem, ab eo simul aufert quod dotes humanæ mentis simulque affectum æstheticum præcipuè extollit. Hinc testatur experientia concidisse artes apud populos qui fidem religiosam abjecerunt. Notandum tamen non ideò Atheos, aut qui se tales jactitant, omni affectu æsthetico destitutos esse. Nam atheus non est quicumque se dicit atheum : vix invenies apud quem nihil omninò remanserit pii cujusdam erga Deum sensûs. Præthereà, sublatâ in Deum fide, non ideò tolluntur cæteræ animi dotes, licèt illæ vulgò debilitentur.

NUMERUS VI.

DE SENSU MORALI.

§ I. Sensus moralis. — § II. Facultas moralis propriè dicta. — § III. Conscientia theologorum.

§ I. *Sensus moralis.* Per sensum moralem (*le sens moral*) intelligunt recentiores *Illum lætitiæ sensum quo intùs afficimur, quum benè egimus, aut tristitiæ, quum pravi aliquid admisimus.* Hunc tristitiæ sensum theologi vocant conscientiæ stimulos. Dari sensum moralem nullus negare potest, propriâ experientiâ teste.

Sensus moralis à quolibet alio dissimilis est nec in alios resolvitur, sed simplex est. Ille tamen supponit virtutis

et vitii notionem. Itaque sensus moralis specialis est homini rationis usum adepto. Multi sensus quorum attulimus descriptionem et in brutis deprehenduntur; sed sensus moralis homini proprius est. Nec ille sensus apud infantes invenitur antequàm aliquam boni et mali moralis notionem habeant.

Ne autem dicatur sensum moralem non esse naturalem nobis, sed acquisitum, eo quòd ab institutione accipiamus notionem virtutis et vitii, non secùs ac cæteras omnes nostras cognitiones; et insuper parentum minæ, objurgationes, castigationesque et verbera pueros assuefaciant ut quædam mala judicent, bona verò alia, et indè consuetudine ducti, tristitiæ sensum experiantur quum ea rursùs peragunt quorum jam pœnas dederant; lætitiæ autem, quum faciunt ea quibus anteà laudes blandimentaque obtinuerant.

Reverà agnoscimus cognitiones nostras ab institutione acceptas esse, non tamen institutioni debetur sensus ille moralis. Nam institutio sensum non confert, sed ad summum virtutis et vitii notionem cujus ante omnem institutionem societatemque inerat menti anticipatio, ut docuimus in Logicâ. Institutio igitur veritates morales, ut ita dicam, densis tegumentis involutas enucleat tantùm, non prima ipsarum menti inserit semina. Ipsa quoque sensum moralem fovet acuitque, non supplet. Hominem ipsa natura finxit virtutis vitiique capacem; et illi, ut finem suum faciliùs certiùsque assequeretur, sensum moralem addidit, quo tanquàm intimo perpetuòque vigili admonitore quæ recta aut mala sunt, sensibilitatis non secùs ac rationis ope edocetur.

Non æquè in omnibus acer est sensus moralis. Ille superari potest. Conquiescunt aliquandò mordaces conscientiæ stimuli. Illi vulgò ex iteratis criminibus imminuuntur,

nedùm augeantur. Interdùm autem acriores redeunt sontesque perpetuis cruciatibus vexant.

§ II. *Facultas moralis propriè dicta.* Omnes facultates quibus agentes morales constituimur dici possunt facultates morales. Sed inter illas una est quam præ cæteris et propriè loquendo facultatem moralem vocant recentiores. Hæc est facultas complexa quæ, juxta quosdam philosophos, sequentia includit, nempè 1° notionem justi et injusti, id est, boni et mali moralis. 2° Judicium quo pronuntiamus talem actum justum esse vel injustum, bonum vel malum moraliter. 3° Notionem promeriti et demeriti. 4° Judicium quo pronuntiamus mercedem promereri eum qui benè operatur; ultionem verò eum qui improbè se gerit. 5° Demùm sensum moralem de quo in præcedenti numero egimus.

Judicium morale, sive judicium quo pronuntiamus tum generatìm adesse discrimen inter bonum et malum morale, tum hunc actum speciatìm bonum esse aut malum, licèt principio contradictionis non innitatur, attamen inconcussum est, quemadmodùm et alia quæcumque judicia ingenii nostri naturæ innixa. Judicium illud à sensibilitate morali aut acriori aut remissiori nullo modo pendet; sed absolutum est, et idem in singulis deprehenditur. Idem dicendum est de judicio quo pronuntiamus adesse meritum vel demeritum. Sensus autem moralis diversus est in singulis : alii magis, alii verò minùs eo sensu afficiuntur, ut diximus.

Ex dictis videre est facultatem moralem propriè dictam ad sensibilitatem non omninò referendam esse. Ad intellectum enim præcipuè pertinent notiones justi et injusti, meriti et demeriti; sed ad sensibilitatem referendus est sensus moralis.

§ III. *Conscientia theologorum*. Non unicam rem conscientiæ nomine theologi designare solent. Per conscientiam illi præcipuè intelligunt *Facultatem quâ intùs admonemur de tali actu faciendo tanquàm bono, aut fugiendo tanquàm malo*. Ad conscientiam moralem theologorum non pertinent judicia speculativa de bonitate aut pravitate actuum, sed practica tantùm; nec ad eam pertinent quæcumque judicia practica, sed illa duntaxat quæ pronuntiant de tali vel tali actu hic et nunc à nobis ponendo aut omittendo. Boni et mali moralis notionem in eâ conscientiâ includi patet.

Conscientia hæc non est eadem ac sensus ille intimus quo de modificationibus mentis admonemur, et quem recentiores philosophi sæpiùs conscientiam vocant.

Per conscientiam intelligunt et theologi sensum moralem de quo superiùs diximus. Sic loquuntur, præsertìm oratores sacri, de gaudio, lætitiâ, pace bonæ conscientiæ, aut malæ conscientiæ stimulis.

Nobis videtur conscientiam moralem theologorum parùm differre à facultate morali propriè dictâ recentiorum philosophorum. Hæc eadem continet ac conscientia moralis theologorum; continet enim tum judicium illud practicum de tali actu bono hic et nunc faciendo, aut de tali actu malo hic et nunc fugiendo : tum sensum moralem. Sed et insuper complectitur judicia speculativa de bonitate aut pravitate actuum, et judicia quæ de merito vel demerito actuum pronuntiantur.

Patet quâ parte conscientia ad intellectum referatur, quâ verò ad sensibilitatem.

ARTICULUS III.

DE MODO QUO SENSIBILITAS EVOLVITUR.

§ I. Propensiones. — § II. Opus, sive indigentia et necessitates variæ. — § III. Appetitio et cupido. — * § IV. De affectione et cupidine paulò fusiùs agitur. — § V. Actio. — § VI. Instinctus. — § VII. Consuetudo. — § VIII. Possessio. — § IX. Quid in præcedentibus ad sensibilitatem pertineat.

§ I. *Propensiones.* Sic evolvitur sensibilitas. Agnoscendum est primùm inesse nobis, ex ipsâ humanæ naturæ constitutione, sensus quos immanentes vocavimus, iique sunt propensiones quædam nobis congenitæ, quibus inclinamur versùs objecta varia quæ naturæ nostræ congrua sunt. Propensiones illæ gallicè vocantur : *Tendances de notre nature.*

Porrò propensiones adsunt non congenitæ tantùm, sed et acquisitæ. Propensiones acquisitæ ex usu potissimùm rei alicujus proveniunt. Sic propensiones quibus oculis lucem, mente scientiam, affectione societatem quærimus, nobis congenitæ sunt : at acquisita est, ex usu, propensio quâ aliqui tabacum appetunt.

Quidam propensiones illas, quandò sunt naturales, vocant instinctum aut appetitus, et aliquandò consuetudinem, quandò sunt acquisitæ. At nos æstimamus adesse inter ista aliquam differentiam quam mox indicaturi sumus. Itaque primùm supponimus in sensibilitate propensiones congenitas et propensiones acquisitas.

Jam diximus, facilèque intelligitur, quemlibet sensibilitate præditum non posse omni congenitâ propensione carere. Patet enim illum qui absque ullâ propensione inveniretur, fore tanquàm stipitem, omnibus æquè indifferen-

tem, et proindè illum nullâ re commovendum, et ideò sensibilitatis expertem fore.

§ II. *Opus, sive indigentia et necessitates variæ.* 2° Inditis propensionibus humanæ menti, sequitur illi opus esse rebus in quas propensione fertur. His rebus indiget. Illæ necessariæ fiunt homini ut expleantur propensiones naturæ ejus. Propensiones igitur, sive congenitæ, sive acquisitæ, generant primùm opus et indigentiam objectorum quorumdam necessitatesque varias (*les besoins*).

§ III. *Appetitio et cupido.* 3° Mox appetimus ea quibus indigemus. Porrò appetitiones nostræ varia nomina accipiunt, pro diversitate objectorum quæ appetimus. Sic appetitio cibi vocatur appetitus; appetitio rerum plurimarum, scientiæ, verbi gratiâ, gloriæ, consociationis humanæ, etc., vocatur cupiditas (*désir*); appetitiones erga cæteros benevolæ aut malevolæ dicuntur affectiones. Quandò autem appetitio vehementior est, aliquandò hæc dicitur cupido, *passion*.

* § IV. *De affectione et cupidine paulò fusiùs agitur.* Cupidines Cicero vocat perturbationes, nec immeritò, illæ enim animum perturbant. Cupidinis characteres sunt vehementia, perseverantia, perturbatio animi. Vehementia quidem; modica enim rei alicujus naturæ nostræ congruentis appetitio cupido non vocatur. Deindè perseverantia; appetitiones enim fugitivæ cupidines non sunt. Oportet ut aliquandiù saltem illæ cum vehementiâ quâdam perseverent. Demùm adest animi perturbatio quæ, fateor quidem, non semper ad id insaniæ venit ut tota ratio evertatur; at in cupidine adest semper aliqua affectuum, idearum et agendi rationis perturbatio, nec aliter res sese habere potest, quum cupido sit immodica rei alicujus appetitio.

* Non omnia quæ appetimus cupidinis nomen accipiunt.

Sic appetitus, quatenùs appetitus, cupidines non dicuntur : nam illi nihil aliud sunt præter appetitionem naturalem, et proindè locus non datur in ipsis appetitibus, inordinationi, ex parte activitatis liberæ. Sic fames rabida non est cupido. Sed ille qui cibi aut potûs intemperans est, dici potest cupidine tractus : at verò tunc ille cupidine dicitur, non eo quòd appetitum experiatur, sed eo quòd ultrà appetitum cibo potuque immodicè utatur.

* Animadvertit Thomas Reid affectiones benevolas nunquàm vocari cupidines, illæ enim nunquàm perturbant animum, præter amorem, qui sæpè æquos temperantiæ limites excedit, et ideò cupido vesana dicitur. Affectiones autem malevolæ sæpè sæpiùs in cupidinem vitiosam vertuntur, nam plerùmque affectiones illæ injustæ sunt; quum verò legitimam causam habent, difficillimè intra debitos limites continentur.

* Dicunt quidam appetitionem duo includere, nempè aliquem incommodum sensum et consectationem objecti. Porrò incommodus ille sensus ipsum est opus, sive indigentia et necessitas rei : consectatio autem ab appetitione non discrepat. At duo illa ita junguntur ut appetitio indigentiam spontè sequatur.

* Docet dominus Cousin appetitionem passivam esse. Rationem affert quòd appetitio nascitur finemque accipit necessariò. Nos econtrà existimamus indigentiam passivam esse quodam sensu, appetitionem verò semper activam esse. Dixi indigentiam passivam esse quodam sensu, eo scilicet quòd sensibilitas in eo passivè se gerat, non quòd subjectum omninò activitatis expers, ut stipes, possit illum sensum experiri. Dixiothereà appetitionem activam semper esse, non solùm quia subjectum activum esse debet ut appetere possit aliquid; sed quia ap-

petitio ipsa ex naturâ suâ activa est. Nam vox appetitio exprimit motum quo tendimus versùs objectum, et conatum quo illud assequi nitimur : porrò sanè anima eo modo affecta activa est. Præstereà ex eo quòd admitteretur appetitionem esse necessariam, non sequeretur eamdem passivam esse. Econtrà, experientiâ teste, plurimi dantur actus necessarii. Sic quandò ex instinctu aut ex consuetudine aliquid operamur, profectò activi sumus, licèt sæpè ex instinctu et consuetudine ad agendum necessariò impellamur. Falsum denique est omnem appetitionem necessariam esse. Plurimæ quidem sunt, quæ nascuntur finemque accipiunt necessariò; sed appetitiones quibus adjungitur reflexio, possunt activitate liberâ devinci. Illas possumus indirectè expugnare, tollendo aut imminuendo indigentiæ sensum, quod præstare possumus, aut affectum in alias res convertendo, aut considerando vana esse plurima quæ appetimus. Ipsi autem appetitioni, dùm inest nobis, consensum possumus denegare.

§ V. *Actio.* 4° Indigentiâ et necessitate appetitioneque ducta activitas facultates competentes applicat ut assequatur objectum quod cupimus. Activitas autem, ut dicturi sumus in sequenti capite, exercetur spontaneè, voluntariò, aut liberè. Activitas exercetur spontaneè, præsertim in instinctu et consuetudine de quibus nunc subjungenda sunt quædam; remittemus autem ad sequens caput alios modos quibus exercetur activitas, eo quòd in iis minor relinquatur sensibilitati locus.

§ VI. *Instinctus.* Vocatur instinctus *Quidam naturæ sensus qui nos subitò, inconsultò, sæpèque nobis non advertentibus quid agamus, impellit ad eos præsertim actus qui ad conservationem incolumitatemque nostram necessarii sunt.* Sic, qui non satis vestigio firmus in

partem dextram jamjam collabi incipit, ille, nullâ mentis deliberatione præcedente, sed impellente instinctu, in sinistram partem et brachium protendit, et corpus reflectere nititur, ut æquilibrium restituat. Qui, si jam procumbit humi, manus opponit, ne graviori casu corpus elidatur.

Instinctu præcipuè ducuntur 1° infantes qui, quum nondùm reflexionis capaces existant, actus vitæ conservationi necessarios non perficerent, nisi eos provida natura quid agendum sit instinctu edocuisset : sic vix nati instinctu spiritum attrahunt redduntque; ubera sugunt lacque maternum labiis exprimunt; dolentes aut vulnerati clamitant; matrem risu nutibusque indicant; soli si relinquantur, præsertim in tenebricoso loco, expavescunt; minitantis faciei vocisque severæ formidine perculsi erumpunt in fletus; pacifico autem vultui dulcique vocis sono arrident.

2° Instinctu ducimur in variis motibus corporis quos mens producit, nullâ præeunte reflexione, immò nobis penitùs ignorantibus quibus musculis utendum sit ut eos motus producamus. Tales sunt actus masticationis, deglutitionis, deambulationis, etc.

3° Ducimur et instinctu, in variis actibus qui adeò veloces esse debent et subiti ut reflexioni tempus non relinquatur. Tales sunt motus corporis quibus æquilibrium restituere conamur quum prolabi incipimus, vel ut vitemus periculum aliquod imminens, vel motus palpebrarum quem vix retinere possumus quum aliqua minitatio etiam jocosa in oculos dirigitur.

4° Demùm instinctu ducimur in pluribus actibus qui vulgò adeò crebri et frequenter iterati debent esse, ut non possemus ea peragere, si ad eos perficiendos indigeremus

reflexione et attentione. Hujus generis sunt respiratio, palpebrarum motus ad lubricandos oculos, etc.

His exemplis patet quàm sapiens, bonus, providusque sit auctor naturæ qui sic necessitatibus nostris ultrò occurrit.

§ VII. *Consuetudo*. Instinctui vicina est consuetudo : utrumque hoc reflexionis usum antevertit et ad agendum etiam inattentos impellit. Differt tamen ab instinctu consuetudo, quòd hæc non est nobis congenita, sed repetitis actibus efformatur; prævalida verò et adulta quasi altera natura efficitur. Consuetudo autem definiri potest : *Impulsio quædam et facilitas ad perficiendos quosdam actus, ex eorumdem actuum frequenti repetitione originem nactæ.*

Plurima sunt consuetudinum exempla. Sic ex usu et consuetudine nativum sermonem addiscimus. Sic vir dicendi peritus, ex consuetudine, non ex reflexione, in oratione habendâ, verbis et sonum vocis et gestus apprimè accommodat, etc.

Consuetudo, non secùs ac instinctus, homini perutilis est. Non enim ultra infantis peritiam assurgeremus; nullam in exercendis artibus solertiam compararemus; nec in virtutibus sectandis proficeremus, nisi humanæ naturæ benignus auctor nobis indidisset, ex actibus repetitis, facilitatem eosdem actus iterùm peragendi.

Consuetudo autem e quâ optimi profluunt effectus, si in actus bonos et utiles nos impellat, periculosa est admodùm, si econtrà pravis actibus assueverimus; eâdem enim facilitate in malos ac in bonos actus nos impellit consuetudo. Indè patet quantâ curâ, quanto studio vitia nascentia primosque cupiditatum impetus coercere debeamus.

Principiis obsta, serò medicina paratur,
Quum mala per longas invaluêre moras.

Non tamen insuperabilis est consuetudo. Prava consuetudo consuetudine contrariâ vincitur. Sed magnâ ad id vi animi et virtute indigemus, quam dono gratiæ divinæ obtinere possumus, si debilior ad id natura invenitur.

§ VIII. *Possessio.* 5° Denique, quum diversarum operâ facultatum quibus instructi sumus, optati tandem compotes effecti fuimus, tunc fruimur. Sed eheu sæpissimè nos cupiditatibus delusos esse tunc agnoscimus. Non enim in possessione eorum quæ tantoperè cupiebamus, invenitur felicitas quam tantis studiis conatibusque quæsivimus. Sed, si quâ viâ injustâ optata comparavimus, nos tunc remordent conscientiæ stimuli. Si verò legitimis viis cupiditates explevimus, at semper omnium rerum creatarum vacuum experimur, semper nobis deesse aliquid sentimus, usu vilescunt quæcumque nondùm obtenta summo ardore exoptaveramus, nunquàm satiatur cupiditas, et ut monet Imitationis auctor, *Nec oculus visu, nec auris auditu impletur.* Nec mirum ; homo enim non ad transitoria, sed ad æterna : non ad vilia parvaque, non ad creaturas, sed ad creatorem ipsum natus est : et, ut aiebat Augustinus : *Fecisti nos ad te, Domine, et irrequietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

§ IX. *Quid in præcedentibus ad sensibilitatem pertineat.* Non omnia quorum seriem exposuimus ad sensibilitatem ita pertinent ut in pluribus præcipua pars ad activitatem non sit referenda. Ad sensibilitatem pertinent propensiones tum congenitæ, tum acquisitæ ; propensiones enim, ut diximus, sunt quidam sensus in nobis immanentes : et illi non videntur ad activitatem referri, anima enim in ipsis passivè se gerit.

Pariter opus, sive indigentia et necessitas, ad sensibilitatem pertinet, non ad activitatem. Hâc enim indigentiâ

commovetur sensibilitas : quum autem hæc in indigentiâ passivè se gerat, sequitur activitatem hujus non esse participem.

Appetitio autem, quæ sequitur, ad activitatem pertinet, ut superiùs ostendimus, adversùs dominum Cousin.

Instinctus verò, quatenùs ille est motus aut propensio quâ ad agendum impellimur, ad sensibilitatem pertinet; quatenùs autem illo juvante solerter et peritè certoque ictu petita percutimus, ille refertur ad activitatem.

De consuetudine idem dicendum est ac de instinctu. Quatenùs consuetudo nos ad agendum impellit, hæc ad sensibilitatem pertinet. Quatenùs verò ob consuetudinem faciliùs peritiùsque agimus, eadem ad activitatem refertur.

Possessio denique optati ad sensibilitatem præcipuè pertinet. Hâc enim sensibilitas delectatur, gaudet, hanc sequitur quies animi, et proindè cessat activitas illa saltem quæ ad assequendam possessionem tendebat. At non omnis omninò cessat activitas; nam, ut sæpiùs jam diximus, subjectum omnis omninò activitatis expers pariter et sensibilitate careret; prætereàque activitas semper concurrit cum cæteris facultatibus quarum nulla exercetur quin cæteræ facultates generaliores aliquo saltem modo simul exerceantur.

ARTICULUS IV.

DE INORDINATIS AFFECTIBUS SENSIBILITATIS.

§ I. Inordinati sensus hominis non strictè demonstrant peccatum originale. — § II. Illi tamen innuunt lapsum esse hominem. — § III. At peccatum originale probat traditio populorum.

§ I. *Inordinati sensus hominis non strictè probant peccatum originale.* Negant vulgò auctores psychologi

primitivos esse nobisque connatos sensus inordinatos qui in nobis deprehenduntur, sed ipsos ex abusu libero facultatum nostrarum originem ducere existimant. Contra eos ostendemus plurimos sensus inordinatos congenitos esse nobis. Quod quidem adeò verum est, ut pluribus visum fuerit econtrà ex iis sensibus posse, ratione ipsâ duce, demonstrari peccati originalis labem. At nos existimamus peccatum originale non posse strictè demonstrari ex inordinatis sensibus qui nobis congeniti sunt. Docent enim theologi, post sanctum Augustinum, possibilem esse statum naturæ puræ, id est naturæ peccato originali non vitiatæ, in quo tamen adessent inordinati sensus hominibus inditi, ut iis præberetur virtutis exercendæ mercedisque promerendæ amplior occasio. Sed docent simul theologi hominem creatum non fuisse in eo statu in quo nunc miserrimè vivit; sed ipsum conditum fuisse in statu supernaturali justitiæ et felicitatis e quo delapsus est per inobedientiam protoparentis. Ex eâ doctrinâ sequitur hujus vitæ miserias, inter quas vitiosas propensiones imprimis annumero, esse lugendum peccati originalis effectum. Hinc et si ratio sola non valeat infaustum humani generis casum demonstrare, at saltem apprimè congruit cum revelatione observatio, nedùm rationi contradicat catholicum peccati originalis dogma. Illud econtrà suppeditat viam explicandi contradictiones innumeras quæ in homine conspiciuntur, agnoscendo nempè, ex unâ parte, naturam humanam vitiatam esse; hominem esse à pristino statu delapsum; facultates animæ humanæ debilitatas corruptasque esse, nec jam eas inveniri quales à Deo creatore acceptæ fuerunt : ex alterâ verò, hominem non ita vitiatum esse ut libertate ad bonum operandum careat. Contendenti verò exclusivè aut hominem nasci rectum, ut quidam increduli opinantur;

aut eumdem semper fuisse corruptum eumque virtuti colendæ inhabilem esse, ut volunt alii increduli, vix ulla subesse poterit ratio conciliandi secum et in bonum et in malum propensiones quæ agnoscuntur in homine. Nisi ratio habeatur, et pristini gradûs, et dejectionis ab illo primitivo statu in quâ nunc quisque nascitur, æqua jam tum credendorum, tum agendorum regula homini præscribi haud facilè poterit. Hinc apud philosophos inveniuntur systemata opposita quorum hæc nimiùm homini tribuunt; illa autem ab eo nimiùm detrahunt. Sic Pyrrhoniani attendentes tantùm ad errores innumeros quibus debilitatum esse intellectum humanum ostendere facillimum est, negant ullam veritatem posse certam agnosci. Econtrà philosophi increduli, rationi humanæ plùs æquo confidentes, omne revelationis divinæ adjutorium respuunt. Sic etiam epicurei philosophi, et tot homines qui Epicureorum more sentiunt et vivunt, summam hominis corruptionem insanabilem ducentes, *desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ*, ut ait B. Paulus (*Ad Ephes.* IV, 19): dùm econtrà stoici philosophi rectitudinis pristinæ vestigia quæ supersunt solummodo considerantes, corruptionem hominis confiteri nolunt, superbiâque elati, hominem propriis viribus sectari posse virtutem prædicant.

Quamvis theologorum sit hominis lapsi dogma adstruere ex auctoritate revelatâ; nos tamen philosophicæ scientiæ limites non prætergrediemur exponendo indicia quæ ipsa ratio suppeditat lugendi hujusce casûs. Cujus quidem duplex afferemus, alterum ex observatione; alterum autem ex unanimi populorum consensu desumptum.

§ II. *Inordinati sensus qui in homine observantur, hunc lapsum esse innuunt.*

1° Ex observatione constat omnes animæ humanæ facultates, intellectum scilicet, sensibilitatem et activitatem liberam vitiatas esse, tantasque intra nos commoveri pugnas, ut duo veluti in nobis homines sibi mutuò perpetuòque adversi existere videantur.

1° Quidem intellectus, quamvis plurimas veritates apprehendere valeat, innumeris tamen subjacet erroribus, in iis præsertim rebus quarum cognitio majoris est momenti. Nam homo qui tot adinvenit artes scientiasque naturales, et ipsa cœlorum munimenta intelligentiâ suâ perrumpit, quid de Deo, de religione, de origine, naturâ, futurâ destinatione animæ humanæ præceptisque morum tenendum sit, certò judicare non potest nisi titubanti rationi adminiculum præbeat revelatio, ut demonstratur ex tot oppositis erroneisque systematibus philosophorum qui revelationem penitùs ignorantes aut ejus auctoritatem negligentes, ope rationis solius homines edocere voluerunt.

2° Adhuc magìs vitiata videtur sensibilitas. In homine enim deprehenditur inordinatus immodicusque suî ipsius amor, ita ut ad se ipsum omnia quisque referat propriisque commodis cæteros omnes inservire velit, se ipsum ultra statum extollens, constituensque tanquàm centrum ad quod cætera omnia tendere debent : quod quidem iniquissimum simul et rationi adversum est, quemadmodùm si pes aut manus, sese contra caput corpusque totum extollens, non regi, sed regere, non præstare operam, sed accipere vellet.

Hinc quisque in se triplicis concupiscentiæ de quâ loquitur Apostolus, luctam sustinet. Scilicet quisque sentit se inordinatâ cæterorum hominum æstimationis cupiditate teneri. Quam quidem quærere sectando virtutem hancque virtuti postponendo nec immodicè cupiendo, rationi non

esset adversum; sed æstimatio ipsa, non virtus quæritur, ita ut satis nobis sit virtutum speciem tantùm præ nobis ferre, ipsique virtuti debitas laudes surripere : undè vitia tegere summâ curâ satagimus, ea verò tollere minime curamus : immò et plurimi vitio eo fine se tradunt ut pluris æstimentur à cæteris. Ex eâ injustâ famæ cupiditate fit etiam ut ferre non possimus habeamusque inimicos eos qui nobis vitia nostra detegunt, etiamsi leniter ipsi nos moneant ut ad meliorem frugem nos reducant, dùm econtrà facilem lætamque adulatoribus aurem præbere solemus. Sic odium parit veritas ipsaque hæc odio nobis est, errore autem delectamur. Ex aliâ autem parte ad præclarè gerenda ducit æstimationis cupiditas ipsaque bona est, dummodò veritati et æquitati sit congrua.

Præthereà inordinatæ habendi cupiditati sumus proclives. Hinc necessariis, quin et utilibus contenti non sumus; sed insatiata auri fames nos perpetuò urget. Hinc tot curis absumitur vitæ tempus, eo fine ut divitiæ ultra modum augeantur. Hinc tot furta et injustitiæ aut omninò aperta, aut velo obducta, ne fama potiùs quàm æquitas lædatur. Hinc tanta in pauperes immisericordia. Hinc tantus animi dolor, rebus eversis, ut plures sibi cruentas manus inferant, indociles, non dicam pauperiem, sed modicas, licèt victui sufficientes, opes pati. Quin et inveniuntur homines adeò pecuniæ tenaces ut, inter auri argentique thesauros, necessariis sese defraudent et propè inediâ intereant, summam ducentes voluptatem nummos in arcâ contemplari.

Ardenti demùm voluptatis cupidine deflagrant homines. Quot mala imperiis, familiis, privatis, libidines intulerunt! Quod primum urbis et imperii excidium historia refert, nempè Trojæ, causam habuit Paridis libidinem. Plurima

alia bella commovit etiam, non gloriæ, sed voluptatis effrena cupido. Quot insuper familiæ libidinibus intùs perturbatæ! Quantam liberorum et rei familiaris incuriam, quot fortunæ naufragia secum trahit voluptatis malesanus ardor! Quot demùm privatos ad turpia impellit; quot efferat et pecoribus inferiores efficit; quot famâ, fortunâ denudat; quot enecat libido!

Nec vitiosæ hominis propensiones explicari queunt dicendo cum iis non hominem progigni, sed illas provenire ex abusu libertatis pravisque consuetudinibus. His quidem propensionibus vires addit consuetudo; sed illæ propensiones potiùs consuetudini causam præbent quàm eam consequuntur. Nam ante natam consuetudinem deprehenduntur; in ipsis pueris animadvertuntur; insunt in viris probis qui eas domare nituntur; agnoscendumque est hominem nascendo secum afferre omnia vitiorum semina.

3° Et admodùm vitiata est activitas libera (quæ etiam à theologis vocatur voluntas). Quum enim ultrò propendere deberet in bonum, econtrà à se in malum inflectitur. Hujus rei testes sunt et poeta et Apostolus. Ait enim Ovidius : *Video meliora proboque, deteriora sequor.* Et B. Paulus (*Ad Rom.* cap. VII, v. 15.) : *Quod enim operor non intelligo. Non enim quod volo bonum hoc ago : sed quod odi malum illud facio... Infelix ego homo!* Sed alieno testimonio non indigemus, ipsa eorum quæ intra quemque nostrûm geruntur, experientiâ edocti.

Nunc verò ex iis quæ præcedunt, innuitur hominem nasci e pristino et excellentiori gradu delapsum. Si enim homo nasceretur adhuc in pristino dignitatis originalis statu in quo creatus est, non in eo invenirentur tot inordinati affectus. Si verò natura humana fuisset semper et à

principio corrupta, pristinæ dignitatis et præteritæ rectitudinis non tot superessent vestigia.

Et verò hominem urget insatiata felicitatis cupiditas quam nihil explere potest : quumque sese ad felicitatem conditum fuisse agnoscat; attamen sese sentit miserrimum. Nec hominem ideò tantùm miserum duco quòd nulla bonorum creatorum illi perfectam præstare possunt beatitudinem; sed maxima miseriarum causa ipsi homini intrinseca est. Adeò enim intùs miser est homo ille qui tanto proprii amoris ardore tenetur, ut suî ipsius aspectum ferre non queat. Reverà nihil homini intolerabilius quàm si qualis ipse sit attentè consideret. Hinc tædio tabesceret, immò et fortè interiret ille qui nulli alii negotio præter contemplationem suî vacare cogeretur. Indè fit ut major à sontibus reposci pœna non possit quàm omnimoda solitudo et ab omni negotio vacuitas in quâ nunc aliquandò relinquuntur. Hinc *nullus est qui recogitet corde*, ut ait propheta; et omni opere et operâ quisque enititur ut à consideratione suî avertatur. Hinc tot laboribus, tot curis negotiisque sese exagitat; immò et sæpissimè ineptis anilibusque et homine sensato indignis nugis pretiosissimam maximamque vitæ partem absumit, eâ tantùm mercede ut animum divertat et à suî ipsius consideratione avocet. Porrò undè tanta homini miseria, undè ipsi tot desideria quibus angitur, undè ille sibi inter bonorum omnium affluentiam semper aliquid deesse sentit? Nonne quòd ille à pristino felicitatis dignitatisque gradu dejectus nascitur? Nam, ut ait Pascal, Paulus Æmilius consulatu abiens non ducitur infelix, eo quòd jam non sit consul; beatus econtrà existimatur, eo quòd consulatum gesserit : nam consulis conditio non est ut semper reipublicæ magistratum habeat. At verò Perseus adeò infelix du-

cebatur eo quòd jam non esset rex, ut mirarentur quòd ille vitam adhuc ferre posset; conditio enim regis est ut ille semper rex permaneat. Sic homo tantopere miserum se deprehendit, quòd non ea erat ejus conditio ut miser esset. Angitur ergo pristinæ dignitatis sensu, et, ut ait unus e nostris poetis :

L'homme est un Dieu tombé qui se souvient des cieux.

§ III. *Peccatum originale probat traditio populorum.*

II° Ex unanimi populorum consensu ducitur probatio strictior quòd homo lapsus sit. Etenim hæc nos edocet populorum tum priscis, tum recentioribus temporibus historia. 1° Omnes memoriam et opinionem hominis lapsi servasse, ut testantur sive eorum fabulæ, sive eorum historiæ. 2° Omnes pristinæ dignitatis restauratorem exspectare videbantur. 3° Omnes existimabant sanguine placandum esse numen; hinc in quolibet cultu cruentis sacrificiis litabant. 4° Præterea apud omnes populos solitum erat piacularibus ritibus matrimonium et nativitatem expurgare. Atqui consensus ille populorum probat hominem lapsum esse. Ille enim consensus est veritatis indicium, qui ex traditione primævâ oriri demonstratur probationibus tum positivis, tum negativis : atqui talis est populorum consensus de lapsu hominis. 1° Positivè probatur illum ex traditione primævâ oriri. Quum enim hominis lapsi memoriam servaverint omnes populi, quicumque illi sint, licèt moribus, sermone, patriâ, legibus aliundè diversi, debuit originalis casûs fides linguarum confusionem et populorum dispersionem præcedere : perantiqua igitur est illa fides, et à primævâ traditione originem ducit. 2° Negativè etiam probatur ejusdem consensûs certitudo. Nec enim auctor, nec tempus, nec

locus, nec modus adinventionis tam stupendæ excedentisque fidem opinionis assignari possunt, quorum tamen memoria in re tanti momenti profectò servata fuisset, si reverà hæc opinio aliquod esset erroris adinventum. Concludendum igitur hominem à pristino gradu nasci nunc infausto casu dejectum.

CAPUT II.

DE ACTIVITATE.

In duos articulos istud caput dividemus : alterum erit De activitate generatìm, alterum De activitate liberâ, seu libertate speciatìm.

ARTICULUS PRIMUS.

DE ACTIVITATE GENERATIM.

§ I. Activitatis natura. — § II. Activitatis species. — § III. Activitas libera. — IV. Activitas voluntaria. — § V. Activitas spontanea.

§ I. *Activitatis natura.* Activitas est *Facultas agendi.* Hæc est præcipuè facultas quâ spiritus à materiâ distinguuntur. Ut enim in Ontologiâ vidimus, materia est iners et passiva; spiritus verò activitate præditi sunt. Reverà concipitur existere posse spiritus qui intelligentiâ careant et in quibus rationem suppleat instinctus, ut in belluis : sed quid esset spiritus omninò passivus, quâ parte à materiâ distinctus esset, nullus concipere potest. Præthereà nulla adesse potest intelligendi aut sentiendi facultas, nisi in subjecto activo : sic cadaver nec intelligit, nec sentit.

Activitatem plurimi vocant voluntatem. Nobis autem videtur activitatem à voluntate secernendam esse. Reverà activitas est facultas producendi quoslibet actus; voluntas autem est facultas producendi actus volendi aut nolendi. Hinc patet activitatem latiùs extendi quàm voluntatem, hancque non esse nisi unum e modis quibus exercetur activitas. Activitatis igitur analysim exponendam suscipimus : activitatem autem describendo et voluntatem describendi sese dabit occasio.

Activitas exercetur vel interiùs tantùm, vel interiùs simul et exteriùs. Exercetur interiùs tantùm quandò mens sola agit nec devenit ad actum exteriorem organorum corporeorum ope productum. Exercetur interiùs simul et exteriùs quandò organorum corporeorum ope mens producit aliquem actum exteriorem.

§ II. *Activitatis species.* Sive autem activitas interiùs exerceatur tantùm, sive illa exerceatur interiùs simul et exteriùs, actus triplici mo o fieri potest, scilicet aut voluntariè simul et liberè, aut voluntariè sed non liberè, aut demùm spontaneè. Ad brevitatem sermonis, dicere solent activitatem exerceri *liberè, voluntariè* et *spontaneè*, quod ita tamen intelligendum est ut voluntati tribuantur non solùm actus qui dicuntur simpliciter voluntarii, sed et actus liberi. Actus igitur liberi et voluntarii procedunt ex voluntate; actus verò spontanei absque voluntatis imperio eveniunt, ut ex sequentibus constabit.

§ III. *Activitas libera.* 1° *Activitas liberè exercetur in iis actibus qui fiunt, nobis jubentibus, sed ita ut hìc et nunc possimus ab iisdem actibus abstinere.* Libertas, ut patet, includit voluntatis electionem quam præcedit aliqua mentis deliberatio. Itaque libertas includit cognitionem, ex parte intellectùs; deindè actum voluntatis talem

ut agens possit non agere. Plurimi sunt actus liberi; sic, dùm hæc scribo, liber sum ea scribendi vel non, etc. Libertatis essentiam paulò fusiùs infrà mox exponemus, deindèque hanc homini inesse fusiùs pariter probabimus.

§ IV. *Activitas voluntaria.* 2° *Activitas exercetur voluntariè in iis actibus qui fiunt, nobis quidem volentibus, sed quos non producere non possumus.* Horum actuum non desunt exempla; sed illa deprehendi nequeunt in homine integris facultatibus pollente et utente; nec mirum, siquidem activitas sine libertate sese exercens non est perfecta. Nobis igitur quærenda sunt exempla ex homine aut integris facultatibus carente, aut iis actualiter non utente. Prioris generis exemplorum gratiâ, cum theologis afferemus exemplum sanctorum in cœlo, qui Deum toto voluntatis affectu diligunt; illum autem jam non diligere non possunt : et exemplum damnatorum qui Deum econtrà toto voluntatis affectu oderunt, jamque eum non odisse non possunt. Ut autem ex ordine naturali exempla præbeamus, videre est infantes qui toto voluntatis affectu prosequuntur ea quæ sibi placent, quamvìs rationis defectus eos suî impotes efficiat. Sic etiam amentes libertate carent; voluntatis tamen vehementi impulsione in placita feruntur. Infantes et amentes libertate carere meritò asserimus; si enim liberi essent, culpandi profectò forent quotiès non recta peragunt : at infantes amentesque criminis expertes esse ab omnibus judicatur. Posterioris generis exempli gratiâ, sit filius pius in parentes, qui patri in periculo imminenti constituto accurrit, volens quidem; sed aliquandò ita turbatus aut præproperus ut agat absque illâ mentis reflexione quæ libertatis usui præire debet. Sit etiam mater quæ nato, aut in flumen, aut in ignem illapso advolat, sese ipsam in pericu-

lum vitæ conjicit; eripit tamen filium, et ab instanti nece liberat, vehementi quidem voluntatis ardore; sed sui impotens : nec proprium periculum advertit nisi quum, filio jam vitæ reddito, et ipsa sibi redditur.

Ex hâc expositione sequitur activitatem voluntariam includere, ex parte intellectûs, cognitionem; ex parte voluntatis, actum talem ut agens non possit non agere, licèt agens non agat invitus. Itaque actus liber et actus voluntarius à se differunt, eo quòd in priori casu agens possit non agere, in posteriori verò agens non possit non agere. Sed in utroque actu adest cognitio ex parte intellectûs, ex parte autem activitatis, voluntas agendi.

Notandum est per actus voluntarios, in sermone communi, intelligi etiam actus liberos. Sed theologi hujus denominationis sensum restringunt, et per actus voluntarios simpliciter intelligunt eos tantùm qui à voluntate procedunt, sed non liberè. Ne quid ambigui supersit, monemus nos deinceps theologorum more, strictiori sensu accepturos fore actum voluntarium per oppositionem actui libero.

§ V. *Activitas spontanea.* 3° *Activitas exercetur spontaneè in iis actibus qui fiunt absque voluntatis imperio, imò et insuper aliquandò nobis non advertentibus.* Nempè tales actus non jubemus, ipsi eveniunt, sive velimus, sive non velimus; imò et aliquandò nobis prorsùs invitis. Nullo igitur modo ex voluntate procedunt, saltem directè : nam nec liberè, nec voluntariò à nobis ponuntur : ipsi autem suâ sponte producuntur, et ideò illos actus voco spontaneos. Plurima istorum actuum exempla deprehenduntur tum in mente, tum in corpore. In mente quidem; sic cogitatio, memoria, diversi sensus sæpissimè spontanei sunt. Reverà sæpissimè de quibusdam

cogitamus, aut eorum meminimus, aut sensum habemus, non solùm necessitate compulsi, sed et invitâ voluntate. In corpore verò sanguinis circulatio, respiratio, alimentorum assimilatio, subitus membrorum, imminente periculo, tremor, aut oculorum nictatio aliique actus spontaneè fiunt. Sic etiam actus qui ex instinctu aut consuetudine fiunt, sæpissimè spontanei sunt. Hi tamen aliquandò eveniunt voluntariò, imò et liberè, quandò nempè iis consensum præbemus aut instinctui et consuetudini resistere possumus, nec tamen resistimus. Tunc verò, si quod ex instinctu aut consuetudine fit, non est directè liberum, at saltem patet illud indirectè liberum esse.

Animadvertendum est nos non describere diversos activitatis gradus eodem modo ac illos recentiores philosophi describunt. Plerique non secernunt actus liberos ab actibus qui sunt voluntarii tantùm in sensu theologorum. Sic dominus Cousin (*Cours de Philosophie*, t. II, *ann.* 1829, *p.* 497 *et suiv.*, *et Fragments, Préface de la première édition.*) distinguit 1° actus qui fiunt in nobis, ut ita dicam, sine nobis, et 2° actus liberos. Actus prioris generis nos vocavimus spontaneos; ille verò per actus spontaneos alios intelligit de quibus mox; nullo autem peculiari nomine donat prioris hujusce generis actus. Per actus liberos ille intelligit, non secùs ac nos, illos actus quos ita producimus ut eodem tempore ab eis abstinere possemus. Porrò nos liberè agere posse duplici modo docet idem auctor, nempè voluntariè aut spontaneè. Actus quos voluntarios vocat, sunt actus liberi quibus præit perfecta mentis deliberatio. Actus quos vocat spontaneos, sunt actus liberi quidem, sed ita præproperè facti, ut non adfuerit rationum ad agendum aut non agendum ponderatio. Hinc patet actus voluntarios et spontaneos quos

describit dominus Cousin, multùm discrepare ab iis quos iisdem nominibus donavimus. De nomine quidem movere quæstionem non intendimus; sed divisionem actuum à domino Cousin allatam reprehendimus, eo quòd nullum locum relinquat actibus qui fierent quidem cum propensione voluntatis, attamen eo modo ut agens ab iis non posset abstinere. Hos actus ille liberos passim prædicat. Quum verò nihil fortè in totâ Ethicâ magis sit necessarium quàm libertatis accuratam præmittere notionem hujusque facultatis existentiam agnoscere, huic quæstioni exponendæ magis insistendum ducimus. Itaque in articulo sequenti de libertate specialiter agemus, et ibidem, occasione datâ, de actibus quos nos voluntarios diximus.

ARTICULUS II.

DE ACTIVITATE LIBERA, SEU LIBERTATE, SPECIATIM.

Triplex erit paragraphus, nempè primus De essentiâ libertatis; secundus De existentiâ libertatis; tertius denique De causis quæ libertatem tollunt aut minuunt.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

DE ESSENTIA LIBERTATIS.

* § I. Sententia Jansenianorum. —* § II. Sententia Hobbesii. — * § III. Sententia domini Cousin. — § IV. Essentia libertatis. — § V. Liberum directè et liberum indirectè.

* § I. *Sententia Jansenianorum.* Inter eos qui libertatis essentiam non rectè exposuerunt, præcipuum locum obtinent Janseniani. Hi nempè voluntarium à libero non secernebant. Tanquàm liberos agnoscebant quoscumque actus cum propensione voluntatis productos, etiamsi agens non posset hic et nunc ab actu ponendo abstinere. Quum

enim contenderent hominem quasi ponderibus hinc gratiæ quæ voluntatem in bonum inclinat, hinc verò concupiscentiæ quæ propendit in malum, ita librari ut non possit voluntas non inflecti quà parte valentiori pondere trahitur; hominem tamen liberum esse dicebant, eo quòd bonum agens insuperabili gratiâ impulsus, aut malum operans invincibili concupiscentiâ illectus, semper agat quod magis juvat; semper enim agit cum voluntatis propensione. Econtrà theologi meritò eos reprehendebant quòd libertatem quam nomine retinebant, reverà tollerent. Ex omnium enim consensu, nec liber, nec moraliter imputandus dici potest actus qui ita producitur ut reverà agens non possit illum non producere. Porrò patet ex opinione Jansenianorum sequi animam humanam potentiâ delectante quidem, sed tamen ineluctabili, ad agendum impelli. Hinc meritò etiam theologi attulêre distinctionem inter actus liberos et voluntarios quam et ipsi retinemus.

* § II. *Sententia Hobbesii.* Libertatem quidem quoad nomen admittit Hobbesius; at, malè ejus naturam explicando, eam ille reverà tollit. Juxta hunc philosophum, mens humana compos non est pro libito sese determinandi : quæcumque consilia ineat, ad ea necessitate compellitur. Sed aliquandò determinationi exequendæ obsunt impedimenta, aliquandò autem nulla obstant. In hoc posteriori casu tantùm mens dicenda est libera, quemadmodùm liber dicitur homo qui priùs vinculis impeditus, nunc ab iis solutus est. Ex his patet reverà tolli internam animæ facultatem sese pro libito determinandi, remanereque tantùm aliquandò libertatem quamdam externam. Sed omnes per libertatem intelligunt facultatem volendi aut nolendi interiùs pro libito : quæ, si tollatur, jam ex

omnium confesso homo liber non est, rotundèque neganda est libertas, nec inanis nescio cujus libertatis species retinenda ut incautis fucus fiat. Reverà numquid ex unanimi omnium consensu culparentur homines malefici, nisi quisque ratus esset illos intùs liberos fuisse non operandi malum? Numquid suppliciis plectuntur insani quorum menti non inest facultas actus suos dirigendi? Omnes igitur existimant libertatem esse facultatem internam, non externam duntaxat.

* § III. *Sententia domini Cousin.* Dominus Cousin actus liberos agnoscit; prætermittit autem ille actus quos theologi voluntarios vocant. Exindè fit ut, quamvis ille veram libertatis notionem exposuerit, agnoscendo actus liberos eos esse qui ita fiunt ut agens possit eos non producere; attamen idem auctor cum liberis confundat quosdam actus qui, juxta eum, non possunt non evenire. Hujus erroris præclarum attulimus exemplum in Ontologiâ. Ibi enim, de creatione agentes, ostendimus dominum Cousin, ex unâ parte, asserere Deum non potuisse non creare; simulque, ex alterâ parte, eumdem asserere Deum liberè creavisse, eo quòd non creaverit invitus. Hinc patet dominum Cousin non posse duo hæc conciliare, nisi dicat omnes actus quos agens non invitus, id est, cum propensione voluntatis producit, liberos esse. At posterior hæc libertatis notio longè differt à priori quam attulerat, falsaque est.

* Reverà actus liber, ut ab omnibus judicatur, ille est qui ita producitur ut agens possit simul illum non producere. Quis enim dicat liberum esse eum qui non potest ab agendo abstinere? Quis criminis reum existimet hominem qui, e tecto decidens, alterius cervicem corporis mole frangit? Quis amenti aut infanti imputet actus quos illi

peragunt cum totâ quidem voluntatis propensione; sed ad illos actus amentiâ ineluctabiliter impulsi?

* Porrò, hâc semel actûs liberi admissâ notione, patet ab iis distinguendos esse actus qui cum propensione voluntatis fiunt, sed ita ut non possit agens ab iis abstinere. Reverà fatemur hos actus aliquid communis cum actibus liberis includere, nempè propensionem voluntatis. Qui enim liberè agit, cum voluntatis propensione et ipse agit. Sed ab actibus liberis abstinere potest agens; dùm econtrà agens non potest non producere actus posterioris generis. Distinctio hæc non solùm in Ethica utilis est; sed et in Ontologiâ, ut libertatis divinæ recta notio tradatur.

* Retinenda est igitur actuum qui ex voluntate procedunt divisio allata à theologis, distinguendique sunt actus liberi et actus simpliciter voluntarii.

* Nunc verò expendendum est quid includat actus liber. Tria distinguit dominus Cousin in actu libero quem voluntarium vocat, nempè 1° rationum ad agendum aut non agendum ponderationem et electionem quam intellectui tribuit. 2° Agendi aut non agendi propositum quod voluntatis est. 3° Actum externum quem voluntas imperat. Per electionem quam intellectui tribuit, intelligit ille auctor judicium quo mens pronuntiat quænam e rationibus ponderatis cæteras antecellat sitque anteponenda. Agnoscit actus quos spontaneos vocat, liberos esse, quamvìs non iis præmittatur deliberatio. Fatetur insuper nec actum exteriorem, nec ipsum conatum quo moventur musculi, necessarios esse ut homo liberè agat. Hunc econtrà conatum tanquàm libertatis exercitio necessarium exhibet dominus de Biran. Docet demùm dominus Cousin libertatem inveniri præcisè in agendi aut non agendi proposito, quod totum ex parte voluntatis se tenet. Porrò

hanc actûs liberi analysim nos admittere non possumus; veritate enim non ex unâ parte caret. 1° Quidem adsunt actus liberi quibus non præit rationum oppositarum ponderatio, ut optimè animadvertit dominus Cousin; sed semper requiritur, ex parte intellectûs, ut mens advertat quid agat. Si enim nulla adesset advertentia, non adesset libertas, ut quisque agnoscit; quisque enim inadvertentiæ excusatione utitur. Nec illud negare videtur dominus Cousin. 2° Hic intellectui rationum ponderationem tribuit; quod quidem verum esset, si semper pronuntiandum esset ex rectâ ratione quænam e rationibus oppositis sit valentior. At res non semper ita evenit : sæpissimè enim rationes ad agendum ex delectatione, non ex rationis placito, deducuntur. Porrò non intellectus, sed sensibilitas, pronuntiat quid magis delectet. Sæpissimè etiam rationes ad agendum e solo voluntatis libito quæruntur; tuncque iterùm intellectûs non est rationes oppositas ponderare, sed voluntatis est proprium libitum æstimare. 3° Electio rationis valentioris ad intellectum non pertinet. Reverà ad intellectum non pertinet electio quotiès ad illam facultatem non pertinet rationum ponderatio. At, ex dictis, non à solo intellectu, sed et a sensibilitate et à libito voluntatis rationes ad agendum sæpissimè defluunt. Sed et quotiès illæ rationes ab intellectu quæruntur, hujus facultatis non est eligere. Ad intellectum quidem pertinet valentioris rationis perceptio; sed electio, sive judicium, non ad intellectum, sed ad voluntatem pertinet, ut in Logicâ docuimus. 4° Docet dominus Cousin propositum agendi esse voluntatis proprium, hocque præcisè constituere actum liberum. Huic auctori libenter concedimus agendi propositum voluntatis esse proprium. Sed, ut præcaveatur error quo liberum cum simpliciter voluntario confunditur, ad-

dendum est agendi propositum liberum non esse, nisi quum voluntas simul potest non agendi propositum inire. Sic, quum Deus creat, liber ille reverà non est, quamvis quidem ille creare velit, si, ut contendit dominus Cousin, Deus non potest non creare. 5° Meritò dominus Cousin reprehendit dominum de Biran, quòd exhibeat conatum quo moventur musculi, tanquàm libertatis exercitio necessarium. Reverà, ut optimè animadvertit dominus Cousin, voluntas libera remanet, non quidem exteriùs agendi, sed interiùs volendi aut nolendi, etiamsi paralysi inertes fierent musculi. Addemus nos opinionem domini de Biran ad id deducere, nempè necessarium esse mundum exteriorem ut exerceatur libertas : quod quidem, si de omni spiritu etiam divino diceretur, sequeretur mundum physicum eàdem necessitate existere ac ipse Deus, illumque pariter increatum esse et æternum.

§ IV. *Essentia libertatis.* Ex dictis concludendum est 1° essentiam libertatis in eo consistere præcisè quòd agens possit agere aut non agere, saltem intùs. 2° Actum liberum voluntati tribuendum esse, huncque fieri cum propensione voluntatis. 3° Actum liberum supponere advertentiam, ex parte intellectùs. Etenim, si nulla prorsùs adesset advertentia, nec ipsius actùs adesset volitio, nec proindè libertas; ignoti enim nulla cupido, ut fert adagium.

§ V. *Liberum directè et liberum indirectè.* Demùm observandum est aliquem actum posse esse liberum directè aut indirectè. Actus ille dicitur liber directè, qui directè intenditur. Ille autem actus dicitur indirectè liber, cujus causa liberè ponitur. Expendunt præsertim theologi an liceat ponere causam e quâ pravus aliquis effectus secuturus est, et quærunt an ille effectus censendus sit indirectè liber. Docent illi tria requiri ut actus aliquis sit

liber indirectè, nempè 1° Ut agens præviderit pravum effectum. 2° Ut agens potuerit non ponere causam hujus effectûs. 3° Ut agens debuerit non ponere causam. Addunt autem agentem non teneri ad causam non ponendam, quandò tria hæc concurrunt, nempè quandò 1° actus quem ponit agens non est intrinsecè malus; 2° bonus effectus malum effectum compensat; 3° denique agens bonum effectum intendit, non verò malum. Hanc quæstionem fusiùs evolvendam theologis relinquimus.

PARAGRAPHUS II.

DE EXISTENTIA LIBERTATIS.

* § I. Opiniones. — § II. Thesis. — * § III. Fusiùs evolvitur tertium argumentum. — * § IV. Argumentum quartum. — § V. Objectionum solutio.

* § I. *Opiniones*. Licèt humana libertas negari nequeat quin evidentiæ contradicatur, non defuère tamen philosophi qui eam negaverint. Non autem unicâ viâ ad eam tollendam ducuntur : alii illam directè, alii indirectè negant. Præcipuas eorum opiniones indicandas suscipimus.

* 1° Non pauci adfuère, præsertìm seculo proximè elapso, philosophi increduli qui libertatem humanam directè impugnaverint, huic argumento multùm insistentes, scilicet nullam adesse posse mentis humanæ determinationem, quin ad eam suscipiendam aliquâ ratione moveatur; alioquin determinatio hæc esset effectus sine causâ. Porrò vel unica ratio menti suboritur, tuncque huic mens humana pareat necesse est; nam si mens sese in partem huic rationi oppositam ferret, determinatio hæc ratione et ideò causâ careret. Vel menti occurrunt rationes oppositæ, tunc-

que mens fortiori cedat necesse est; nulla enim adest causa cur debiliorem partem amplectatur.

* 2° Ex allatâ superiùs Hobbesii opinione de essentiâ libertatis, sequitur illum computandum esse inter philosophos qui libertatem humanam negant. Quum enim vera libertatis essentia consistat in facultate internâ eligendi quod libuerit, volendi aut nolendi, ut dictum fuit in præcedenti paragrapho, sequitur Hobbesium reverà libertatem tollere, facultatem hanc internam negando, quamvis ille quamdam libertatem externam agnoscat.

* 3° Nec libertatem agnoscit Humius, quippè qui, quum causæ penitùs tollat notionem, jam ille non potest agnoscere in homine causam liberam. Scilicet experientia quæ, juxta hunc philosophum, unica est cognoscendi via, nobis testatur varios eventus sibi succedere, sed nullo modo demonstrat priorem esse sequentis causam. Quâ opinione positâ, nec libertas agnosci, nec præcepta morum proponi possunt absque contradictione. Sed vidimus experientiam non esse unicam cognoscendi viam; sunt alii cognitionum fontes quos inter ratio pura quæ notionem causæ tradit.

* 4° Libertatem humanam negant Materialistæ qui hominem machinis similem esse fingentes, hunc legibus mechanicis regi indè contendere debent, reipsâque contendunt, nisi ii sibi contradicant. Porrò Materialistarum opinio falsa est, ut constat ex probatis in Ontologiâ.

* 5° Libertatem humanam negant, aut saltem ad eam negandam ducuntur Pantheistæ et Athei qui omnia fato aut necessitati tribuunt. Si enim entia quæ nos contingentia vocamus, enti divino coæterna sunt nec aliud sunt præter phænomena quibus manifestantur necessariæ evolutiones substantiæ unicæ, patet tunc non adesse libertati locum. Si entia quæ nos contingentia vocamus, non

sunt nisi ingenii mei ideæ, ut contendit Fichte, sequitur omnia contingentia juxta easdem leges evenire ac sibi ideæ concatenantur, ita ut ordine logico, et proindè necessario eveniant. Quam conclusionem admittunt Pantheistæ germani, et inter cæteros, præter Fichte, Hegel qui ideò opus edidit cui titulus : *Logica entis*. Alii tamen qui Pantheistarum opiniones tenent aut saltem iis favent, admittendo nempè quædam Pantheistarum principia, non ideò semper omnes pantheismi consequentias admittunt et, quamvis pantheismus ad libertatem negandam apertè ducat, ii tamen non negant libertatem humanam. Quidquid sit, falsa esse Pantheistarum, Autotheistarum et Atheorum quorumcumque systemata demonstravimus in Theodiceâ : ergò non ex eorum principiis neganda est humana libertas.

* 6° Libertatem humanam negare deberent, si ipsi sibi concordes remanerent, qui sive Pantheistæ sint, sive non, germanorum philosophorum vestigiis insistentes, quales inter nos sunt domini Cousin et Jouffroy, contendunt historiam aut generalem, aut saltem historiam Philosophiæ, non ex testimoniis, sed à priori conjiciendam conscribendamque esse. Quomodò enim, seclusis testimoniis, certò dignosci potest quænam facta et quo ordine evenerint aut eventura sint, nisi supponatur omnia juxta leges præscriptas fieri, et aut sibi ordine logico succedere, aut secundùm necessitatem naturæ entis supremi et unicè existentis evenire? Sed ista hypothesis autotheismum aut pantheismum sapit, et, ex allegatis in Theodiceâ, confutata jam remanet. Monemus tamen dominos Cousin et Jouffroy confiteri hominis libertatem, undè mirum mihi prorsùs videtur quòd illi amplexi fuerint systema historiæ à priori conscribendæ.

* 7° Quamvis libertatem generatim agnoscant fabellarum pseudo-heroicarum aut dramaticarum conscriptores, ii tamen sæpè sæpiùs suos heroes à patratorum scelerum culpâ eximunt, quasi ardentiori cupiditate impulsi aut circumstantiis urgentibus in crimen conjecti, libertate caruerint. Porrò non valet ista excusatio; crimine enim vacare nequit ille qui cupiditate ad scelus admittendum impellitur, nisi omninò tollatur libertas. At 1° vulgò non ita vehemens est cupiditas ut totam libertatem evertat; et 2° saltem indirectè liberum remanet scelus quod admittitur, nam plerùmque cupiditates libenter fovent et incendunt, nedùm nascentes coerceant, fabellarum istarum heroes.

* 8° Contendunt quidam philosophi increduli tolli libertatem humanam ab auctoribus catholicis qui divinæ præscientiæ, aut providentiæ, aut gratiæ supernaturalis dogmata tenent. Jam occurrimus in Theodiceâ quibusdam ex eorum argumentis.

* 9° Libertatem etiam negârunt plures hæretici, malè ejus naturam definientes nomenque, non rem ipsam, retinentes, ut Janseniani, aut eam apertè negantes, ut plures alii. Istorum opiniones fusiùs exponendas confutandasque theologis relinquimus.

THESIS.

§ II. *Mens humana libertate prædita est.*

Probatur pluribus argumentis.

Argumentum primum, ex sensu intimo.

Libertas est potestas agendi quæ non aguntur, aut non agendi quæ aguntur : atqui ex sensu intimo et experientiâ constat mentem humanam hâc potestate præditam esse. Constat enim 1° nos antè quàm agamus, posse deliberare

utrùm nobis hìc et nunc agendum sit, necne, et quod libuerit eligere : imò et agenda in posterum multò antè quàm peragantur prævidere et prædestinare. 2° Nos inter agendum posse non agere quod agimus, aut agere quæ omittimus; nos sæpè contra propensiones reluctari et ea non peragere in quæ nos vehementiùs inclinat sensibilitas. 3° Demùm nos post actum pravum à conscientiâ remorderi, tanquàm de crimine ultrò admisso; post actum autem bonum intùs delectari, tanquàm de actu quem omittere poteramus. Ergò, etc.

Argumentum secundum, ex ordine morali, sociali et religioso.

Admittendus est ordo tum moralis, tum socialis, tum religiosus, atqui ordines illi supponunt hominem liberum esse : nam absque libertate nullus ex iis stare potest.

1° Quidem stare nequit ordo moralis. Sublatâ enim libertate, sequitur nullum adesse discrimen inter vitium et virtutem, nulla esse officia implenda; nullum adesse meritum vel demeritum; nullam mercedem bonis actibus, nullam pravis pœnam esse retribuendam, ut patet, ergò, etc.

2° Nec stare potest ordo socialis. Ad quid enim conduntur leges, decernuntur mercedes, irrogantur pœnæ, fœderibus gentes conjunguntur, contractus ineunt privati, nisi quisque liber sit et legibus parere, et pactis conventisque stare pro libito possit? Ergò, etc.

3° Nec stare potest ordo religiosus. Solvuntur enim quælibet erga Deum officia, tollitur omnis cultus, si homo liber non est Deo præstandi quæ ipsi debita existimantur. Ergò, etc. Aliundè, etc. Ergò, etc.

Argumentum tertium, ex consensu omnium.

Non solùm omnes homines, præter paucos quosdam

incredulos qui sensum communem rejiciunt, apertè fatentur se et cæteros liberos esse; sed, etsi illud ultrò non confiterentur, hoc tamen sequeretur ex iis quæ quotidiè fiunt apud omnes populos, quum omnes ordinem moralem, socialem et religiosum agnoscant. Ergò, etc.

* § III. *Fusiùs evolvitur tertium argumentum.*

* Reverà qui ordinem moralem, socialem et religiosum agnoscit, simul et libertatem confitetur, quum nullus ex iis ordinibus stare queat absque libertate : atqui omnes agnoscunt ordinem moralem, socialem et religiosum. 1° Quidem moralem; agnoscunt enim tum adesse discrimen virtutem inter et vitium, hinc concordes sunt in improbandis criminibus, collaudandis autem iis quæ præclarè geruntur; tum adesse meritum et demeritum; tum mercedes aut supplicia in alterâ vitâ rependenda esse singulis, prout se in terris gesserunt. Ergò 1° omnes ordinem moralem agnoscunt.

* 2° Agnoscunt et omnes ordinem socialem. Leges enim condunt societatum rectores, præmia benè de societate meritis decernunt, sontes verò plectunt suppliciis : privati inter se contractus ineunt, etc.; ergò agnoscunt omnes ordinem socialem.

* 3° Agnoscunt insuper ordinem religiosum, omnes enim Deum confitentur, timent, colunt, deprecantur, sacrificiis piant; atqui, sine libertate, Deus esset peccati auctor et iniquè de sontibus pœnas reposceret, etc. Ergò, etc. Aliundè, etc. Ergò, etc.

* § IV. *Argumentum quartum.*

Ex discordiâ quæ inter sophistarum doctrinam eorumque agendi rationem intercedit. (*Ex phil. Lugdun. depromptum directumque præsertim adversùs pseudophilosophos seculi proximè elapsi.*)

* Hinc sophistæ isti ferream quamdam necessitatem in omnibus deprehendunt; illinc omnimodam libertatem sibi dari postulant. Plenis enim buccis contentisque faucibus clamitare non desinunt : libertas sentiendi, libertas loquendi, libertas quidquid libuerit typis mandandi! Perpetuò expostulant quòd frenum injiciatur insanæ quâ laborant prurigini sua dogmata prædicandi, et præcepta populis regibusque obtrudendi. Docent hominem fato quodam constringi; penès ipsum non esse aliter velle et agere quàm vult et agit; eum non posse jugum excutere quod ipsi imponunt immutabiles motûs leges : en amicissima sophistarum dogmata. Si autem auctoritas publica quædam ipsorum scripta proscripserit, ut fidei morumque integritati consulat; si effrenam eorum licentiam intra justos limites coercere nitatur; tunc furere, bacchari, et magistratus traducere, quasi totidem tyrannos et philosophicæ libertatis oppressores. Hoc verò quid aliud est, quàm sibi turpiter contradicere? Ergò, etc.

§ V. *Principia solutionis et solutiones objectionum.*

Ut faciliùs solvantur objectiones, notandum est quid præcisè contendamus. Porrò, quum non unius generis sit libertas, hìc de libertate morali tantùm agere intendimus, illâ scilicet, cujus essentiam in præcedenti paragrapho exposuimus. Nec contendimus mentem humanam in omnibus omninò actibus liberam esse, sed in plurimis tantùm. Agnoscimus enim adesse plures causas quæ liberum tollunt vel minuunt, de quibus agemus in paragrapho proximè sequenti.

Ex opinionum expositione videtur plurimos esse qui libertatem indirectè tollunt. Hìc confutanda non suscipimus omnia systemata quæ ad negandam libertatem ducunt; de iis enim plerisque suo cujusque loco agitur.

Subjungemus solutionem illarum solummodò objectionum quarum solvendarum non occurrit anteà occasio. At objectiones illæ rem adeò patentem impugnant, ut ipsis eodem ferè modo responderi posset ac respondit apud veteres philosophus quidam sophistæ motum neganti : nempè ipso præsente ambulavit. Sic et quidquid subtiliùs contra libertatem congerere nitantur; attamen me ad agendum vel non agendum me metipsum determinare posse conscius sum.

Objicies 1° Libertas non potest ex sensu intimo probari. Ergò, etc.

Resp. Nego antecedens. Constat ex thesi nostrâ libertatem probari posse ex sensu intimo. Ergò, etc.

Inst. 1° Conscientia non testatur nisi ea quæ experimur : atqui non experimur libertatem. Ergò, etc.

Resp. Nego minorem. Experimur enim nos posse non agere quandò agimus, aut agere quandò non agimus. Ergò, etc.

Inst. 2° Ut experiremur libertatem, oporteret ut conscii essemus potestatis non agendi ea quæ peragimus; atqui hujus potestatis non sumus conscii; ergò, etc.

Resp. Nego minorem. Patet cuique consideranti quomodò afficiatur dùm agit, se conscium esse hujus potestatis. Ergò, etc.

Inst. 3° Non sumus conscii facultatum mentis, nisi quandò illæ ad actum deveniunt : atqui potestas non agendi ad actum non devenit quandò agimus; ergò non sumus conscii potestatis non agendi ea quæ peragimus.

Resp. 1° *Retorqueo argumentum.* Si valeret objectio, sequeretur eâdem ratione non posse fatalismum ex sensu intimo demonstrari, admittendum enim esset sensum intimum testari tantùm potestatem quâ agimus, silere verò

de potestate non agendi; et indè potestatem non agendi quandò agimus, nec probari, nec impugnari posse ex sensu intimo.

Resp. 2° *Nego minorem.* Potestas non agendi ad actum devenit, etiam quandò agimus; nam illa non discrepat ab ipsâ agendi potestate quæ devenit ad actum. Qui enim inter actum et omissionem actûs eligit, eâdem eligendi facultate potuisset omissionem actûs statuere, quâ statuit se acturum; ergò, etc.

Objicies 2° Anima humana non est activa; ergò non est libera.

Resp. Nego antec. Negari nequit animam humanam activam esse, quin vis recto sensui inferatur. Activitatis suæ sibi conscia est mens humana. Hanc quidem activitatem negant Sensualistæ materialistæ qui animam humanam materiæ inerti similem esse fingunt; sed opinio Materialistarum jam confutata manet ex dictis in Psychologiâ rationali, hodièque in scholis ista opinio deseritur.

Inst. 1° Quidquid in homine fit ad sensationem reducitur; ergò, etc.

Resp. Nego ant. Ex dictis in Logicâ, variis in locis, sequitur ad sensationem non reduci omnes operationes mentis humanæ, nec ampliùs objicienda nobis est obsoleta Sensualistarum opinio.

Inst. 2° Sensûs tantùm, non activitatis humanæ conscii sumus; ergò, etc.

Resp. 1° *Nego ant.* Conscii sumus deliberationis, electionis, volitionis, etc., quæ omnia sensus non sunt; sed activitatem animæ demonstrant. Ergò, etc.

Resp. 2° *Nego consequentiam.* Etiamsi sensûs tantùm conscii essemus, non sequeretur omnes operationes mentis esse sensationes. Nam, ex unâ parte, licèt operationes

mentis sensum sui faciant, illæ tamen confundi non debent cum hoc sensu quem sui producunt, ab eo enim naturâ differunt, nec unquàm causa cum effectu confundi debet. Ex alterâ autem parte, omnes sensus non sunt sensationes; sensationes enim oriuntur ex commotione factâ in organis corporeis; multi autem sensus ipsi animæ sunt intrinseci. Ergò etc.

Inst. 3° Etiamsi mens esset passiva, eosdem deliberationis, electionis, volitionis, etc., sensus experiretur; ergò, etc.

Resp. Nego ant. Si mens esset passiva, illa non experiretur se ipsam producere illos actus. Imò illa nihil omninò experiretur, iners esset et quolibet sensu carens, non secùs ac materia, aut stipes, aut cadaver. Ergò, etc.

Inst. 4° Cùm anima deliberat, eligit, vult, unius tantùm conscia est, nempè se sentire deliberationem, electionem, volitionem : atqui idem sentiret, etiamsi illas modificationes passivè reciperet; ergò, etc.

Resp. Nego majorem. Ut jam diximus, mens non solùm conscia sibi est se sentire deliberationem, electionem, volitionem; sed et se illas modificationes producere. Ergò, etc.

Inst. 5° Falsò existimamus à nobis produci motus corporis; ergò à pari, etc.

Resp. 1° *Nego ant.* Adsunt plures sententiæ ut explicetur quomodò anima agat in corpus, et vicissim corpus in animam. Has exposuimus sententias in Psychologiâ rationali, diximusque, nostro saltem judicio, probabilius esse quòd ipsa anima vim habeat movendi corpus. Huic sententiæ constantes negamus antecedens, quod insuper probare non possent adversarii. Ergò, etc.

Resp. 2° *Nego consequentiam et paritatem.* Etiamsi

falsò existimaremus à nobis produci motus corporis, non sequeretur idem dicendum esse de deliberatione, electione, volitione, etc. Ratio disparitatis est quòd sensus intimus nobis testatur animam activam esse in deliberatione, electione, volitione, etc., et profectò sensus intimus potest illud testari, quum hæc omnia intra mentem peragantur, dùm ille silet de motibus corporis, utpotè extrinsecis animæ. Ergò, etc.

Inst. 6° *cum Baylio.* Bracteola versatilis quæ ad omnem auram mobilis esset, et cui imprimeretur motûs sui desiderium, si à vento moveatur, et ignoret à vento se impelli, à seipsâ moveri existimabit; ergò à pari existimare possumus à nobis produci deliberationes, electiones, volitiones, etiamsi illæ à causâ extrinsecâ in nobis producerentur.

Resp. Nego ant. Si detur huic bracteolæ versatili conscientiæ facultas, qualis nobis indita est, illa conscia tantùm erit sui desiderii suique motûs, conscia erit se moveri à causâ quâdam extrinsecâ, non autem se producere motum quo agitatur : etenim sensus intimus res refert prout sunt, nec testari potest quæ non experimur. Ergò, etc.

Inst. 7° Producere volitiones esset creare; atqui homo creare non potest; ergò, etc.

Resp. Nego majorem. Creatio propriè dicta e nihilo producit substantias; sed quandò producuntur volitiones, substantiæ non producuntur. Ergò, etc.

Objicies. 3° Si homo liber esset, ipse esset causa volitionum suarum : atqui homo non est causa volitionum suarum; ergò, etc.

Resp. Nego min. Homo sibi conscius est se volitiones suas producere, ergò ipse est causa volitionum suarum.

Inst. 1° Responsio supponit causam definiendam esse : *Illud quod rem aliam producit*, seu, *id cujus vi existit aliud :* atqui non valet ista causæ definitio ; ergò nulla est responsio.

Resp. Nego minorem. Valet nostra causæ definitio, hæc enim exprimit quid intelligendum sit per causam quam vocant efficientem : porrò, ex dictis in Ontologiâ generali, causa efficiens sola causæ propriè dictæ nomen habere debet ; ergò, etc.

Inst. 2° Tua definitio causæ in meram tautologiam relabitur, esse enim causa et producere idem sonant, ergò tua definitio non valet.

Resp. Nego consequentiam. Ex dictis in Logicâ, patet omnem definitionem tautologiam, seu potiùs identitatem, exprimere debere : si enim definitio et res definita non idem sonarent, definitio non esset reciproca, et proindè non valeret. Objectio igitur nostram definitionem confirmat, nedùm illam evertat. Reverà, si causa esse et producere idem sonant, sequitur illud esse causam, quod producit aliquid. Mirum ergò quòd adfuerint scriptores adeò libertatis humanæ tollendæ studio excæcati, qualis est inter cæteros Humius, ut sibi tam apertè contradicere non dubitaverint, et agnoscentes objicientesque quòd causa esse et producere sint verba prorsùs synonyma, indè concludere velint causam definiri non posse illud quod producit aliquid. Ergò, etc.

Inst. 3° Causa definiri debet : *Illud quod idem eventus constanter sequitur ;* ergò tua definitio non valet.

Resp. Nego antec. Non valet ista causæ definitio ; multi enim eventus alios constanter præcedunt, licèt priores non sint posteriorum causa. Sic unius cujuslibet stellæ ortum alterius ortus præcedit ; stella tamen quæ prior oritur

non est causa cur subsequens oriatur. Ut valeat definitio causæ, tolli non debet vis efficientis idea, quum ex ipsomet adversario causa esse et producere sint verba omninò synonyma. Ergò, etc.

Inst. 4° Experientia sola est cognoscendi via : atqui experientia testatur tantùm sibi eventus succedere, non verò testatur inesse priori vim efficientem quâ producatur subsequens; ergò causa definienda est : *Illud quod idem eventus constanter subsequitur.*

Resp. Nego majorem. Hæc objectio, non secùs ac præcedentes, Humii est, qui falsam de ideâ theoriam habet, aut Sensualistarum qui, quum omnes animæ humanæ facultates ad sensationem reducant, consequenter tollere debent quiquid sensus corporeos fugit. Porrò sensus quidem testantur constantem eventuum seriem; sed illi apprehendere non valent illam connexionem eventuum inter se, quâ alter existit vi quâdam efficaci præcedentis. Si igitur, ut Sensualistæ contendunt, sensatio, sive experientia sola esset cognoscendi via, haberi non posset idea causæ. Sed in Logicâ demonstravimus aliam esse cognoscendi viam præter experientiam, nempè rationem puram e quâ causæ notionem haurimus. Et verò nullus est quem fugiat causæ notio, nullus qui non existimet illud causam esse, quod alterum producit. Ergò, etc.

Objicies. 4° Falsò dicitur hominem esse liberum, et frustrà allegatur, ad demonstrandam ejus libertatem, quòd ille deliberat, eligit statuitque agenda, contra propensiones sensibilitatis reluctatur, post actus pravos conscientiâ remordetur, post bonos autem sensu jucundo delectatur, si anima humana in his omnibus ineluctabiliter trahitur rationibus quæ ad agendum illam movent : atqui res ita est; ergò, etc.

Resp. Nego minorem. Anima non trahitur ineluctabiliter rationibus quæ illam movent ad agendum, siquidem ipsa potest inter rationes illas eligere quam libuerit; ergò, etc.

Inst. 1° Vel unica ratio movens ad agendum menti suboritur, vel menti occurrunt rationes oppositæ, vel demùm nulla ratio præstò est : atqui in quolibet casu mens ineluctabiliter trahitur in partem quam amplectitur; ergò, etc.

Resp. Nego minorem. Ut mens ineluctabiliter traheretur, oporteret ut non posset inter rationes eligere et singulis resistere : porrò argumentum nullo modo probat mentem carere potestate eligendi et resistendi. Ergò, etc.

Inst. 2° Si mens ad agendum sese determinaret quandò nulla ratio ad agendum movens præstò est, vel quandò unica adest ratio ab agendo revocans, vel quandò inter duas rationes oppositas valentior ab actu retrahit, tunc mens ageret sine ratione movente : atqui mens agere non potest sine ratione movente ad actum, adesset enim effectus sine causâ; ergò, etc.

Resp. Distinguo majorem. Mens agit sine ratione movente, quandò nulla ratio ducta sive ex parte sensibilitatis, sive ex parte intellectûs, sive ex parte voluntatis ad agendum movet, *concedo majorem.* Quandò adest saltem ratio ducta ex parte voluntatis, *nego majorem.*

Ad minorem distinguo similiter. Mens non potest agere absque ratione movente ad actum, ductâ saltem ex parte voluntatis, *concedo minorem;* ductâ ex sensibilitate aut intellectu, *nego minorem et consequentiam.*

Ad probationem minoris, distinguo antecedens in eodem sensu. Adesset effectus absque causâ, si ne ex parte voluntatis quidem daretur aliqua ratio ad agendum movens, *concedo antecedens;* si non præstò est aliqua ratio

ex parte sensibilitatis aut intellectûs, *nego antecedens et consequentiam.*

Ut probetur responsio satis erit ostendere rationem quæ ad agendum movet posse duci ex ipsâ et solâ voluntate : atqui non solùm id constat; sed et rem propiùs inspicienti compertum erit quòd, etiam quum ad agendum movemur aliquâ ratione depromptâ ex sensibilitate aut intellectu, concurrit tamen ratio petita ex voluntate, hancque rationem esse ultimam quæ ad agendum determinat. Quod ut intelligatur, animadvertendum est quomodò rationes ex triplici hoc fonte, nempè sensibilitate, intellectu et voluntate ductæ, singulæ in actus nostros influant.

Tres illæ rationes possunt concurrere, at aliquandò nos ex solo voluntatis libito nos determinamus : sic, si supponatur aliquem æqualibus et oppositis rationibus ex intellectu aut sensibilitate acceptis ad aliquid agendum simulque ad id non agendum moveri, numquid ille anceps necessariò remanebit? Nonne potest homo ille unam partem, alterâ neglectâ, sequi? Numquid homo deambulans cui bivium occurrit, nulla verò suboritur ratio ad sinistram potiùs quàm ad dextram gressus inflectendi, quem nulla delectatio major aut hâc, aut illâ parte trahit, in ipso bivii ingressu dubius necessitate retinebitur? Undè ergò sese tunc determinat, nisi ex libito voluntatis? Porrò, quandò ex libito voluntatis agendi consilium inimus, liberè agimus, hæc est enim libertatis notio.

Si verò intellectus videat aliquid agendum expedire, movet quidem voluntatem ut agat, actum suadendo; at voluntas compos remanet non agendi; et si sese illa ad agendum determinet, ultimam rationem agendi e proprio libito repetit: *Video meliora proboque, deteriora sequor,*

ait poeta cui assentiuntur quicumque experientiam testem adhibent.

Sensibilitas impellere etiam ad actum aut ab eo retrahere potest. Sed quotiès nostri manemus compotes, voluntas imperium sui servat, hæc sensibilitati potest non parere, delectationi officium anteponere possumus. At si sensibilitatem allicientem sequamur, iterùm ultima ratio agendi desumitur e proprio voluntatis libito. Hinc in nullâ hypothesi voluntas libertate caret.

Inst. 3° Voluntas non potest sese determinare absque ratione ductâ ex sensibilitate aut intellectu; ergò cadit allata responsio.

Resp. Nego antecedens. Absque ullâ probatione negatur posse voluntatem sese determinare absque ratione ductâ ex sensibilitate aut intellectu. Allegant quidem hanc determinationem fore effectum sine causâ : at infirma est hæc probatio; voluntas enim ipsa causa est volitionis quam producit, nec illa indiget causâ externâ et antecedenti quâ moveatur, quum ipsa activitate prædita sit.

Et verò eamdem argumentationem ac nos adhibet Cicero, (*De fato*, n° XL.) cujus hic præclara verba referre juvat. « Communi igitur, inquit, consuetudine sermonis abuti« mur, cùm ita dicimus, velle aliquid quempiam, aut nolle « sine causâ. Ita enim dicimus *sine causâ*, ut dicamus « sine externâ et antecedenti causâ. Ut, cùm vas inane « dicimus, non ita loquimur ut physici, quibus inane esse « nihil placet; sed ita ut, verbi gratiâ, sine aquâ, sine « oleo, vas esse dicamus : sic, cùm sine causâ animum « moveri dicimus, sine antecedente et externâ causâ mo« veri, non omninò sine causâ dicimus..... Ad animorum « motus voluntarios non est requirenda externa causa : « motus voluntarius eam naturam in seipso continet, ut

« sit in potestate nostrâ nobisque pareat : nec id sine causâ; « ejus enim rei causa ipsa natura est. »

Inst. 4° Semper adest aliqua ratio secreta aut ex parte sensibilitatis aut ex parte intellectûs quæ nos, licèt hujus nescios, ad agendum movet, et ideò homo positus in bivio, cujus superiùs allatum est exemplum, non consistit viæ tenendæ dubius. Ergò reverà voluntas non potest sese determinare absque ratione aut ex parte sensibilitatis, aut ex parte intellectûs ductâ.

Resp. Nego antecedens eo quòd hujus probatio desit. Quo nituntur argumento, ut tam confidentur illud affirment, an observatione, an ratiocinio? Neutro quidem. Non observatione; quum fateantur rationem quæ movet ad agendum secretam esse, nosque hujus esse inscios. Nec ratiocinio; non enim aliquam rationem externam et secretam nos hujus ignaros ad agendum movere demonstrare tentant, nisi supponendo voluntatem non posse ex se ipsâ sese determinare : atqui ratiocinium illud est petitio principii; hoc enim id supponit quod in quæstionem vertitur.

Et verò quid juvat ratio illa secreta cujus inscii sumus? Quomodò possumus ad agendum moveri ratione secretâ quæ nos latet? Ergò, etc.

Inst. 5° Homo propriam felicitatem necessariò sectatur in omnibus, ergò ratione aliquâ utilitatis aut jucunditatis semper trahitur, licèt non advertat se hâc ratione moveri.

Resp. Distinguo antecedens. Homo propriam felicitatem necessariò sectatur desiderio generali, *concedo antecedens.* Ille necessariò sectatur talem vel talem felicitatem determinatam, *nego antecedens. Consequentiam autem in utroque casu nego.*

Concedimus hominem necessariò felicitatem quærere;

quum verò plurimæ sint viæ quæ nos ad felicitatem ducere videntur, datur nobis optio, et, ut fert adagium, trahit sua quemque voluptas. Alius hâc viâ, alius illâ felicitatem consequi nititur, sicque mens remanet libera eligendi quod libuerit, licèt ipsa necessariò feratur in felicitatem.

Consequentiam autem in utroque casu negavimus, eo quòd nullo modo sequatur ex antecedente hominem semper trahi aliquâ ratione utilitatis aut jucunditatis; incompleta enim est hæc disjunctio. Fieri namque potest ut nec utilitate, nec jucunditate trahamur; sed felicitatem nostram reponamus in agendo quod voluntati nostræ libet. Reverà certum est 1° nos non semper sectari quod magis utile est. Sic sæpissimè homines voluptatem utilitati anteferunt. 2° Aliquandò autem voluptatem postponimus utilitati. 3° Demùm aliquandò nec utile, nec jucundum sectamur, sed partem amplectimur quæ magis voluntati libet. Sunt enim plurima in quibus tota ratio agendi est voluntas agentis. Sic ille cui recreationi vacaturo deambulanti occurrit bivium, non remanet incertus in bivio, licèt nulla major utilitas aut jucunditas hâc viâ potiùs quàm illâ ingrediendo ipsi consequenda videatur; sed eligit proprio motu voluntatis viam quam libet ingrediendam, ut jam diximus, utque testatur experientia. Ergò, etc.

Inst. 6° Voluntas ex se ipsâ indifferens est ad actum, siquidem illa potest agere vel non agere; ergò necesse est ut ad agendum moveatur aliquâ ratione extrinseeâ.

Resp. 1° *Retorqueo argumentum.* Si voluntatem ad actum movere debet aliqua causa extrinseca, rursùs hæc causa alterâ extrinsecâ pariter indigebit, quâ moveatur, sicque in infinitum, vel demùm dabitur tandem causa quæ sese

determinare possit ad agendum absque novâ causâ extrinsecâ.

Resp. 2° *Distinguo antecedens.* Voluntas ex se ipsâ indifferens est ad actum, id est, potest actum ponere aut non ponere pro libito, *concedo antecedens.* Id est ita indifferens est ad actum, ut ipsa debeat semper aliquâ causâ externâ moveri, *nego antecedens et consequentiam.*

Reverà cavillosâ æquivocatione nititur hæc argumentatio. Voluntas quidem est indifferens ad actum, eo sensu quòd possit illum ponere, vel non, quum libera sit : sed falsum est voluntatem ita esse indifferentem ad actum, ut non possit proprio motu sese determinare. Namque, ex unâ parte, adversarii semper illud supponunt absque probatione, licèt sit ipsa res de quâ agitur controversia; ex alterâ verò recurrit iterùm exemplum jam allegatum hominis in bivio positi, qui non hæret, licèt nullâ ratione externâ ad sese determinandum moveatur. Ergò, etc.

Inst. 7° At saltem mens determinatur ad agendum ultimo judicio quod profert : atqui determinatio hæc est necessaria; est enim effectus istius judicii : porrò quilibet effectus causæ necessariò jungitur; ergò, etc.

Resp. 1° *Nego majorem.* Voluntas non determinatur ultimo judicio quod profert, sed ultimâ volitione quam elicit. Reverà, vel voluntas ad agendum determinatur absque ratione externâ, aut propter rationem sumptam ex sensibilitate, aut demùm propter rationem sumptam ex intellectu. Atqui in nullo casu voluntas determinatur ultimo judicio, sed ultimâ volitione. 1° Quidem illud patet, si nullâ ratione extrinsecâ voluntas moveatur ad agendum; tunc enim, ex hypothesi, nullum est judicium voluntatem movens ad agendum. 2° Si voluntas moveatur ad agendum propter rationem sumptam ex sensibilitate,

pariter illa non determinatur propter ultimum judicium; necesse enim non est ut supponatur aliquod judicium intercedere quo voluntas moveatur ad indulgendum sensibilitati, quùm econtrà sæpissimè judicium nobis suadeat motibus sensibilitatis non parere. Sed voluntas potest proprio libito sensibilitati sua placita permittere. 3° Demùm etiamsi voluntas propter aliquam rationem sumptam ex intellectu sese ad agendum determinet, nec tunc illa determinatur ultimo judicio quod profert. Voluntas enim, quotiès potest agere vel non agere, semper ultimò determinatur proprio libito; ut jam plurièes diximus. Reverà constat voluntatem posse plerùmque saltem sese determinare ad agendum vel non agendum, etiam quandò aliquâ ratione extrinsecâ movetur, ut probant sensus intimus omniaque argumenta allegata in nostrâ thesi. Ergò ultima ratio semper intrinseca est, et desumenda ex libito voluntatis; aliter enim nullum esset agnoscendum in voluntate libitum et illa non gauderet facultate agendi aut non agendi quæ tot tamque firmis argumentis comprobatur.

Resp. 2° *Distinguo minorem.* Determinatio hæc est necessaria, si supponatur non adesse libitum voluntatis, *concedo minorem;* si supponatur illud adesse, *nego minorem.* Solutio patet ex dictis in responsione præcedenti.

Resp. 3° *Ad probationem minoris, distinguo majorem in eodem sensu.* Si supponatur non adesse libitum voluntatis quandò aliquo judicio movemur ad agendum, determinatio voluntatis est effectus istius judicii, *concedo majorem,* si supponatur adesse libitum voluntatis, ut plerùmque fit, *nego majorem.* Patet similiter hæc solutio.

Resp. demùm 4° *Nego minorem probationis, scilicet quemlibet effectum causæ necessariò jungi.* Reverà auc-

tores qui illud nobis objiciunt, intelligunt effectnm necessariò jungi causæ, eo quòd causa et effectus sint duo correlata, ita ut quicumque de effectu loquitur, aliquam causam supponat necesse est. Sed hæc est miserrima cavillatio. Causa quidem et effectus sunt duæ ideæ quarum altera alteri logicè jungitur. Sed numquid indè sequitur quamlibet causam ità effectui suo conjungi ut semper illum producat necessariò? Vides quot argntiis utantur Fatalistæ, ut adeò evidentes libertatis probationes evertant.

Inst. 8° *et prob. majorem negatam.* Ex responsione sequitur dicendnm esse volnntatem sese determlnare quia sese determinat, ipsam velle quia vult; juxta te enim semper propter libitum sese ultimò determinat : atqui absurda est illa responsio; hæc enim est circulus vitiosus; ergò nulla responsio.

Resp. Nego minorem. Absurdum non est dicere animam velle quia vult; hoc enim significat animam propriâ et internâ vi sese determinare, hanc non indigere causâ extrinsecâ movente ut sese determinet : atqui illud negare absurdum esset, nedùm illud dicere absurdum sit. Qui enim illud negaret, non solùm contradiceret evidentissimis argumentis quibus libertas humana comprobatur; sed et cogeretur aut absurdum causarum progressum in infinitum admittere, aut propriis terminis confiteri quod impræsentiarnm negat. Reverà, ut jam snperlùs diximus, si voluntas causâ externâ indiget ut sese determinet, rursùs cansa hæc externa alterâ indigebit ut sese determinet, sicque de singulis, admittendusque erit infinitus causarum externarnm progressus. Agnoscendum igitur propriis terminis quod negat adversarius, nempè demùm absurdum non esse causam aliquam existere, quæ nullâ ratione externâ moveatur ad sese determinandum, quæ

vi propriâ et internâ sese determinet, id est, quæ sese determinet, quia sese determinat, quæ vult quia vult.

Et verò nihil officit circulus vitiosus nobis objectus. Quemadmodùm enim vidimus in Logicâ criterium certitudinis non posse probari absque circulo vitioso, eo quòd ultima sit ratio certitudinis; et circulum vitiosum in quâlibet ejus probatione conficiendâ inclusum præcipuam esse notam ipsiusmet criterii certitudinis, nedùm huic noceat : ita et responsioni nostræ nullo modo officit, suffragatur econtrà circulus objectus; ostendit enim nos adeò ultimum activitatis humanæ causam indicasse, ut non possit altera anterior assignari, nisi in eamdem recidatur. Ergò, etc.

Inst. 9° Voluntas non potest velle aliter ac vult, ergò nulla responsio.

Resp. Nego ant. Voluntas enim potest nolle quod vult, aut velle quod non vult. Ergò, etc.

Inst. 10° Vel voluntas movetur ratione ductâ ex sensibilitate, vel ratione ductâ ex intellectu, vel demùm proprio motu sese determinat ad agendum : atqui quælibet pars admittatur, fatendum est voluntatem non posse velle aliter ac vult : statìmque probo minorem. 1° Sensibilitas non est libera, non possumus sensu jucundo non recreari, injucundo non angi. 2° Intellectus non est liber, non possumus ideas et perceptiones habere quas volumus, non possumus non ferre judicia quæ nobis vera videntur. 3° Demùm voluntas ipsa non potest supponi aliter velle ac vult; tunc enim adesset contradictio, vellet et simul non vellet idem; ergò, etc.

Resp. 1° *Concedo majorem,* modò non excludatur determinatio ultima ex voluntate procedens, etiam quum ipsa aut sensibilitate, aut intellectu movetur ad sese determinandum.

Resp. 2° *Nego minorem*, cujus ad probationem statim devenio.

Resp. 3° *Ad probationem minoris, distinguo primam partem antecedentis.* Sensibilitas non est libera directè, *concedo;* non est libera indirectè, *nego primam partem antecedentis.* Solutio patet ex dictis superiùs in capite in quo de sensibilitate egimus.

Resp. 4° *Distinguo secundam partem antecedentis, in eodem sensu.* Intellectus enim est liber indirectè in plurimis, ut constat ex dictis in parte psychologicâ logicæ nostræ. Quod autem in objectione dicitur de judicio, non mihi planè acceptum est; docuimus enim in Logicâ, aliqua saltem judicia libera esse.

Resp. demùm 5°. *Nego tertiam partem antecedentis.* Redit adhùc nova miserrimaque cavillatio. Non potest quidem absque contradictione supponi voluntatem velle aliter ac supponitur eamdem velle, adessent enim tunc duæ suppositiones contradictoriæ. Porrò nunquàm istud dicere intendimus. Sed ab omnibus qui verba juxta obvium sensum accipiunt, facilè intelligitur illa significare quòd voluntas antè electionem potuisset velle aliter ac nunc vult. Porrò nulla in hoc adest contradictio. Ergò, etc.

Objicies 5°. Agnoscunt omnes valere inductionem in rebus moralibus, hæc est certitudinis moralis fons simulque fundamentum : atqui non valet inductio moralis, si homo liber est; ergò fatendum est ipsum libertate non esse præditum.

Resp. Nego minorem. Admittenda quidem est inductio in rebus moralibus; sed hæc libertati humanæ non nocet. Ut enim valeat inductio illa, non requiritur ut homines simili modo in paribus circumstantiis necessariò agant; sed sufficit ut illud plerùmque fiat. Ergò, etc.

Inst. 2° Ut valeat inductio in rebus moralibus, oportet ut adsit uniformitas in agendiratione hominum : atqui uniformitas eventuum nota est quâ agnoscitur necessitas. Ergò, etc.

Resp. Distinguo majorem. Necesse est ut adsit uniformitas lata, *concedo majorem :* stricta et perpetuò immutabilis, *nego majorem*, et, *distinctâ minore, nego consequentiam.*

Uniformitas lata non est perpetuò immutabilis, hæc in agendiratione hominum invenitur et libertati non nocet, licèt sit sufficiens ut inductioni morali fundamentum præstet. Nam, ut diximus in Logicâ, ex inductione morali judicari potest tantùm quid plerùmque eveniat. Nec mirum quòd homines in iisdem circumstantiis positi plerùmque eodem modo agant; omnibus enim insunt eædem facultates, probabileque est easdem rationes ad agendum moventes pares effectus consecuturas fore. Si homo liber non esset et ad agendum necessariò sensibilitate aut intellectu moveretur, nulla adesset in agendiratione hominum diversitas, quum eædem recurrerent circumstantiæ. Tunc adesset uniformitas stricta et perpetuò immutabilis, quæ quum non adsit in homine, agnoscendum est illum liberum esse. Ergò, etc.

Objicies. 6° Nullum discrimen adest inter bonum et malum morale; adsunt tantùm actus utiles et actus noxii; ergò libertas probari non potest ex ordine morali.

Resp. Nego antecedens. Huic confutando non immorabimur nunc; posteà enim plurima dicturi sumus ad confutanda quæ allegantur adversùs discrimen inter bonum et malum morale.

Objicies. 7° Mercedes et supplicia non probant libertatem moralem; hæc enim rependuntur et belluis quæ pro-

fectò liberæ non sunt; ergò libertas probari nequit ex ordine sociali.

Resp. Nego antecedens. Mercedes et supplicia probant libertatem moralem : non enim suppliciis sontes tantùm plectuntur ne noceant, sed in ipsis vindicatur ordinis moralis contemptus; attenditur et ad intentionem quæ eos ad admittenda crimina duxit; recluduntur insani ne noceant, de sontibus autem ultio reposcitur : quæ profectò locum non haberent, nisi homo liber judicaretur. Flagellis quidem belluæ castigantur, sed ad intentionem non attenditur; non plectuntur tanquàm peccati moralis consciæ; non eodem igitur modo in eas agitur ac in homines. Imò in belluis agnoscitur libertas aliqua, non moralis, sed physica. Ideò enim illæ flagellis cæduntur, ut aliter in posterùm se gerant. Institui illæ non possent, nisi eligere valerent. Numquid flagellis cæditur horologium quod tardiùs movetur? Sed equus cæditur ut velociùs currat. Itaque dicendum est non plecti pœnis machinas quibus non inest activitas propria; plecti belluas pœnis physicis, quia libertate physicâ fruuntur; plecti autem homines pœnis physicis quidem, sed simul moralibus quia prædití sunt libertate morali. Ergò, etc.

Objicies. 8° Quæ de Deo tenentur libertatem evertunt, nedùm ipsam adstruant; ergò libertas probari nequit ex ordine religioso.

Resp. Nego ant. propter allegata in nostrâ thesi.

Inst. Docetur Deum futuros hominum actus prænoscere, providentiâ suâ singulos dirigere, humanæ voluntati gratiâ suâ adjutorium præstare : atqui hæc omnia cum humanâ libertate stare nequeunt. Ergò, etc.

Resp. Nego minorem. Demonstravimus in Theodiceâ præscientiam divinam humanæ libertati non officere. Gra-

tia divina non magis libertati nocet quàm consilia, adhortationes, minæ, etc. quibus cæteros ad hoc vel illud agendum inducimus. Superest igitur ut de providentiâ dicamus. Porrò non est supponendum Deum decrevisse quomodò mundum regeret, quin cognosceret simul quid acturæ essent creaturæ liberæ et ad earum actus respexerit. Res igitur ita statutæ sunt ut actus hominum, licèt liberi, semper concurrant et inserviant ad finem quem Deus intendit et decrevit. Ergò, etc.

PARAGRAPHUS III.

DE CAUSIS QUÆ LIBERTATEM TOLLUNT AUT MINUUNT.

§ I. Conditiones ut causa aliqua tollat aut minuat libertatem. — § II. Ignorantia et inadvertentia. — § III. Coactio. — § IV. Metus. — § V. Cupiditatum motus.

§ I. *Conditiones ut causa aliqua tollat aut minuat libertatem.* Ex analysi actûs liberi, sequitur illum supponere quasdam conditiones, tum ex parte intellectûs, tum ex parte voluntatis. Scilicet adesse debet cognitio ex intellectûs parte; et ex parte voluntatis adesse debet propensio in actum, sive voluntas agendi; quæ quidem voluntas talis esse debet ut agens possit etiam non velle. Hinc causæ quæ sive cognitionem intellectûs, sive voluntatis propensionem in actum, sive ex parte ejusdem voluntatis tollunt eligendi facultatem, et ipsam libertatem pari ratione tollunt. Quarum causarum præcipuæ nunc expendendæ sunt.

§ II. *Ignorantia et inadvertentia.* Has inter causas recensentur *ignorantia et inadvertentia.* Inter utramque adest discrimen. Adest namque ignorantia *Quandò non cognoscuntur rationes cur agatur aut non agatur.* Adest inadvertentia *Quandò rationes illæ mentem non*

subeunt, licèt eas non ignoremus. Ad ignorantiam aut inadvertentiam referuntur error, oblivio, etc. Porrò tum ignorantia, tum inadvertentia possunt esse vincibiles aut invincibiles. Vincibiles sunt quum depelli possunt adhibitâ communi diligentiâ. Invincibiles econtrà reputantur quum vinci nequeunt adhibitâ communi diligentiâ. Dicimus : adhibitâ communi diligentiâ : vulgò enim non tenentur homines ad adhibendam quàm maximam diligentiam. Si enim quàm maxima in singulis casibus adhibenda esset diligentia, vix impleri possent vitæ communis officia. Invincibiles igitur reputandæ sunt tum ignorantia, tum inadvertentia, si præmissa fuerit diligentia communis ut illæ depellantur.

Porrò tum ignorantia, tum inadvertentia, modò sint invincibiles, tollunt libertatem, non physicam, sed moralem, tollunt enim intellectûs cognitionem, et proindè eligendi possibilitatem. Sic culpandus non est qui, ob inadvertentiam, rem alienam loco propriæ aufert, aut ille qui transgreditur præceptum superioris quod ignorat. Dixi tolli libertatem non physicam, sed moralem. Qui enim, in exemplo proximè allato, ob inadvertentiam rem alienam loco propriæ aufert, potuisset quidem physicè hanc non auferre. Quum autem hic non advertat rem alienam esse, furti non insimulandus est.

Ignorantia et inadvertentia vincibiles libertatem moralem non tollunt ; relinquitur enim facultas removendi quod impedit ne flat officii implendi electio. Si igitur officium prætermittitur ob ignorantiam aut inadvertentiam vincibiles, ista omissio libera est, saltem indirectè et remotè.

§ III. *Coactio*. Coactio est *Vis alicui illata ut aliquid agat aut ab agendo retrahatur*. Voluntas ipsa cogi non potest ; nulla enim vis est quæ possit efficere ut velimus quandiù nolumus ; adesset enim contradictio. Cogi tan-

tùm potest actus exterior; non autem actus voluntatis interior. Multùm tamen valet vis illata, ad superandum renitentis voluntatis conatum. Quandò autem vi superatur voluntas, non quidem evenit ut actus interior voluntatis cogatur, ita ut velimus simul et nolimus, sed voluntas immutatur; et quod anteà nolebamus, jam violentiâ nobis illatâ victi, volumus et amplectimur. Quandò coactioni cedimus, remanet tamen persæpè aliqua repugnantia.

Duplex est coactio, altera quæ infertur, voluntate omninò renitente, vocaturque *absoluta;* altera verò cui voluntas totis viribus non resistit.

Coactio absoluta, ut ex dictis sequitur, non extorquet nisi actum exteriorem, tollitque libertatem hujus actûs. Reverà tunc illum voluntas non potest impedire, quamvis totis viribus renitatur. Nulla igitur adest propensio in actum qui extorquetur, nec facultas illum non producendi. Sic, quum martyrum manibus imponebantur candentes carbunculi qui per exustam manum transmoti in acerrâ subjectâ reciperentur, profectò tunc martyres illi Jovi liberè thus non incendebant.

Coactio non absoluta, id est, ea cui totis viribus voluntas non resistit, minuit tantùm libertatem, modò supersit aliqua repugnantia. Si verò tota tolleretur repugnantia libenterque consensum præberet voluntas, quamvìs ipsi vis primùm illata fuisset, jam omninò liber esset actus; fieret enim cum totâ propensione voluntatis quæ, si actum exteriorem impedire non poterat, at saltem habebat facultatem denegandi consensum.

§ IV. *Metus.* Metus est *Trepidatio quam animo incutit imminentis periculi consideratio.* Metus potest esse *gravis* aut *levis*. Metus gravis *Ille est qui oritur ex gravi periculo.* Metus levis econtrà *Oritur ex periculo levi.* At

notant scriptores metûs gravitatem non æstimandam esse solùm ex gravitate mali imminentis, sed et ex indole cujusque : quod enim homini timido aut mulierculæ grave malum videtur, sæpè parvam aut nullam animi trepidationem viro forti incutit.

Porrò metus levis libertatem non tollit, vixque eam minuere videtur. Quis enim à culpâ eximeret eum qui crimen admittit, levem acûs punctionem reformidans? Metus verò gravis quo mens non remanet suî compos, tollit libertatem, ut patet. Metus autem gravis, quo stante mens remanet suî compos, non tollit, sed vulgò minuit libertatem.

1° Non tollit; remanent enim, ex parte intellectûs, cognitio; ex parte voluntatis, aliqua saltem propensio in actum; demùmque facultas agendi aut non agendi.

2° Minuitur tamen libertas; actus enim ad quem metus impellit, fit cum propensione voluntatis non perfectâ.

3° Dixi libertatem *vulgo*, non semper gravi metu imminui. Metus enim pœnarum justarum quas legislator in legum suarum sanctionem decernit, potest non minuere libertatem. Sic, quamvis lex civilis furtum suppliciis plectat, attamen à furto liberrimè abstinet vir probus. Actus enim aliquis perfectè liber est, quum integræ adsunt tres conditiones quæ actûs cujuscumque libertatem constituunt : atqui, in allato casu, integræ reperiuntur tres illæ conditiones. 1° Quidem ex parte intellectûs adest integra cognitio. Lex enim justa, nedùm tollat officii implendi cognitionem, hanc econtrà magis dilucidè compertam efficit. Nec ullo modo impedit advertentiam. Quandò enim metus advertentiam tollit, maximè ob trepidationem incussam animo, quâ mens non remanet perfectè suî compos. At, experientiâ teste, viro probo nullam animi trepidationem incutiunt supplicia quibus plectendos esse fures decrevit

legislator. Et verò sibi hæc supplicia non imminere judicat vir probus; illa igitur non reformidat. Adest ex parte voluntatis integra propensio. Vir probus enim totâ voluntatis propensione à furto alienus remanet. Imò et propensionem hanc potiùs adaugeret quàm minueret vindictæ metus. 3° Adest demùm facultas agendi aut non agendi : vir enim probus qui non furatur, furari posset; fur verò posset à furto abstinere; ergò, etc.

§ V. *Cupiditatum motus.* Cupiditatum motus vel sunt *antecedentes*, vel *consequentes.* Motus antecedentes dicuntur et à theologis *primò-primi.* Isti sunt motus *Qui subitò oriuntur antequàm mens advertendi et eos comprimendi tempus obtinuerit.* Motus consequentes ii sunt *Qui oriuntur ex deliberato et libero voluntatis consensu*, seu, *à voluntate excitantur aut imperantur.* Motus primò primi, seu motus cupiditatum antecedentes, liberi non sunt; econtrà liberi sunt motus consequentes.

Actus qui fiunt ex motibus cupiditatum antecedentibus sed ita vehementibus ut tollatur rationis usus, tollunt et libertatem, nisi illorum causam scientes et volentes posuerimus; tunc enim liberi essent indirectè. Sed hi motus raro ad id vehementiæ, et ad summum per exiguum temporis spatium, deveniunt, nisi adsit insania. Quandò autem mens remanet sui compos, cupiditatum motus antecedentes non tollunt, sed minuunt libertatem; adaugent autem voluntatis propensionem in actum.

Actus autem qui fiunt ex motibus cupiditatum consequentibus, quum procedant ex deliberatis et liberis voluntatis electione et consensu, libertatem augent, nedùm minuant aut tollant. Nam ex iis fit ut cum vehementiori voluntatis propensione deliberatâ agatur.

ETHICÆ

PARS SECUNDA THEORICA,

SIVE

ETHICA GENERALIS.

In hâc parte agemus de regulis morum in genere, nempè de lege naturali et de conscientiâ. De præceptis autem specialibus quæ lex naturalis et conscientia implenda jubent, agemus in parte sequenti. Hanc partem in duo capita dividemus, alterum De lege naturali, alterum verò De conscientiâ.

CAPUT PRIMUM.

DE LEGE NATURALI.

Quum hìc enumeranda et statuenda non suscipiamus singula præcepta legis naturalis, duo tantùm nunc à nobis præstanda occurrunt, nempè 1° ut planè exponamus quid sit lex naturalis : et 2° ut ejus existentiam comprobemus. Duo igitur erunt articuli, primum, Quid sit lex naturalis; secundum, An existat lex naturalis.

ARTICULUS PRIMUS.

QUID SIT LEX NATURALIS?

§ I. Legis in genere definitio. — * § II. De legis naturalis definitione opiniones. — * III. Quid de his tenendum sit. — § IV. Legis naturalis definitio.

§ I. *Legis in genere definitio.* Lex aliquandò vocatur *Modus quo entia suum finem assequi debent.* Eo sensu lege non carent ipsa entia rationis expertia : sic materia legibus physicis regitur. Quandò autem agitur de entibus ratione præditis, lex includit ideam obligationis, tuncque, si generatim spectetur, illam definiunt : *Præceptum commune, permanens et justum legitimi superioris, promulgatum, præmiis præsertimque pœnis sancitum.* Si aliqua ex iis conditionibus deesset, non adesset obligatio, et proindè nulla esset lex : aut si qua adesset nihilominùs obligatio, hæc non ejus esset naturæ ut lex diceretur. Porrò singulæ conditiones præfatæ explicandæ sunt.

Itaque lex dicitur 1° *præceptum*, scilicet cum intentione obligandi subditos. Lex dicitur 2° præceptum *commune;* si enim præceptum respiceret privatum solummodò, non verò communitatem, tunc præceptum illud non diceretur *lex.* 3° Dicitur *permanens;* si enim præceptum superioris latum fuisset pro casu peculiari tantùm, tunc etiam præceptum illud non diceretur *lex.* Dicitur 4° *justum*, etenim, si præceptum æquitatem læderet, nullam pareret obligationem, et proindè immeritò diceretur *lex.* Dicitur 5° *legitimi superioris* : non enim adest obligatio parendi, nisi illi qui jus habet imperandi, nempè legitimo superiori.

Secunda conditio legis est ut sit *promulgata*, id est, ut subditis manifestetur eo modo quem leges ipsæ præ-

scribunt, si qua lex promulgationis modum determinaverit.

Tertia conditio est ut lex sit *præmiis præsertìmque pœnis sancita ;* Inanis enim evaderet obligatio quæ contemni impunè posset. At licet congruens sit ut præmia legem implenti rependantur, non tamen irrita esset lex quæ præmia obtemperanti non decerneret.

*§ II. *De lege naturali opiniones.* Quâ notione legis in genere semel positâ, nunc expendendum est quid sit lex naturalis. Porrò de notione legis naturalis tres præcipuæ occurrunt opiniones.

*Prima eorum est, qui negantes rationem humanam posse propriis viribus veritatem cujuscumque ordinis assequi, docentesque revelationem unicam esse viam quâ homo alicujus veritatis possit efficit certus, consequenter dicunt legem naturalem esse vocem sensu vacuam, nullamque hujus notionem rectam haberi posse. Ita docuerunt dominus de la Mennais ejusque asseclæ. Ita etiam olim dominus Bautain, licèt sententiam teneret à systemate menesiano diversam.

* Secunda eorum est qui per legem naturalem intelligunt quæcumque dogmata aut morum præcepta quæ semel cognita, etiam ope revelationis, possunt argumentis philosophicis demonstrari. Agnoscunt autem hujus opinionis philosophi, quamvis ratio valeat legis naturalis præcepta semel cognita demonstrare, non indè sequi rationem potuisse propriis viribus illa præcepta assequi absque externo revelationis auxilio : multò enim faciliùs veritas manifesta agnoscitur à ratione quàm occulta ab eâdem detegeretur. Hæc itaque opinio aptissimè cum revelatione congruit, cujus libenter utilitatem, imò et necessitatem confitentur hujusce opinionis asseclæ.

* Tertia opinio est eorum qui per legem naturalem intelligunt præcepta quæ detegere potest recta ratio absque externo revelationis auxilio. Porrò in duas oppositas partes abeunt hujus opinionis propugnatores. Namque alii existimant revelationem quidem non fuisse homini necessariam ut ille legem naturalem detegeret; sed ejus confitentur utilitatem, tum ut lex naturalis confirmetur, tum ut illa perficiatur dogmatibus et præceptis religionis revelatæ. Alii autem negant revelationem fuisse homini ullo modo necessariam aut utilem, quum clara sint præcepta ab homine implenda ut ille finem suum assequatur, eaque omnibus obvia esse debeant, quum singulis necessaria sit eorum notio. Imò fidem mysteriis absurdam esse contendunt; absurdum enim dicunt quidquid rationis humanæ captum superat : hanc prætereà fidem sapientiam divinam dedecere; Deus enim sibi contradiceret rationem ex unâ parte homini concedendo, et rationis usu ex alterâ parte eidem interdicendo : fidem demùm ipso homine indignam esse; non enim ille externâ auctoritate quâ dirigatur indiget, quum sola ratio eum regere valeat. Sive igitur revelationis adjutorium admittant, sive illud respuant secundæ opinionis asseclæ, hi et illi tamen rationis humanæ vires ad detegendam legem naturalem agnoscunt.

* § III. *Quid de his opinionibus sentiendum sit.* Nos verò existimamus 1° legem naturalem non esse eo sensu accipiendam, quòd homo ab infantiâ vitam ab omni prorsùs, si fieri potest, societate segregem ducens, possit legis naturalis præcepta vi propriâ detegere. Ut enim in Logicâ exposuimus, existimamus cum domino de Bonald neminem cogitare posse absque sermonis auxilio sermonemque nullâ humanâ arte adinveniri posse, sed eum à societate accipi.

* Existimamus 2° revelationem divinam non modò utilem esse ut lex naturalis confirmetur perficiaturque; sed eam necessariam esse ut homines detegant et conservent, sin omnia legis naturalis præcepta, at saltem ea quæ constituunt religionem quæ naturalis vocatur, exceptis ad summum præceptis primariis et primariorum viciniori-bus. Reverà cuique historiam philosophiæ absque præjudiciis perlegenti patebit, inter homines qui revelationem aut ignorant aut respuunt, non solùm plebeculam, sed et sapientes et philosophos de naturâ Dei, de cultu ipsi persolvendo, de mentis humanæ dignitate et futurâ destinatione, de præceptis morum in errores innumeros impegisse, scholasque philosophicas nec doctrinæ unitatem, nec constantiam, nec ethicæ sanctitatem retinuisse; dùm solæ gentes aut scholæ philosophicæ quæ revelationis auxilium non rejecerunt, sanam doctrinam de his omnibus constanter tenuerunt.

* 3° Quamvis, juxta nos, institutio necessaria sit ut intellectus nobis in statu facultatis innatus ad actum deveniat, licèt ipsa legis naturalis præcepta ab institutoribus proximè, et remotè à revelatione acceperimus; non tamen minùs aptè legis naturalis nomen retinere possumus. Etenim nonne veritates mathematicæ, verbi gratiâ, congruè naturales vocantur, quamvis eas edocti fuerimus ab institutoribus? Nonne manifestum discrimen agnoscit ratio humana inter præceptum quod nos furari vetat, et præceptum quod nobis peccata confiteri jubet, quamvis utrumque præceptum ab eodem institutore edocti fuerimus?

* 4° Lex igitur naturalis eo sensu intelligenda est, quòd sit lex cujus præcepta ex naturâ rerum profluunt, et cujus necessitatem agnoscere potest recta ratio, etiamsi sola eam detegere nequeat.

* 5° Hæc legis naturalis definitio congruit tum legi æternæ, tum legi divinæ naturali. Theologi utramque distinguunt. Scilicet adsunt ex naturâ rerum officia implenda, et proindè adest obligatio ea impendi ex ipsâ rerum naturâ profluens : officia enim et obligatio sunt duo correlativa. Quum verò natura, sive essentia rerum sit immutabilis, et quodam sensu æterna, obligatio ex eâ profluens dicitur lex æterna. Lex autem divina naturalis est præceptum quo Deus jubet ut quisque hæc officia impleat. Lex divina naturalis differt à lege divinâ positivâ. Hæc est præceptum quo Deus jubet ut impleamus varia officia quæ non profluunt ex ipsâ rerum naturâ, quale est præceptum cultum Deo persolvendi die Dominicâ potiùs quàm Sabbato, aliaque ejusdem generis.

§ IV. *Legis naturalis definitio.* His igitur positis, lex naturalis definiri potest : *Præceptum quo Deus jubet ut impleamus officia ex naturâ rerum profluentia, et cujus necessitatem agnoscere potest recta ratio, etiamsi illud sola detegere nequeat.*

Hujus legis nunc existentia comprobanda est.

ARTICULUS II.

AN EXISTAT LEX NATURALIS?

Ut lex naturalis existere demonstretur, oportet ostendere 1° dari ejus objectum; nulla enim esset lex quæ nihil præciperet. Objectum verò legis naturalis, ut patet ex dictis superiùs, complectitur officia ex naturâ rerum implenda. 2° Ostendendum est adesse præceptum divinum cui adjunctæ sunt omnes conditiones superiùs enumeratæ et necessariæ ut præceptum aliquod dicatur *lex*. 3° Demùm, quùm, nulla sit lex, nisi ad subjectos dirigatur, dicendum denique erit de subjecto legis naturalis. De his omnibus age-

mus in tribus paragaphis quorum primus erit De objecto; secundus De præcepto divino; tertius tandem De subjecto legis naturalis.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

DE OBJECTO LEGIS NATURALIS.

Objectum legis naturalis, ut diximus, sunt officia ex naturâ rerum profluentia. His officiis adjuncta est obligatio quæ vocatur a pluribus regula moralis. Sed et adesse nequeunt officia et regula moralis ex naturâ rerum, quin adsit essentiale discrimen inter vitium et virtutem. Itaque monemus nos posteà locuturos esse sæpè sæpiùs indistinctè, sive de officio, sive de regulâ morali, sive de essentiali discrimine inter virtutem et vitium.

Hunc autem paragraphum dividemus in quatuor numeros. In primo exponentur variæ philosophorum opiniones; secundus erit De officio; tertius De utilitate, sive beatitudine; quartus demùm De concordiâ officii et utilitatis, sive virtutis et beatitudinis. Quàm aptus sit ordo quem instituimus patebit potissimùm ex opinionum jamjam ineundâ expositione.

* NUMERUS PRIMUS.

* EXPONUNTUR VARIÆ PHILOSOPHORUM OPINIONES DE OBJECTO LEGIS NATURALIS.

* § I. Systematum divisio. — * § II. Systemata Scepticorum. — * § III. Systema Menesianorum. — * § IV. Systemata Fatalistarum. — * § V. Systemata Egoistarum. — * § VI. Systema sympathiæ. — * § VII. Systema sensûs moralis. — * § VIII. Systemata eorum qui spem et metum vitio vertunt. — * § IX. Systemata Catholicorum. — * § X. Conclusio.

* § I. *Systematum divisio.* Ad quatuor generales opinionum species referri possunt sententiæ philosophorum

de objecto legis naturalis, sive de officio aut regulâ morali. Namque alii regulam moralem implicitè negant, hujus possibilitatem tollendo. Alii autem explicitè evertunt regulam moralem, aut negando obligationem quam illa parit, aut agnoscendo quidem hanc obligationem quam tamen irritam efficiunt, non rectè eam exponendo. Alii hanc obligationem non irritam faciunt, sed eam econtrà nimiùm extollunt. Alii demùm veram de regulâ morali notionem exponunt.

* § II. *Systemata scepticorum.* Ad primam systematum speciem referuntur 1° systemata Scepticorum quorumcumque, qui, nihil certi agnoscentes, nec legem naturalem agnoscunt. De Scepticis speculativis nihil novi dicendum occurrit, quum illorum systemata exposuerimus confutaverimusque in Logicâ. Sed plurimi inveniuntur Sceptici practici, qui, de cæteris veritatibus non dubitantes, de lege tamen naturali, de præceptis morum nihil curant, totique cupiditatibus implendis operam impendunt. Horum summa lex est commodum propriaque voluntas. Nec cum his Scepticis agendum nobis est; quid enim audire nolenti verba facere juvat?

* § III. *Systema Menesianorum.* 2° Ad eamdem systematum speciem refertur systema Menesianorum, qui, negantes ullam vim inesse rationi humanæ, nullam legem moralem aliam agnoscunt præter legem positivè revelatam primitùs et ab humani generis protoparente ad posteros ope generalis testimonii transmissam.

* At 1° confutavimus in Logicâ, menesianum systema, quatenùs illud negat rationi humanæ certitudinem inesse, seclusâ revelatione : non indè igitur ampliùs contra legis naturalis possibilitatem arguere fas est. 2° Nullo modo negamus, econtrà verò libenter admittimus revela-

tionem tum primitivam, tum judaïcam, tum christianam, quibus tribuendæ sunt veritates et præcepta religionis naturalis quæ tradit hominum institutio. 3° Attamen admittere possumus legem naturalem existere; non enim legis naturalis existentiam propugnamus eo sensu quòd ratio humana cupiditatibus excæcata potuerit legem naturalem propriis viribus detegere : sed legem naturalem admittimus eo sensu quòd ratio demonstrare valeat ejus præcepta ex naturâ rerum profluere.

* § IV. *Systemata Fatalistarum.* 3° Prima systematum species complectitur etiam eorum systemata qui libertatem humanam quocumque modo tollunt. Sublatâ enim libertate, nulla jam regula moralis existere potest. Porrò de his systematibus egimus suprà, dicendo de libertate.

* § V. *Systemata Egoistarum.* Secunda systematum species eorum est qui tollunt explicitè regulam moralem aut eam irritam faciunt, non rectè eam exponendo.

* Ad hanc speciem referuntur 1° Egoistæ. Porrò hi unicum hominis finem agnoscunt, nempè felicitatem, seu bonum utile : negant verò esse bonum morale, cujus à malo morali essentiale discrimen tollunt; et indè tollitur etiam officii notio. At verò, ut infrà ostendemus, licèt homo fuerit à Deo ad beatitudinem destinatus, agnoscendum tamen est officia implenda ipsi imposita fuisse. Officium quidem simul impleri beatitudoque apprehendi possunt; sed nisi intendatur saltem aliquo modo officium implendum, actus non potest esse bonus moraliter, ut fusiùs infrà exponetur. Non igitur adesse potest lex moralis, in Egoistarum systemate, et proindè tollitur lex naturalis.

* Licèt Egoistæ in eo concordes sint, quòd bono mo-

rali bonum utile substituant, plurimæ tamen inter eorum systemata dantur varietates. Alii namque tanquàm omnis boni regulam proponunt publicam utilitatem; alii privatam; alii voluptatem. Ex eâ opinione, inter cætera consectaria, sequitur sanctum esse quidquid utile est; communitatis utilitatem quâcumque viâ licitum esse promovere, in opinione eorum qui publicam utilitatem tanquàm omnis boni regulam proponunt; aut propriis commodis, aut voluptatibus quocumque modo, etiam alieno damno, consulere bonum esse et justum et sanctum, in opinione eorum qui bonum unicum in privatâ utilitate aut voluptate reponunt. Hinc omne jus alienum tollitur, inque locum æquitatis violentia sufficitur. Damnosum quidem esse potest aliorum jura attentare, plurima enim à societate pacificâ accipiuntur commoda quibus excluditur alienorum commodorum violator; undè fortè ille non rectè intelligit propriam utilitatem, sed nullo modo æquitatem et sanctitatem lædit.

* Possunt Egoistæ duplici modo confutari, indirectè, ostendendo quantùm ab eorum sententiæ consectariis abhorreat rectus animi sensus : directè verò, ostendendo adesse bonum morale quod intendere debet agens.

* § VI. *Systema sympathiæ.* Ad secundam speciem referuntur 2° systemata eorum qui non quidem ex utili notionem boni repetunt, sed ex sensibilitatis affectibus; non verò ex ratione æstimant quid bonum malumve sit. Duplex est præsertim opinio quæ ex affectibus sensibilitatis repetit boni et mali notionem.

* Prima repetit boni et mali notionem ex sympathiâ. Porrò hujus sententiæ propugnatores negligentes discrimen inter bonum et malum morale quod ratio tradit, totum illud repetunt ex paritate vel disparitate sensûs

quem experiretur spectator cupiditate vacuus. Bonum est quidquid parem sensum in illo spectatore excitat; malum verò quidquid disparem commovet. Sic bona est misericordia divitis, bonus est pauperis gratus animus, eo quòd pares sensus ego nunc cupiditate vacuus experiar. At malus est actus hominis alteri plùs æquo ob injuriam irascentis; nam ego spectator à studio partium alienus equidem cum irascente ob ejus injuriam irascor, sed gradu dispari; undè ille nimiâ irâ arguitur.

* § VII. *Systema sensûs moralis.* Secunda opinio repetit boni et mali notionem ex censu morali. Scilicet bonus est omnis actus quem animi pax et gaudium sequuntur; malus autem omnis actus cui succedit interna animi tristitia. Porrò vel intelligitur gaudium istud esse adimpleti, tristitiam verò neglecti officii indicium, tuncque systema illud vix differt ab eorum doctrinâ qui discrimen inter bonum et malum morale ex ratione, non verò ex sensu reposcunt. Vel intelligitur sensum moralem esse non solùm indicium, sed et discriminis hujus causam, tuncque systema illud peccat etiam eo quòd illud non agnoscat veram discriminis inter bonum et malum morale rationem.

* Hæc utraque opinio officii notionem admittit; indè verò peccat quòd illud ex essentiâ rerum et ex intellectu profluere non agnoscat, sed ex sensu tantùm. Possunt sympathiæ et sensûs moralis propugnatores pluribus argumentis confutari; sed eorum systematibus occurrendum nobis est præsertim, ostendendo officii notionem ex essentiâ rerum profluere; hancque ex ipsâ ratione purâ accipi; non autem ex sensu quodam aut instinctu.

* § VIII. *Systemata eorum qui spem et metum vitio vertunt.* Ad tertiam speciem referuntur systemata eorum

qui agnoscentes discrimen inter bonum et malum morale ex ratione repetendum esse, officiumque proponentes tanquàm actuum humanorum finem, existimant actum qui ad felicitatem obtinendam refertur, carere bonitate morali. Alii ulteriùs progrediuntur, et tanquàm malum moraliter culpant quemlibet actum spe mercedis aut metu vindictæ perpetratum. Hæc opinio recentiorum quorundam vix discrepat ab opinione veterum Stoicorum. Hinc, juxta istos recentiores, Christiani qui, aut metu gehennæ, aut spe mercedis æternæ bonum operantur, inter Egoistas computandi sunt.

* § IX. *Systemata Catholicorum.* Ad quartam demùm systematum speciem referuntur omnium Catholicorum systemata, qui discrimen essentiale inter bonum et malum morale officiique notionem admittunt, et docent bonum morale debere aliquo saltem modo intendi ab agente, ut actus ejus sit moraliter bonus; sed qui insuper docent vitiosa non esse omnem mercedis spem aut vindictæ metum; imò ea posse ab agente intendi, quin actus ejus bonitate morali careat. At inter Catholicos non eadem est concordia de omnibus. Sic alii existimant nunquàm hominem agere posse quin felicitatem intendat. Hanc opinionem propugnavit Bossuetius, contra Fenelonium, qui, cum multò pluribus aliis, sentiebat hominem posse aliquandò saltem agere, nullâ omninò utilitatis propriæ ratione habitâ.

* § X. *Conclusio.* Has opiniones breviter exponendas esse duximus, ut clariùs pateret difficultatis à nobis in sequentibus quæstionibus solvendæ nodus. Jam intelligitur nobis investigandum esse an adsit officium, et quonam ex fonte repetenda sit ejus notio : seu, aliis verbis, probandum est adesse discrimen inter bonum et malum

morale, et illud esse essentiale. Deindè verò quid de utilitate, sive beatitudine sentiendum sit quærendum est, probandumque hominem ad felicitatem in alterâ vitâ assequendam creatum fuisse. Demùm ostendendum superest non illicitum, sed econtrà bonum moraliter esse beatitudinem appetere; ostendendum etiam quomodò appetenda sit felicitas sive utilitas propria, ut cum officio consonet; dicendum itaque de concordiâ officii et utilitatis propriæ, virtutis et beatitudinis. Quibus absolutis, patebit dari objectum legis naturalis, nempè bonum morale, seu patebit quis esse debeat actuum humanorum finis, et quæ eorundem ad eum finem relatio; quod erat in hocce paragrapho demonstrandum.

NUMERUS II.

DE OFFICIO.

§ I. Prænotationes. — § II. Thesis prima. — * § III. Thesis secunda. — * § IV. Thesis tertia. — * § V. Thesis quarta. — * § VI. Thesis quinta. — * § VII. Thesis sexta. — § VIII. Thesis septima. — * § IX. Fusior probatio ejusdem theseos. — § X. Solvuntur objectiones contra primam Thesim. — * § XI. Contra Theses secundam, tertiam, quartam, quintam et sextam. — § XII. Contra septimam Thesim.

§ I. *Prænotationes.* Probandum habemus adesse officia ab homine implenda, ex essentiâ rerum profluentia, contra omnes qui aut officium penitùs tollunt, aut illud ex quocumque fonte præter essentiam rerum deducunt. Porrò, ut jam notavimus, quæstio de officio eadem est ac quæstio de discrimine inter bonum et malum morale, sive de regula æqui et iniqui, recti et non recti, id est, de regulâ morali.

Hunc autem instituemus ordinem. Ostendemus pri-

mùm adesse discrimen inter bonum et malum morale. Non autem probabimus statim illud esse essentiale. Sed anteà probabimus illud discrimen nec ex utilitate privatâ aut publicâ, nec ex sympathiâ, nec ex sensu morali, nec ex hominum institutione, nec ex voluntate positivâ et liberâ Dei repetendum esse : at verò demùm demonstrabitur illud ex essentiâ rerum profluere. Septem igitur erunt theses.

THESIS PRIMA.

§ II. *Existit discrimen inter bonum et malum morale.*

Probatur. Illud admittendum est, quod negari nequit nisi vis ingenii humani naturæ inferatur; atqui discrimen inter bonum et malum morale negari nequit nisi vis ingenii humani naturæ inferatur, quod quidem patet sive propriam opinionem, sive generalem hominum consensum quisque consuluerit.

1° Quidem ex propriâ cujusque opinione constat quosdam actus tanquàm bonos, quosdam verò tanquàm malos haberi. Sic quisque judicat Deo servire, parentes diligere, miseris opitulari, gratum animum erga benefactores servare, suum unicuique tribuere, esse actus bonos totidemque officia implenda; pravos autem esse actus contrarios, et ab iis abstinendum. Vox quædam intùs libidinibus fortior nos juxta hæc principia agentes approbat; contra verò ea facientes reprehendit. Ipsi improbi meliora vident probantque, dùm sequuntur deteriora. Perfectè discernimus id quod delectat et id quod utile est, non eamdem ideam menti exhibere ac id quod rectum est, sive bonum morale. Quæ quidem omnia negari non possunt nisi vis proprii ingenii naturæ inferatur. Ergò, etc.

2° Constat etiam ex omnium consensu actus quosdam tanquàm bonos moraliter, quosdam verò tanquàm malos haberi, quod quidem vix probatione indiget; quis enim illud negare possit? « Quæ notio, inquit Tullius « (*lib.* 1 *De legibus.*), non bonitatem, non benignitatem, « non gratum animum et beneficii memorem diligit? « Quæ superbos, quæ maleficos, quæ crudeles, quæ in- « gratos non aspernatur, non odit? Ergò, etc.

THESIS II.

§ III. *Discrimen inter bonum et malum morale non est repetendum ex utilitate privatâ aut publicâ.*

* *Probatur primo argumento ex notione regulæ moralis desumpto.*

* Illa regula moralis non est vera, quæ 1° non satisfacit notioni quam habemus boni et mali moralis, quæ 2° obligationem inducere nequit : atqui talis est regula moralis quæ discrimen inter bonum et malum morale repetit ex utilitate privatâ aut publicâ.

* 1° Quidem regula ex utilitate deducta non satisfacit notioni quam habemus boni et mali moralis. Etenim 1° agnoscimus bonos esse actus plurimos qui nostris commodis adversantur; malosque esse plurimos e quibus utilitatem percipimus. Sic bonum judicamus pro patriâ mori, potiùs extrema pati quàm turpia operari, potiùs miseram trahere vitam quàm aliena rapere. Contraverò pravum judicamus injuriâ alterum afficere, pactis non stare, necem parenti inferre ut hæreditate fruamur, etc., etiamsi nulla patrati facinoris immineret pœna. 2° Ipsi legum conditores et judices, quamvis societatis utilitatem promovere prærtim intendant nec eorum sit plectere quidquid legi morali adversatur, hâc tamen lege

officiique notione reguntur. Non enim tantum pro publicæ utilitatis gravitate pœnæ distribuuntur; sed et, actu eodem quoad effectus remanente, habetur ratio malitiæ agentis; expendunt an scienter, an consultò, an liberè, an ex se egerit; an aliqua adfuerit circumstantia quâ reus veniâ aut majori pœnâ dignus sit. 3° Si quis utilitati propriæ non consuluerit, judicabimus forsan eum temerè et imprudenter egisse; non verò officii legem illum læsisse. Ergò, etc.

* 2° Regula ex utilitate deducta nullam obligationem parere potest. Etenim 1° nunquàm possum ad agendum teneri quin priùs cognoscam actum hunc esse bonum : atqui, in systemate utilitatis, non possum, priùs quàm agam, cognoscere actum hunc esse bonum. Etenim, in systemate utilitatis, omnes actus sunt ex se indifferentes eorumque bonitas aut malitia æstimandæ sunt ex effectuum utilitate aut incommodis : atqui, hoc posito, non possum cognoscere priùs quàm agam, an actus sit bonus; tunc enim ex experientiâ solâ judicari potest, saltem primâ vice, quid sit ex actu ponendo consequendum commodi aut incommodi; sicque bonitas aut malitia actûs à posteriori, non autem à priori innotescit. 2° Obligatio non mutatur pro cujusque arbitrio : atqui in systemate utilitatis, quisque fit supremus propriæ utilitatis judex et arbiter. 3° Etiamsi judicem actum quemdam mihi fore utilem, nullo modo sequitur me ad eum teneri, quum econtrà mihi licitum sit commoda contemnere. Ergò, etc.

* *Probatur argumento secundo desumpto ex eo quòd homo sit ad societatem destinatus.*

* Homo ad societatem destinatus est; nec illud negant Egoistarum saltem præcipui. Atqui, posito systemate uti-

litatis sive privatæ, sive publicæ, nulla stare potest societas. Non enim stare potest societas in quâ nullum est jus quo devinciantur privati erga privatos, aut privati erga societatem, aut societas ipsa erga privatos : atqui, in systemate utilitatis, nullum est jus, etc.

* *Probatur tum major, tum minor.*

* I° *Quidem probatur major.* Tunc enim vel quisque liber et independens à cæteris remanebit suamque utilitatem prosequetur etiam alieno detrimento, aderitque bellum et anarchia; vel aliquis vi subjiciet privatos aut illi ad ejus auctoritatem confugient, tuncque ille, ut privatos inter se commodorum prosecutione divisos compescat, loco juris violentiâ utetur, aderitque tyrannica potestas, tuncque iterùm stare non poterit societas ad quam homo destinatus est; ille enim destinatus est ad societatem pacificam, sub regimine auctoritatis temperatæ. Ergò 1° vera major.

* II° ***Probatur minor, scilicet, in systemate utilitatis, nullum esse jus quo devinciantur privati erga privatos, aut privati erga societatem, aut societas ipsa erga privatos.*** 1° *Quidem nullum est jus quo devinciantur privati erga privatos.* Etenim nullum est jus cui opponitur jus alienum et æquale, quo nullus adstringitur, quod legitimè infringere quisque potest, cujus nemo agnoscit auctoritatem, cui denique opponitur jus alienum et æquale : atqui tale esset jus, in systemate utilitatis, sequitur enim id cuique licere quod sibi utile est aut utile esse judicat : undè Hobbesius, utilitatis propugnator, libenter agnoscit nativam hominis conditionem esse bellum omnium contra omnes. Ergò 1°, etc.

* 2° *Nec ullo jure devinciuntur privati erga societatem.* Vel enim jus illud oriretur ex conditione hominis vel ex

violentiâ societatis, vel ex pacto quodam : atqui nullum ex his dici potest. Non primum, nam conditio hominis, in eo systemate, esset ut utilitati propriæ, non aliorum, consuleret. Non secundum; violentia enim societatis posset quidem privatos vi coercere, nunquàm verò officii lege adstringere. Non tertium; nulla enim causa posset rescissione pacti privatos prohibere, quotiès illud violare sibi expedire judicarent. Ergò 2°, etc.

* 3° *Nec demùm societas ullo jure devinciretur erga privatos* : societas enim nullâ lege præter utilitatem propriam, non secùs ac privati tenetur. Ergò, etc.

THESIS III.

* § IV. *Discrimen inter bonum et malum morale repetendum non est ex sympathiâ.*

* *Probatur.* Illa regula discriminis inter bonum et malum morale non est afferenda, quæ planè intelligi nequit, quæ non est certa nec sibi constans, quæ ad omnes casus non extenditur; quæ caret auctoritate; quam denique veram non esse regulam docet rectus animi sensus : atqui talis est sympathia.

* 1° *Quidem planè intelligi nequit illa regula.* Nam, juxta hujus systematis propugnatores, regula hæc est sympathia quam experitur spectator à studio partium alienus : atqui intelligi nequit in hoc systemate quis ille sit spectator à studio partium alienus. Ille enim à studio partium alienus dicitur, qui sympathiâ aut antipathiâ vacuus judicat : atqui in hoc systemate intelligi nequit quomodò spectator qui bonum et malum e sympathiâ aut antipathiâ æstimat, à sympathiâ aut antipathiâ vacet. Ergò 1°, etc.

* 2° *Regula quæ e sympathiâ deducitur certa non est*

nec sibi constans. Reverà pro regulâ datur vel omnium aut plurimorum hominum sympathia, vel unius, vel sympathia inter omnium hominum sympathicos sensus media: atqui in nullo casu regula hæc certa est et sibi constans. Etenim in primo casu tot erunt regulæ quot individui; sympathia enim, ut patet, vividior aut remissior invenitur pro cujusque sexu, ætate, indole, moribus, etc. In secundo autem casu sympathia non eadem permanet in eodem individuo, sed mutatis circumstantiis immutatur : non eamdem experitur idem homo parvulus ac vir aut senex, jejunus ac cibo refectus, ab aliâ quâcumque affectione vacuus ac alio quodam sensu divisus, etc. In tertio pariter casu certa non est; non enim æstimari potest quænam sit illa sympathia inter omnium hominum sympathicos sensus media. Ergò, etc.

3° *Regula hæc non extenditur ad omnes casus.* Fatentur enim hujus systematis propugnatores, 1° fore ut homo qui solus existeret aut cæteros homines existere penitùs ignoraret, omni regulâ morali destitueretur; nulla enim adesse potest sympathia, nisi plures inveniantur; 2° fatentur iidem adesse casus in quibus aliquid agendum judicat vir probus, certus tamen sibi non suffragari hominum æquævorum sympathiam. Esto autem quòd fortè sperari possit à posteris magis æqua æstimatio; at saltem hanc sperare nequit ille cui actum ad posteros transmittendum fore nulla spes adest. 3° Juxta sympathiæ propugnatores, quatuor tantùm adsunt virtutes, nempè *sui imperium,* quo temperantur propriæ affectiones cæterorum hominum affectionibus vividiores; *benevolentia,* quâ econtrà adaugere conamur affectiones remissiores ut iterùm cum cæteris hominibus concordes sensus habeamus; *justitia,* quâ coercentur omnes affectiones quæ in malum cæ-

terorum tendunt; *beneficentia*, quâ econtrà coluntur omnes affectiones quæ nos ad consulendum cæterorum hominum commodis inclinant. Atqui quatuor illæ virtutes non complectuntur omnia hominum officia; non enim in his quatuor virtutibus satis includuntur officia 1° erga Deum; qui enim in societate aut ætate parùm in Deum piâ viveret, et ipse proprios in Deum sensus pios compescere deberet, ne vividiùs quàm cæteri homines in Deum afficeretur; 2° erga seipsum; qui enim pauper, oblitus, neglectus, derelictus ab omnibus vivit, et ipse suî negligens eodem gradu fieri deberet; 3° erga proximum; non enim in eo systemate justitiam læderet qui homini maximè diviti aliquid furaretur, quo posset pauperis sublevare miseriam; nam justitia sympathica vetat tantùm actus qui in malum cæterorum tendunt : atqui econtrà furtum illud in bonum pauperis tendit. Ergò, etc.

* 4° *Regula hæc caret auctoritate.* Illa regula caret auctoritate, quæ nullam potest imponere obligationem : atqui regula ex sympathiâ deprompta nullam imponere potest obligationem. Nam sympathia est tantummodò sensus : atqui sensus ille nullam imponere potest obligationem. Ille enim sensus nullam potest obligationem parere, qui 1° cæteris sensibus non præstat auctoritate, qui 2° etiamsi præstaret cæteris, nullam tamen obligationem pareret : atqui talis est sympathia. 1° Quidem cæteris sensibus auctoritate non præstat; nulla enim (demptâ notione recti ex intellectu acceptâ) adest ratio cur sympathia cæteris sensibus et instinctibus naturæ humanæ præstet. 2° Etiamsi præstaret, nullam tamen obligationem pareret; nulla enim adest obligatio sensibus naturæ humanæ obtemperandi, quum econtrà persæpè eos compescere licitum, imò et necessarium sit. Ergò, etc.

* 5° *Tandem regulam hanc veram non esse docet rectus animi sensus;* quidquid enim subtiliùs excogitent hujus systematis adinventores, attamen certum remanet omnes homines æqui et iniqui regulam ex notione recti ab intellectu, non à sensu aliquo accipere. Ergò, etc.

THESIS IV.

* § V. *Discrimen inter bonum et malum morale repetendum non est ex sensu morali.*

* *Probatur.* Illa regula discriminis inter bonum et malum morale non est admittenda, quæ 1° caret auctoritate; quam 2° veram non esse regulam docet rectus animi sensus: atqui talis est sensus moralis. Probatur utraque pars iisdem prorsùs argumentis quibus in thesi præcedenti ostendimus sympathiam pariter auctoritate carere, nec eam esse veram regulam quam docet rectus animi sensus. Ergò, etc.

THESIS V.

* § VI. *Discrimen inter bonum et malum morale repetendum non est ex hominum institutione.*

* *Probatur.* Si ex hominum institutione originem duceret discrimen inter bonum et malum morale, illud oriretur aut ex educatione, aut ex pactis et conventis, aut ex arte politicâ, aut ex sacerdotum fraude; atqui his causis discrimen illud tribuere absurdum est, eo quòd 1° agnoscamus boni et mali moralis notionem mentibus nostris esse insitam. 2° Quæcumque hominum institutioni debentur, nec universalitatis, nec constantiæ, nec necessitatis notas habent. 3° Quæcumque ex positivâ hominum institutione proveniunt, non possunt in usum generalem venire, nisi aut cupiditatibus faveant, aut naturæ humani ingenii sint con-

sentanea. 4° Regula boni et mali ex institutione hominum proveniens nullâ prorsùs auctoritate gauderet. Ergò, etc.

THESIS VI.

* § VII. *Discrimen inter bonum et malum morale repetendum non est ex voluntate positivâ et liberâ Dei tantummodò.*

* *Probatur.* Illa enim regula moralis rejicienda est, quæ 1° contradicit notioni quam habemus boni et mali moralis : 2° quæ nullam obligationem potest parere : atqui talis est regula quæ discrimen inter bonum et malum morale repetit ex voluntate positivâ et liberâ Dei tantùm; nullo autem modo ex essentiâ rerum.

* 1° *Quidem regula hæc contradicit notioni quam habemus boni et mali moralis;* quisque enim existimat plurimos actus quos agnoscunt tanquàm bonos et malos moraliter, tales esse ex essentiâ rerum; eorumdem actuum bonitatem aut malitiam ab omni voluntate liberâ esse independentem ideòque immutabilem. Sic existimant quicumque recto animi sensui vim non inferunt, bonum esse suum cuique tribuere; animum beneficiorum memorem servare, etc., nec unquàm hos actus malos fieri posse. Ergò, etc.

* 2° *Regula hæc nullam obligationem parere potest.* Si enim tollitur discrimen ex essentiâ rerum profluens, tunc Deo jubenti parere non teneor quia bona est res quam ille imperat; sed tantummodò quia Deus vult : atqui sola voluntas Dei non potest parere obligationem. Nulla enim adesse potest obligatio, quin adsit officium implendum : atqui tunc nullum adest officium implendum : omne enim officium implicat ideam actûs boni, seu rectæ rationi consentanei; non verò solummodò imperium voluntatis quamtumvis potentis. Si enim non adest nisi imperium vo-

luntatis summè potentis, nulla verò notio recti; sanè prudentiæ non erit non parere jubenti, securitatique et utilitati suæ non sapienter consulet qui imperium voluntatis istiûs summè potentis detrectabit : at si Imprudentiæ reus ille meritò dicitur; nunquàm tamen recti et æqui violator erit. Nullum jus sola violentia parere potest. Ergò 2°, etc.

THESIS VII.

§ VIII. ***Discrimen inter bonum et malum morale repetendum est ex essentiâ rerum, notioque boni moralis ab ipsâ ratione accipitur.***

Probatur. Reverà ex recto animi sensu patet notionem recti ab ipsâ ratione accipi illamque rerum essentiâ inniti. Quis enim negare possit rationem nos edocere animum beneficiorum memorem esse laudandum, et bonitatem actuum qui ex eo animo profluunt, in ipsâ rerum essentiâ inniti? Ergò, etc.

* § IX. *Fusior probatio ejusdem theseos.*

* Et verò regula moralis debet esse obligatoria, omni lege positivâ prior, quâcumque auctoritate præstantior, necessaria, immutabilis, absoluta, e principio personæ humanæ exteriori oriri, intùs tamen homini illucere; atqui regula moralis quæ in essentiâ rerum innititur quamque ab ipsâ ratione accipimus, his gaudet conditionibus.

* *Probatur tum major, tum minor.*

* 1° *Quidem probatur major. Reverà regula moralis debet esse* 1° *obligatoria,* alioquin enim ipsa non esset regula, non adesset lex, non adesset officium, ut patet : atqui tamen quisque agnoscit adesse regulam morum, legem et officia, ut constat ex primâ thesi; ergò 1°, etc.

* 2° *Regula moralis debet esse omni lege positivâ prior.* Omnis enim lex positiva debet esse obligatoria, nisi illa sit lex vacua et impropriè dicta : atqui nulla lex positiva

potest esse obligatoria, nisi adsit altera lex prior quæ legislatori conferat jus imperandi, subditosque obtemperare simul jubeat. Si enim non adesset ante quamlibet legem positivam lex altera prior quæ legislatori conferret jus imperandi, nec subditi præceptis ejus adstringerentur, et nulla tunc adesset obtemperandi obligatio : tunc enim ratio obtemperandi tota deducenda esset e vi et potestate jubentis metuque subditorum : atqui ratio hæc non est obligatoria, ut probavimus in thesi sextâ. Ergò, etc.

* 3° *Regula moralis debet esse quâcumque auctoritate præstantior*. Reverà causa præstantior est effectu : atqui quæcumque alia auctoritas est effectus auctoritatis regulæ moralis. Omnis enim auctoritas à lege morali distincta positiva est et à lege morali deducitur ; ut enim superiùs ostendimus, idcircò lex moralis debet esse omni lege positivâ prior, ut cuilibet legi positivæ auctoritatem conferat ; ergò omnis auctoritas positiva fluit ex auctoritate legis moralis ; ergò, etc.

* 4° *Regula moralis debet esse necessaria*. Si enim non esset necessaria, sed contingens, ab aliâ auctoritate auctoritatem duceret : atqui regula moralis à nullâ aliâ auctoritate propriam ducit auctoritatem, quum econtrà ipsa sit cujuslibet auctoritatis fons, et cuilibet auctoritati præstet. Ergò, etc.

* 5° *Regula moralis debet esse immutabilis ;* est enim necessaria ; ergò, etc.

* 6° *Regula moralis debet esse absoluta ;* id est ab omni auctoritate independens ; est enim necessaria et immutabilis ; ergò, etc.

* 7° *Regula moralis debet e principio personæ humanæ exteriori oriri*. Quum enim persona humana sit contingens, regula moralis et ipsa contingens esset, nisi

oriretur e principio personæ humanæ exteriori. Ergò, etc.

* 8° *Demùm regula moralis debet homini intùs illucere;* quùm enim regula moralis sit quasi criterium cujuslibet aliæ regulæ, et ipsa debet, non secùs ac criterium certitudinis, homini intùs illucere. Reverà, nisi homo intelligeret quid sit obligatio, quid sit lex, quid sit jus, quid sit officium, nullo modo regulam moralem cognoscere posset, quum et ipsa regula moralis omnia hæc implicitè complectatur. Ergò, etc.

* II° *Probatur minor, scilicet regulam moralem quæ in essentiâ rerum innititur quamque ab ipsâ ratione accipimus, his gaudere conditionibus.* 1° *Enim regula hæc est obligatoria;* quisque enim agnoscit rectæ rationi parendum esse, officia pietatis erga parentes, verbi gratiâ, implenda esse, non quia nobis utilia sunt, sed quia ipsa fluunt ex essentiâ rerum; ergò, etc.

* 2° *Regula nostra moralis est omni lege positivâ prior;* illa enim ex essentiâ rerum oritur. Ergò, etc.

* 3° *Regula nostra est quâcumque auctoritate præstantior;* cuilibet enim auctoritati præstat auctoritas rationis et regulæ quæ in essentiâ rerum innititur; ergò, etc.

* 4° *Regula nostra est necessaria;* 5° *immutabilis;* 6° *absoluta;* nam illa innititur in ratione et essentiâ rerum. Ergò, etc.

* 7° *Regula nostra oritur e principio personæ humanæ exteriori;* oritur enim ex essentiâ rerum et ratione, quâ quidem non intelligitur ratio hujus aut illius hominis, sed ratio absoluta quæ ab opinione singulorum est independens, nec aliud est præter essentiæ rerum expressionem. Ergò, etc.

* 8° *Demùm regula nostra intùs homini illucet;* ratio enim intùs illucet omnibus hominibus qui non carent intellectu. Ergò, etc.

§ X. *Solvuntur objectiones contra primam thesim.*

Objicies 1° *contra primam thesim.* Si tale adesset discrimen inter bonum et malum morale ut illud negari non posset quin vis ingenii humani naturæ inferretur, profectò principia morum eadem ubique agnoscerentur; nam ubique eadem est natura humani ingenii: atqui non eadem ubique vigent principia morum, ut constat e sequentibus exemplis. 1° Scelesti homines nulla morum principia agnoscunt. 2° Homines silvatici qui aliquandò occurrerunt, nullam regulæ moralis notionem habebant. 3° Inventi sunt populi qui omni penitùs Dei ideâ, religione, virtutis et vitii notione carebant. 4° Existunt populi anthropophagi. 5° Apud quasdam gentes filii parentes senes et infirmos interimunt. 6° In Sinensium imperio, in viis exponuntur infantes à parentibus derelicti; in pluribus verò aliis locis occiduntur stupro geniti aut distorti nascentes. 7° Carthaginenses, Galli aliique diis humano sanguine litabant. 8° Tauridis incolæ aliique advenas naufragosque immolabant. 9° Lex Spartis furto, apud Persas verò incestis nuptiis auctoritatem adjungebat, etc., etc. 10° Nec mirum quòd tanta sit inter populos incultos opinionum morumque diversitas; quum et ipsi legum peritiores de æquo et iniquo inter se concordes esse nequeant. Ergò, etc.

Resp. 1° *Ad majorem, distinguo.* Principia morum primaria eadem ubique agnoscerentur, *concedo majorem;* principia secundaria, *nego majorem.* Reverà distinguuntur principia primaria et principia secundaria. Principia primaria illa sunt quæ ex aliis aut non deducuntur, aut ita proximè, ut deductio sit quàm facillima. Principia autem secundaria illa sunt quæ non ità proximè aut faciliter e primariis deducuntur. Quo autem præcisè puncto primaria à secundariis dividantur, assignari nullo modo potest;

quum facilitas deducendi principia alia ex aliis dependens sit à vi et acritate ingenii singulorum. Porrò *concedo* discrimen inter bonum et malum morale negandum esse, nisi aliqua saltem principia primaria morum eadem ubique agnoscantur. Sed *nego* illud negari posse, quamvis apud omnes non inveniantur eadem principia secundaria morum. Reverà agnoscendum est tam infirmum esse intellectum humanum, maximè quandò agitur de veritatibus practicis, ut huic infirmitati tribuendus sit error circa principia secundaria; non autem identitati boni et mali moralis. Si enim tot adsunt errores de veritatibus speculativis quin tamen admittatur scepticismus theoricus, quid mirum quòd rejiciendus sit scepticismus moralis, quum errorum fontibus ex ipso intellectu profluentibus adjunguntur tot errorum causæ e cupiditatibus aliisque occasionibus originem ducentes?

Resp. 2°. *Ad minorem, distinguo in sensu majoris :* atqui non eadem ubique vigent principia secundaria morum, *concedo minorem :* principia primaria, *nego minorem et consequentiam, et probo solutionem, primùm responsione generali, nempè omnes populos regulam moralem agnoscere.* Audiamus civem genevensem. « Jetez « les yeux sur toutes les nations du monde, parcourez « toutes les histoires; parmi tant de cultes inhumains et « bizarres, parmi cette prodigieuse diversité de mœurs et « de caractères, vous trouverez partout les mêmes idées de « justice et d'honnêteté; partout les mêmes notions du bien « et du mal. L'ancien paganisme enfanta des dieux abo- « minables, qu'on eût punis ici-bas comme des scélérats, « et qui n'offraient pour tableau du bonheur suprême que « des forfaits à commettre et des passions à contenter. Mais « le vice armé d'une autorité sacrée descendait en vain du

« séjour éternel : l'instinct moral le repoussait du cœur « des humains; en célébrant les débauches de Jupiter, on « admirait la continence de Xénocrate; la chaste Lucrèce « adorait l'impudique Vénus; l'intrépide Romain sacrifiait « à la Peur; il invoquait le dieu qui mutila son père, et « mourait sans murmurer de la main du sien; les plus « méprisables divinités furent servies par les plus grands « hommes; la sainte voix de la nature, plus forte que « celle des dieux, se faisait respecter sur la terre, et sem« blait reléguer dans le ciel le crime avec les coupables. » (*Émile, tom.* III, *p.* 106.)

Nunc devenio ad singula allegata in objectione. 1° Falsum est homines scelestos nulla morum principia agnoscere. Et ipsi prædones, in suo specu, inter se justitiam distributivam servant. Aliud est regulam morum actibus violare, aliud eam mente non agnoscere.

2° Homines silvatici qui aliquandò occurrerunt nec regulæ moralis notionem habebant, pariter aliis ideis carebant; nec mirum, quum sine sermonis usu nulla haberi possit idea, ut in Logicâ probavimus. Sed non indè sequitur regulam moralem naturalem non esse, ut superiùs exposuimus, quærendo quo sensu admittenda sit lex naturalis.

3° In Theodiceâ jam confutavimus eos qui asserunt existere populos omni ideâ Dei, religione, virtutis et vitii notione carentes.

4° Quamvis facinora quæ in objectione sequuntur à crimine vindicare non intendamus, animadvertemus tamen illa originem ducere e lege naturali malè intellectâ, nedùm eam nullo modo ab istis populis agnosci probent. Sic mos infandus anthropophagorum ex jure bellico oritur; mors parentibus senibus et infirmis illata à filiis, ab ipsâ

pietate venit; occiduntur parentes, quum jam vita, inter senectutis incommoda et infirmitates producta, malum videtur, mors verò bonum. Exponuntur infantes aut qui distorti nascuntur, aut quos parentes educare non possunt; judicant enim meliùs esse illos statim interire quàm vitam inopem inter miserias trahere. Sacrificia humana e religione causam trahunt; existimatum fuit nullâ potiori victimâ numinis irati avertendas esse plagas, quàm aut ipsum sontem immolando, aut aliquandò litando insonti sanguine quò sanctitati divinæ acceptum magis fieret sacrificium. Occidebantur advenæ et naufragi, aut ne advenæ fraudulenter regionem occuparent, aut eo quòd naufragi haberentur tanquàm diis inimici et ultioni divinæ objecti. Dubitari potest an furtum Spartis permissum remaneret furtum : non enim furatur ille qui tollit quod tollere licet. At si furtum erat, huic lex indulgebat, tum ut solertiores fierent pueri tum ut cautiores essent cives. Fratrem et sororem connubio jungi non vetat jus naturæ primarium, quum id inter protoparentis liberos necesse fuerit.

5° Disputant legum periti de principiis juris secundariis, non verò de primariis. Ergò, etc.

Objicies 2° contra eamdem thesim. Non potest veritas veritati adversari, atqui, eâ thesi admissâ, veritas veritati adversaretur. Nam 1° officia adversantur sensibus naturæ, nempè cupiditatibus. 2° Adversantur et officia officiis; etenim non raró jubet lex aliqua quod vetat altera. Filius obtemperare patri jubetur, quid faciendum, quum jussioni paternæ lex politica adversatur? etc. Ergò, etc.

Resp. 1° *Nego minorem, scilicet admissâ thesi, veritatem veritati adversari.*

Resp. 2° *Ad priorem probationem, nego consequentiam;* etsi enim officium aliquandò adversetur cupiditatibus; non sequitur veritatem veritati adversari. Ut enim veritas veritati adversaretur, oporteret ut ex hâc parte verum esset officium esse implendum, ex illâ autem cupiditates non esse frenandas : atqui posterius hoc verum esse probari non potest. Ex eo enim quòd cupiditates sunt sensus naturæ, non sequitur his laxandas esse habenas. Ergò 1°, etc.

Resp. 3° *Ad posteriorem probationem, distinguo antecedens.* Officia officiis adversantur objectivè, *concedo antecedens;* subjectivè aut practicè, *nego antecedens.* Reverà fatemur non raròadesse leges quæ in se spectatæ, seu ratione objecti, sibi mutuò adversantur; at practicè implenda est lex cujus auctoritas præstat; aut, si æqualis sit utriusque auctoritas, quamlibet sequi licitum est. Ergò, etc.

* § XI. *Solvuntur objectiones contra theses secundam, tertiam, quartam et sextam.*

* *Objicies* 3° *contra secundam thesim.* Regula morum et proindè discrimen inter bonum et malum morale repetenda sunt e fine actuum humanorum : atqui finis actuum humanorum est felicitas; quisque enim semper eo fine agit ut aliquid percipiat utilitatis; ergò discrimen inter bonum et malum morale repetendum est ex utilitate.

* *R. Distinguo majorem.* Regula morum repetenda est e fine morali actuum humanorum, *concedo majorem;* ex alio quocumque, *nego majorem. Ad minorem, pariter distinguo :* atqui felicitas est finis actuum humanorum, sed non moralis, *transeat minor;* est finis moralis, *nego minorem et consequentiam. Ad probationem minoris, transeat antecedens, nego consequentiam.*

* Reverà non unicus est finis actuum humanorum, et indè argumentationis vitium, quòd unicum tantùm finem agnoscat. Porrò triplex finis distinguendus est. Confitendum est enim, nisi recto animi sensui vis inferatur; hominem aliquandò operari eâ intentione ut officium aliquod impleat, aut eo fine ut aliquid utilitatis percipiat, aut demùm eum nec intendere officium implendum, nec utilitatem ex actu consequendam, sed instinctu ductum agere. Porrò, e tribus istis rationibus quæ ad agendum movere possunt, una tantùm moralis est, nempè officium, et proindè sola officii consideratio constituit finem moralem; hoc enim solo fine homo fieri potest melior. Utilitatis prosecutione et expletione instinctûs ille quidem fieri potest beatior, sed non ideò melior efficitur. Ergò duo sequuntur, tum discrimen inter bonum et malum morale repetendum esse non e fine quocumque actuum, sed e fine morali; tum utilitatem non esse finem moralem.

* An verò felicitas sit finis omnium actuum humanorum, non affirmandum esse concessi, sed dixi : *transeat*; non enim, ut responderetur, debui quæstionem hanc expendere. Quid autem sentiam, nunc aperiam. Quæstio duplici sensu accipi potest, nempè, an agens, semper et in quolibet actu felicitatem intendat; an verò quamvis agens de felicitate non cogitet, actus quilibet ad felicitatem ejus conferat. Quæstioni in priori sensu intellectæ responsio jam præmissa est in parte psychologicâ. Nempè diximus agnoscendum esse nos, quum deliberatè agimus, semper felicitatem intendere, si per felicitatem intelligatur libiti impletio : quum enim deliberatè agimus, semper quod magis libet agimus. Si verò felicitas strictiori sensu accipiatur, et quæstio sit an semper agamus eo fine ut aliquid utilitatis veræ percipiamus, agnoscendum est

hominem agere posse quin felicitatem intendat. Quid enim utilitatis veræ sperare potest ille qui, in summam desperationem adductus, sibi cruentas manus infert? Non objiciatur illum eo fine agere ut sese à malo præsenti liberet; nil enim vetat supponere eum non abjecisse fidem suppliciis alterius vitæ. Si verò quæstionis sensus sit : an actus quilibet ad felicitatem agentis conferat, etiamsi ille de felicitate non cogitet, solutio patet. Adsunt actus qui ex se aliquid utilitatis afferunt agenti, etiamsi ille utilitatem hanc non intendat, sed aut officii consideratione, aut instinctûs impulsione ducatur : adsunt verò actus qui agenti nocent, ut patet.

* Ex responsione præcedenti patet etiam cur ad probationem minoris dixerim : *transeat.*

* *Objicies 4° contra eamdem thesim.* Non valet probatio deducta eo quòd societas stare nequeat in systemate utilitatis. Reverà non valet illa probatio, modò societatis origo et conservatio explicari possint in hoc systemate : atqui tum origo, tum conservatio societatis, etc. 1° Quidem origo. Duplici enim modo explicari potest origo societatis, nempè 1° ex pacto privatorum aut ex vi principis. 1° Ex pacto. Nam ex eo quòd finis hominis sit felicitas, sequitur illum jus habere utilitatem quâlibet parte potest promovendi. Jus enim nihil est præter potentiam utendi facultatibus suis : homo igitur jus habet agendi quidquid ipse agere potest. At jure illo gaudent etiam cæteri homines. Hinc opposita jura? Hinc, ex nativâ hominis conditione, bellum omnium contra omnes. Sed nil magis obest felicitati, quæ est finis hominis, quàm bellum istud universale. Hinc confugere singuli coguntur ad pactum quo alicui principi committant jus et potestatem bellorum motus inter privatos compescendi. Ergò 1° so-

cietas oriri potest ex pacto. 2° Et oriri potest e vi principis, si quis inveniatur satis magnâ potentiâ aut astutiâ præditus ut privatos in ditionem suam redigat. Ergò 2° societas oriri potest ex vi principis. 2° Explicari potest et conservatio, in systemate utilitatis. Princeps enim jus habet pariter agendi quidquid potest; undè, modò prudenter se gerat et omni viâ utatur vimque quantùm necesse erit adhibeat ut privatos in subjectione retineat, stabit societas. Ergò, etc.

* *R. Nego antecedens. Ad probationem, nego utramque partem, scilicet societatis tum originem, tum conservationem explicari posse, in systemate utilitatis*, ut constat ex allegatis in nostrâ thesi. Addemus tantùm 1° Jus in objectione malè definiri; confunditur enim illud cum potentiâ physicâ : atqui ex omnium communi sensu, jus non idem est ac potentia physica. 2° Falsum est nativam hominis conditionem esse bellum omnium contra omnes : tum quia illud adversatur observationi quâ agnoscuntur in homine benevoli animi sensus et in societatem pacificam nativa propensio : tum quia, negatâ tanquàm falsâ juris definitione, ruit hujus belli universalis principium; tum demùm quia, si vera esset hæc opinio, leonibus pardisque ferocius esset hominum genus. 3° Objectio supponit homines, ante natam societatem, primitùs vixisse omni vinculo solutos. Sed ista hypothesis adversatur historiæ quæ semper genus humanum in statu societatis exhibet : adversatur insuper rationi; nam impossibile est ut existat genus humanum absque societate, ob infantium infirmitates plurimasque vitæ necessitates, ut fusiùs infrà ostendetur. Ergò, etc.

* *Objicies 5° contra eamdem thesim.* Actuum moralitas æstimanda est e solâ utilitate quam societati conferunt.

Etenim moralitas actuum æstimanda est à posteriori, non verò à priori : atqui æstimatio actuum quæ repetitur ex utilitate generali, sola est æstimatio à posteriori. *Probantur tum major, tum minor objectionis.*

* 1° *Probatur major.* Æstimantur actus à posteriori quandò æstimantur ex effectibus; æstimantur à priori quandò æstimantur ex se : atqui actus æstimandi sunt ex effectibus, non ex se, propter rationes quæ sequuntur : 1° quia regula moralis debet esse clara : atqui clara non est intrinseca actuum natura, patent autem effectus. 2° Regula moralis debet esse unica eademque in omnibus : atqui æstimatio repetita ex effectibus unica est eademque in omnibus, non autem æstimatio à priori : æstimatio enim à priori non differt ab æstimatione deductâ e sensu convenientiæ aut repugnantiæ (*sympathie ou antipathie*) : atqui sensus convenientiæ et repugnantiæ non sunt iidem in omnibus, juvant enim unum quæ alteri displicent. 3° Regula moralis debet esse determinata; atqui æstimatio à priori non potest esse determinata; assignari enim nequit quo puncto utilitas huic regulæ cedere debeat. 4° Regula moralis debet esse obligatoria : atqui nullius regulæ quæ à priori deducitur, demonstrari potest auctoritas. 5° Omnis lex debet esse exterior illi quem regit : atqui æstimatio deducta ex effectibus sola est agenti exterior. 6° Demùm si actus æstimandi essent à priori, id est e sensu convenientiæ aut repugnantiæ, legislatores debuissent pœnas rependere sontibus, ratione habitâ sensûs repugnantiæ quem delicta commovent : atqui econtrà legum conditores supplicia decernunt ratione detrimenti quod patitur societas. Ergò 1°, etc.

* 2° *Probatur minor.* Assignari nequit loco æstimatio-

nis desumptæ ex utilitate, nisi æstimatio repetita e sensu convenientiæ aut repugnantiæ : atqui æstimatio repetita e sensu convenientiæ aut repugnantiæ non est à posteriori, ut patet, dùm econtrà æstimatio ex utilitate fit à posteriori, desumitur enim ex effectibus; ergò etc.

* *Resp.* 1° *Nego antecedens.* Scilicet moralitatem actuum repetendam esse ex utilitate societatis.

* *Resp.* 2° Argumenti verò quo antecedens probare nituntur, *nego* 1° *majorem, scilicet actuum moralitatem esse æstimandam à posteriori, nempè ex effectibus actuum,* propter rationes allatas in nostrâ thesi.

* Ad singula autem allegata ad probandam majorem, respondeo 1° claram quidem debere esse regulam moralem; sed clariorem esse regulam deductam e ratione, sive à priori, quàm regulam deductam à posteriori, nempè ex effectibus et utilitate actuum. Regula enim e ratione deducta intùs cuique illucet, facilè astimatur, actibus illa prior est; dùm econtrà sæpissimè non ita patet quid sit ex actu consequendum emolumenti aut damni : nec illud, saltem primâ vice, æstimari potest antè quàm positus fuerit actus cui tamen præire debet regula, ut legitimè agatur.

* 2° Unica quidem eademque in omnibus esse debet regula moralis; sed unica non erit regula desumpta à posteriori, seu ex utilitate; quod enim uni utile est, utile est et alteri, hinc opposita jura æstimatioque ejusdem actûs contradictoria. Unica autem est regula quæ e ratione et officio repetitur, unica enim est eademque in omnibus ratio et officii notio quam illa tradit. Convenientiæ et repugnantiæ quidem sensus qui ex sensibilitate solâ, non e ratione nascuntur, non sunt iidem in omnibus; sed regulæ quæ ex utilitate deducitur, subroganda

non est regula desumpta e sensibilitate, sed et ratione et officio.

* 3° Regula moralis determinata esse debet. Sed regula quæ repetitur ex ratione determinata est, facilèque assignari potest quo puncto utilitas huic regulæ cedere debeat. Vel enim adest conflictus inter officium et utilitatem, vel non. Si non adest, nulla est difficultas, utilitati consulere possumus, illæso officio. Si verò datur conflictus, officio cedat utilitas necesse est; sicque iterùm nulla difficultas in determinandis utriusque tum officii, tum utilitatis limitibus.

* 4° Profectò obligatoria esse debet regula moralis, et ideò non repetenda est ex utilitate, etiam societatis, et æstimanda à posteriori; quâ enim lege societatis utilitatem promovere tenemur, nisi ipsâ officii lege quæ à priori deducitur? Nisi auctoritas regentis societatem agnoscatur à priori, undè, quæso, potestas ejus auctoritatem repetet, nisi e vi et potestate ipsâ? Sic autem loco juris substituitur tyrannica potestas.

* 5° Omnis lex moralis debet quidem esse exterior illi quem regit; at regula quæ deducitur e ratione, exterior est agenti; notiones enim quæ e ratione accipiuntur, independentes sunt à singulis, omnibus communes sunt, et proindè e principio extra hominem posito profluunt.

* 6° Quamvìs actus æstimandi sint à priori, non ideò legum conditores debent pœnas sontibus rependere, ratione habitâ sensûs repugnantiæ quem delicta commovent. Nam, etiam æstimando actus à priori, possent pœnas rependere sontibus, ratione gravitatis culpæ, sive injuriæ quæ regulæ morali infertur. At legislatorum non est præcisè regulæ moralis læsionem vindicare; sed proprium ipsorum est utilitati societatis invigilare, et ideò supplicia

vulgò decernunt ratione gravitatis damni quod patitur societas. Attamen non omninò posthabent culpæ moralis considerationem, ut constat ex allegatis in thesibus.

* *Resp.* 2° *ad minorem, transeat.* Non enim expendere opus est an æstimatio repetita ex utilitate generali sola sit à posteriori. Probationis autem nego suppositum, scilicet supponit probatio præter utilitatem nullam esse aliam æstimationis actuum regulam, nisi sensum convenientiæ aut repugnantiæ atqui illud suppositum falsum est; adest enim regula officii e ratione desumpta.

* *Objicies* 6° *contra tertiam thesim.* Discrimen inter bonum et malum morale repetendum est ex sympathiâ. Illa enim regula discriminis meritò affertur, juxta quam observatio docet nos approbare aut improbare actus humanos. Atqui observatio docet nos actus humanos approbare aut improbare ex sympathiâ. Sympathia enim est sensus quo venimus in partem sensûs ejusdem quem alter experitur : atqui patet nos non venire in partem sensuum quibus afficiuntur alii homines, nisi quandò eos approbamus; et in partem eò minorem aut majorem hujus sensûs nos venire, quò minùs aut magis approbamus sensum aliorum; nullo autem modo nos experiri sensus quos in alios improbamus, sed econtrà illos sensus ab animo nostro esse alienos. Sic, qui furem improbat, nullo modo in sensus quibus fur afficitur, sympathiâ fertur; illum verò aliquâ parte approbaret, si quâ parte afficeretur pari sensu ac ille fur. Ergò, etc.

* *Resp.* 1° *Nego antecedens.*

* *Resp.* 2° *Ad probationem, distinguo majorem.* Illa regula discriminis meritò affertur, juxta quam observatio docet nos approbare aut improbare actus humanos, tanquàm absolutè et ex ratione ipsâ bonos aut malos, *con-*

cedo majorem; tanquàm bonos aut malos relativè ad quemdam sensum aut ad regulam quamlibet quæ aut non fluit ex ratione ipsâ, aut absoluta non est; *nego majorem.* Reverà plures afferri possunt regulæ e quibus æstimentur actus humani. Tres præcipuæ afferuntur, nempè 1° congruentia cum instinctu quodam, sive sensu, qualis est sympathia aut sensus moralis; quæ regula ex sensibilitate repetitur : 2° utilitas aut privata, aut publica, quæ partim ad sensibilitatem refertur, quatenùs ex sensibilitate judicatur quid naturæ sensibili congruat; partim verò ad rationem, quatenùs hujus advocatur auxilium ad dijudicandum quinam ex omnibus instinctibus aut sensibus naturæ humanæ anteponendi sint, ut quàm maxima felicitatis summa obtineatur : 3° demùm regula officii quæ à sensibilitate est prorsùs independens, et tota repetitur ex ratione absolutâ. Atqui ex observatione videre est alios homines qui actus approbant aut improbant ex instinctu sensibilitatis, alios ex utilitate, alios ex officio. Si igitur regula discriminis inter bonum et malum morale dici posset quæcumque regula juxta quam actus approbantur aut improbantur, non unica esset regula moralis, sed plures inter se persæpè oppositæ. At verò si unica adesse debet regula æstimationis actuum, agnoscendum est regulæ officii tribuendam esse rationem discriminis inter bonum et malum morale. Nam ex sensibilitate æstimari quidem potest quid sit bonum sensibile; ex utilitate, quid sit bonum utile; sed ex ratione solâ et notione officii, quid sit bonum morale, ut constat ex allegatis in thesibus nostris.

* *Resp.* 3° *Ad minorem, distinguo.* Observatio docet nos ex sympathiâ approbare aut improbare actus humanos; sed tanquàm relativè bonos, aut malos, *concedo minorem* : tanquàm bonos aut malos absolutè, *nego mino-*

rem. Patet solutio ex dictis. Et verò cavendum est ne decipiamur eo quòd sæpè eveniat ut sympathia congruat cum regulâ officii; duæ enim illæ æstimationis regulæ non sunt essentialiter oppositæ; possumus igitur approbare, tanquàm absolutè bonos, actus in quos sympathiæ sensu nos fert natura. Sed tunc approbatio absoluta fluit ex officii notione quæ nobis insita est. Ut autem valeret regula sympathiæ, oporteret ut sola duceret in approbationem absolutam, seu ostenderet actum congruere bono absoluto, id est, ex ratione cognito. Atqui illud fieri nequit, sensibilitas enim et ratio sunt duæ hominis facultates quæ prorsùs discrepant. Et verò belluæ ratione carent, non verò sensibilitate, et proindè apud illas deprehenditur et aliqua sympathia, observatione adhibitâ teste. Boni igitur et mali moralis discrimen agnoscerent belluæ, moralitatis essent illæ capaces, quod quidem nimiùm recto animi sensui adversatur. Ergò, etc.

* *Objicies 7° contra quartam thesim*. Discrimen inter bonum et malum morale repetendum est ex sensu morali. Etenim 1° omnes notiones intellectùs humani oriuntur ex experientiâ et sensibus; ratio autem non valet nisi ad deducendas conclusiones ope ratiocinii. 2° Idea boni et mali moralis est notio simplex et primaria : atqui quælibet notio simplex et primaria à sensu aliquo oritur, immò et à sensu speciali, quandò notio hæc est generis specialis : sic coloris, odoris, saporis, etc., notiones, quum sint simplices, primariæ et speciales, à sensu quodam, et singulæ à sensu speciali accipiuntur; ergò à sensu speciali oritur notio boni et mali moralis, nempè à sensu morali. 3° Boni moralis perceptionem comitatur aliqua delectatio, ergò bonum morale qualitatem habet sensibilem, et indiget sensu special quo hujus obtineatur notio. 4° Bonum morale videtur esse

finis actuum : atqui nullum e nostris finibus adinvenire potest intellectus, sed experientia tantùm ; effectus enim consecuturi non possunt æstimari à priori. Ergò ex experientiâ et sensu repetenda est moralitas actuum. 5° Bonum morale nobis videtur esse ratio cur agamus, et proindè voluntatem commovet et inclinat in actum : atqui intellectus non potest commovere voluntatem, proprium autem est sensuum quos experimur, commovere voluntatem. Ergò, etc.

* *Resp. Nego antecedens.*

* *Ad primam probationem, nego pariter antecedens.* Ostendimus in Logicâ cognitiones nostras non omnes oriri à sensibus. Sed, occasione datâ, notandum est systemata tum Egoïstarum, tum Sensualistarum, communem originem habuisse in opinione Sensualistarum de origine cognitionum humanarum.

* *Ad secundam probationem, concessâ majore, nego minorem.* Non quælibet notio simplex et primaria à sensu aliquo oritur; sed notiones duntaxat simplices et primariæ qualitatum sensibilium, ut coloris, odoris, saporis, etc. At præter istas adsunt plurimæ notiones simplices et primariæ quæ non sunt qualitatum sensibilium et ideò non possunt à sensibus accipi, quales sunt, præter boni et mali moralis notionem, ideæ temporis, spatii, Dei, infiniti, causæ, identitatis personalis, etc., etc., ut in Logicâ ostendimus.

* *Ad tertiam probationem, transeat antecedens.* Dico *transeat*, ne fortè adsit aliquandò boni moralis perceptio quam nulla comitetur delectatio. *Distinguo consequens :* bonum morale habet qualitatem sensibilem, sed concomitantem duntaxat bonitatem ejus absolutam e ratione desumptam, et à sensatione et delectatione prorsùs indepen-

dentem, *transeat consequens*, pari ratione propter quam ad antecedens dixi etiam : *transeat*. Bonum morale totum consistit in qualitate sensibili; *nego consequens et consequentiam*. Immeritò negant adversarii inesse bono morali qualitatem absolutam et independentem à sensibus, ut patet ex dictis in thesibus. Qualitas igitur hæc, quum non sit sensibilis, non potest ex sensatione æstimari, sed ex ratione cujus est absolutum apprehendere. Delectatio autem sensibilis pendet ex sensibilitate. Sed philosophi quos hic redarguimus, non exhibent sensum moralem duntaxat tanquàm sensum specialem quo percipimus delectationem moralem quæ comes venit actui moraliter bono; sed hunc sensum exhibent tanquàm ipsius boni moralis regulam, et indè vitium illorum opinionis.

* *Ad quartam probationem, nego minorem.* Cognosci potest à priori, saltem finis moralis actuum humanorum, ut constat ex dictis in thesibus nostris. Et verò undè tam confidenter negant adversarii posse intellectum ullum e finibus nostris detegere, nisi eo quòd semper bonitatem moralem sibi effingant tanquàm qualitatem aliquam sensibilem actuum? Quo posito, fateor finem non æstimandum esse à priori, sed ex effectibus; ratio enim à priori non detegit qualitates sensibiles. Sed quum finis moralis sit à sensibus remotus et absolutus, non mirum quòd ratio absoluta possit illum detegere.

* *Ad quintam probationem, distinguo majorem.* Bonum morale commovet voluntatem et inclinat in actum, suadendo, *concedo majorem; sensibilitatem semper afficiendo, nego majorem; et, distinctâ minore in sensu majoris, nego consequentiam*. Intellectus quidem non commovet voluntatem ope sensibilitatis, sed ope luminis quod ratio menti infundit. Ergò, etc.

* *Objicies* 8° *contra quintam thesim.* Discrimen inter bonum et malum morale repetendum est ex lege politicâ. Ergò, etc.

* *Resp. Nego antecedens,* propter rationes in thesi allegatas.

* E verò, si verum esset antecedens, sequeretur bonum fieri cras quod hodiè malum est; legitima fieri posse quæcumque pessima judicant homines, adulteria, furta, homicidia, violentia, tyrannica potestas, etc., quum actuum bonitas à solâ voluntate legislatoris proveniret. Ergò, etc.

* *Objicies* 9° *contra sextam thesim.* Discrimen inter bonum et malum morale repetendum est ex voluntate positivâ et liberâ Dei. Deus profectò quædam præcipit, alia vetat : atqui hæc voluntas sufficit ut adsit discrimen inter bonum et malum; voluntas enim Dei est summè justa. Ergò, etc.

* *Resp.* 1° *Nego antecedens.*

* *Resp.* 2° *ad probationem, nego minorem.* Voluntas enim Dei positiva, si nulla esset lex officii ex essentiâ rerum profluens, non sufficeret ut daretur discrimen inter bonum et malum morale, ut ostendimus in nostrâ thesi. Quod verò additur, voluntatem Dei esse summè justam, nobis favet, nedùm noceat; cur enim voluntas Dei dicitur summè justa, nisi quòd illa recto semper consentit? Quid autem est illud rectum, nisi rectitudo absoluta, ab omni voluntate positivâ independens et ex essentiâ rerum profluens? Independenter à voluntate positivâ Dei existit igitur rectitudo essentialis, e quâ repetendum est discrimen inter bonum et malum morale. Ergò, etc.

§ XII. *Solvuntur objectiones contra septimam thesim.*

Objicies 10° *contra septimam thesim.* Falsum est discrimen inter bonum et malum morale oriri ex essentiâ

rerum et ab ipsâ ratione accipi. Reverà enim 1° admittendæ non sunt ideæ innatæ : atqui in hâc opinione admittenda esset idea innata boni et mali moralis. 2° Si notio boni et mali moralis oriretur ex ratione, posset demonstrari id discrimen : atqui illud demonstrari nequit. 3° Sola vim demonstrativam habent argumenta geometrarum more instituta : atqui non potest discrimen inter bonum et malum morale demonstrari argumentis more geometrarum institutis; nam argumenta geometrarum non possunt absque contradictione negari : atqui negari potest discrimen inter bonum et malum morale absque contradictione. Ergò, etc.

Resp. 1° *Nego antecedens.*

Resp. 2° *ad primam probationem, nego minorem.* Etenim, ex dictis in Logicâ de origine cognitionum humanarum, et in primo articulo hujusce capitis, in quo expendimus quid sit lex naturalis, satis intelligitur quo sensu dicendum sit, in nostrâ opinione, discrimen inter bonum et malum morale naturaliter agnosci.

Resp. 3° *ad secundam probationem, nego majorem.* Adsunt notiones quæ oriuntur ex ratione, nec tamen demonstrari queunt, non eo quòd veritate careant, sed eo quòd omni demonstratione clariores certioresque sint. Inter veritates hujus generis meritò computatur notio boni et mali moralis. Ergò, etc.

Resp. 4° *ad tertiam probationem, nego majorem.* Argumenta geometrarum more instituta nituntur evidentiâ contradictionis : atqui argumenta hæc non sola vim habent demonstrativam; veritatem enim demonstrare valent etiam argumenta in evidentiâ recti sensûs innixa, ut sequitur ex dictis in Theoriâ certitudinis. Ergò, etc.

NUMERUS III.

DE UTILITATE, SIVE BEATITUDINE.

§ I. Quid sit utilitas et beatitudo. — § II. Hujusce numeri scopus — § III. De beatitudine opiniones. — § IV. Thesis prima — § V. Thesis secunda. — * § VI. Fusior probatio.— § VII. Principia solutionis objectionum.

§ I. *Quid sit utilitas et beatitudo.* Utilitas (gallicè l'*intérêt*) non idem omninò sonat ac beatitudo. Utilitatem aliquam præstat *Quidquid aliquid affert commodi* : at beatitudo est *Expletio omnium instinctuum, appetituum et desideriorum quæ humanæ naturæ congenita sunt.*

Quidquid alicui humanæ naturæ necessitati congruit, bonum meritò dicitur; reverà bonum est quidquid alicui naturæ est attemperatum, necessitatesque ejus explet. Dicimus bonum esse quidquid aliquam explet necessitatem naturæ, sed non diximus illud esse bonum morale. Reverà duplex præsertim distinguendum est boni genus, nempè *bonum sensibile* et *bonum morale.* Per bonum morale intelligitur *Quidquid officii lege præcipitur* : per bonum autem sensibile, *Quidquid aliquem humanæ naturæ sensum, sive corporeum sive incorporeum explet.* Bona sensibilia multiplicis generis distinguuntur, præcipuèque dividuntur in bona corporis et bona animæ. Alia prosunt, alia delectant. Quæ prosunt vocantur præsertim utilia; quæ verò delectant, præsertim sensibilia vocantur. At hæc et illa sensibilia dici possunt eo sensu quòd his respondeat aliquis humanæ naturæ sensus aut appetitus.

§ II. *Hujusce numeri scopus.* In præcedenti numero probavimus agnoscendum esse bonum morale, illudque distinctum esse à quocumque bono sensibili, sive utili,

sive delectante. In præsenti autem numero investigamus, non quidem an adsit aliquod bonum utile homini, illud enim negari nullo modo potest; sed investigandum nobis est an homo destinatus sit ad beatitudinem, id est, ad expletionem omnium desideriorum naturæ, et an hujus vitæ bona possint homini præstare beatitudinem ad quam destinatus est. In sequenti numero investigabimus an et quomodò officium et utilitas sive beatitudo conciliari possint.

Si adfuêre philosophi qui discrimen inter officium et utile tollentes, agnoverunt id tantùm bonum esse quod prodest; adfuerunt et qui illud discrimen sustulerint, negantes existere bona utilia; contendentes verò unum tantummodò esse bonum, nempè virtutem. Hic erat Stoïcorum error, quorum confutatio præcipuè attinet ad numerum sequentem. Hic enim investigandum solummodò habemus an homo destinatus sit ad beatitudinem, et in quo sita sit hominis beatitudo. An verò et quandò malum sit moraliter utilitati consulere, dicturi sumus solvendo quæstionem an et quomodò officium et beatitudo conciliari queant.

Quandò dicitur hominem esse ad beatitudinem destinatum, non intelligitur illum esse hunc finem necessariò assecuturum. Nam, quum homo sit libertate præditus, potest quidem à fine quem intendebat naturæ humanæ conditor, deflectere. Etsi igitur beatitudinem homo culpâ suâ non consequatur, non indè finis naturæ ejus negandus est.

§ III. *De beatitudine opiniones.* De beatitudinis objecto plurimæ numero fuerunt apud gentiles philosophos diversæ opiniones. Tanta aderat eâ de re inter eos discordia, ut 288 opiniones discrepantes, post Varronem, numeret

S. Augustinus *lib.* XV *De civit. Dei, cap.* 20. Nunc verò, lucente Evangelio, Christiani apertè nôrunt beatitudinem non esse in bonis hujus vitæ quærendam.

Docent multi philosophi christiani demonstrari posse ope rationis hominem conditum esse ad beatitudinem perfectam, et indè futuram vitam immortalem fore. Sic illi argumentantur. Inest, inquiunt homini illimitatæ felicitatis desiderium, quod si non expleretur, Deus indidisset homini desiderium quo angeretur : bonitatem autem divinam læderet illud desiderium inexpletum. Negant verò alii, eo quòd desiderium beatitudinis non sit infinitum; sed potiùs indefinitum. Reverà creatura nullum emittere potest desiderium infinitum sive subjectivè, seu quoad intensitatem desiderii, sive objectivè, seu quoad magnitudinem objecti : quum enim in creaturâ cuncta finita sint, finiti necessariò sunt ejus appetitus, et proindè finito objecto satiari possunt. Quum igitur finitum sit hominis desiderium, etiamsi Deus illud explere teneretur, satis esset ut beatitudinem limitatam homini tribueret. At ne Deus quidem tenetur homini tribuere beatitudinem intra limites ejus naturæ perfectam. Si enim ad id teneretur Deus, vel bonitate, eo, quòd, utpotè summè bonus, non possit humanæ menti infundere desiderium quo angeretur, vel sapientiâ, eo quòd sapienti conditore indignum sit naturæ humanæ indidisse appetitus absque objecto quo expleantur : atqui neutra ratio valet. Non ratio deducta ex bonitate divinâ : nam demonstrari nequit bonitatem divinam lædi, nisi creaturæ tribuatur existentia quæ sit nihilo pejor, citra ipsius creaturæ culpam. At, modò existentia creaturæ concessa sit nihilo melior, à Deo beneficium illa accepit, gratesque Deo rependere debet, nedùm illum bonitatis defectu arguat, ut ostendimus in Theo-

dictâ. Nec etiam valet ratio deducta e sapientiâ Dei. Nam appetitus qui humanæ naturæ infunduntur, non omninò carent objecto; illi naturæ sunt inditi, ut ea prosequatur quæ sibi utilia sunt, sed nihil ostendit omnes appetitus illos simul explendos esse. Econtrà, ratione duce, ita quidem dirigendi sunt ut quàm maximam beatitudinis summam homo obtineat, sed tamen semper imperfecta erit hæc beatitudo, et aliquâ re indigens erit homo.

Nobis videtur, propter has rationes, non firmum omninò, sed probabile tantùm deduci posse argumentum ex bonitate et sapientiâ divinâ, ut probetur, seclusâ revelatione, hominem ad beatitudinem perfectam conditum esse. Existimamus ergò nimis confidenter philosophos afferre, in gratiam futuræ felicitatis, argumentum deductum ex innato felicitatis desiderio et bonitate divinâ. (*Vide de la Luzerne, Dissertation sur la loi naturelle*, chap. III, art. 3. *L'âme est-elle absolument immortelle?*) Ad summum nobis videtur e ratione deduci posse hominem destinatum esse ad felicitatem quæ sit legitima virtutis merces, et felicitatem hanc in præsenti vitâ non adesse. Beatitudinem igitur ad quam homo destinatus est, concludimus e notione meriti et demeriti justitiâque Dei.

THESIS PRIMA.

§ IV. *Homo destinatus est ad beatitudinem quæ sit legitima virtutis merces.*

Probatur. Thesis nostra innititur notione meriti et demeriti et justitiâ Dei : atqui admittenda est thesis quæ innititur notione meriti et demeriti et justitiâ Dei. Etenim notio meriti et demeriti non minùs e ratione fluit, quàm cæteræ notiones, verbi gratiâ, officii, axiomatum geometriæ, etc., quæ certissimæ ab omnibus habentur. Jus-

titia Dei est attributum non minùs certum quàm cætera attributa Dei; ergò admittendum est, etc.

THESIS II.

§ V. ***Beatitudo ad quam homo destinatus est, non invenitur in præsenti vitâ.***

Probatur iisdem argumentis ac probatum fuit, in Psychologiâ rationali, animam humanam fore corpori superstitem.

* § VI. *Fusior probatio.*

* Et verò nec in ipsâ virtute, nec in bonis hujus vitæ sita esse potest legitima virtutis merces. Etenim virtutis merces debet esse aliqua beatitudo; hæc debet aliquo modo satiare, non incendere hominis appetitus; virtutem non fugiat necesse est; huic insuper propria esse debet, non autem vitio pariter communis. Atqui nec ipsi virtuti, nec bonis hujus vitæ congruunt illæ mercedis debitæ conditiones.

* *Probatur* 1° *major.* 1° Quidem virtutis merces debet esse aliqua beatitudo. Nam meriti notio quam à ratione quisque accipit, est idea alicujus felicitatis benè agenti rependendæ; 2° hæc beatitudo debet aliquo saltem modo satiare, non incendere hominis appetitus; beatitudo enim quæ non satiaret, sed incenderet hominis appetitus, non esset vera beatitudo, sed hominem econtrà miseriorem efficeret; 3° beatitudo hæc virtutem non fugiat necesse est; aliter enim posset virtus debitâ mercede carere; 4° demùm beatitudo hæc debet esse virtuti propria, non autem vitio communis; jam enim illa non esset virtutis præmium. Ergò, etc.

* *Probatur* 2° *minor.* 1° Quidem ipsa virtus non gaudet omnibus conditionibus legitimæ mercedis, tum quia in

opinione Stoicorum qui virtutem solam prædicant, duæ confunduntur notiones intellectûs humani essentialiter distinctæ, scilicet notio virtutis et notio mercedis quæ ab ideâ virtutis distincta est, ut cuique patet. Tum quia virtuti sæpissimè beatitudo non adjungitur, ut testatur experientia : immò et aliquandò beatitudini adversatur virtus, quum aliquandò propriæ utilitatis detrimento implendum adsit officium. Quæ beatitudo merces erit illius qui mortem subit ut officio fungatur ? Tum demùm quia pax et gaudium conscientiæ non est legitima virtutis merces, quum et ipsi scelesti homines aliquandò nullos conscientiæ stimulos aut admodùm remissos experiantur, dùm magnâ perfunduntur lætitiâ cupiditates vitiosas explendo ; et econtrà probi homines, dùm virtutem sectantur, non rarò premantur conscientiæ anxietatibus.

* 2° Nec bona hujus vitæ gaudent omnibus conditionibus legitimæ mercedis. Bona enim hujus vitæ sunt vel bona fortunæ, vel bona corporis, vel bona animi : atqui bona hæc non gaudent omnibus conditionibus legitimæ mercedis. 1° Quidem non bona fortunæ, quæ sunt honores, dignitates, divitiæ. Nam à solis probis non possidentur ; appetitum irritant, nedùm expleant ; variis incommodis obnoxium reddunt hominem ; cum labore enim comparantur, cum timore et sollicitudine conservantur, cum dolore amittuntur. 2° Non bona corporis, quæ consistunt præsertim in sanitate et voluptatibus ; nam sanitas non certò virtuti adjungitur, voluptas verò sæpissimè huic adversatur, neutra autem virtuti propria est. 3° Non bona animi, quæ sunt præcipuè scientia et virtus, quæ nequeunt omnia hominis desideria explere. Ergò, etc.

§ VI. *Principia solutionis objectionum.*

Contra theses modò stabilitas arguunt 1° Stoici et phi-

losophi quidam recentiores qui docent hominem ad virtutem, non ad felicitatem efformatum fuisse. Ipsis videtur malum esse, aut saltem bonitate morali carere, quidquid agit homo ut aliquid indè percipiat utilitatis. Ipsorum objectis respondendi locus aderit in numero sequenti.

2° Arguunt et omnes qui alteram vitam negant, id est Materialistæ et Deistæ plurimi. Ipsorum objecta jam scivimus in Psychologiâ rationali, agendo de immortalitate animæ humanæ.

3° Arguerent et qui Epicureorum more vivunt, si argumenta curarent : ipsi enim beatitudinem in voluptatibus hujus vitæ quærunt, non in alterâ vitâ. Nulla ratio nova adversùs eos adhibenda occurrit.

4° Fortè nec omnibus philosophis catholicis sapiet quod diximus, scilicet nobis non videri animæ immortalitatem strictè probari posse ex desiderio felicitatis nobis innato. Argumentis quibus opinioni nostræ contradicere nitentur, jam anteà occurrimus tum in Psychologiâ rationali, tum in prænotationibus thesibus nostris nuperrimè præmissis. Rationibus ibidem invocatis adjungi potest auctoritas domini de la Luzerne, loco superiùs citato.

Sit igitur unicæ objectionis sequentis solutio.

Objicies. Si æquiparentur dolores et gaudia quæ secum virtus affert, cum gaudiis et angoribus quæ vitium sequuntur, videbitur hominem virtutis cultorem beatiorem esse quàm qui cupiditatibus indulget; ergò virtus sibi ipsi merces est, vitiumque pœna, nec requiritur ut ordo in alterâ vitâ restituatur.

Resp. 1° *Nego antecedens.* Non verum est hominem virtutis cultorem semper beatiorem esse illo qui cupiditatibus indulget. Sæpè quidem sæpiùs evenit ut plurima mala secum à vitiis trahantur, fateorque sæpissimè vir-

tutes, superando vesanos cupiditatum appetitus, menti internam inferre pacem quæ vitiorum gaudiis longè potior est. At non semper ita evenit, sæpèque inveniuntur viri virtutum sectatores longè infeliciores hominibus qui cupiditatibus indulgent. Hæc experientiâ comprobata videntur.

Resp. 2° *Nego consequentiam.* Etiamsi certum esset gaudia virtutis plura majoraque esse quàm vitiorum gaudia, non sequeretur virtutem sibi ipsi esse mercedem vitiumque pœnam. Quæstio enim præcipua non est an virtus secum gaudia afferat, sed an gaudia illa debitæ mercedis notas habeant. Porrò sequitur ex dictis in nostrâ thesi virtuti deesse in præsenti vitâ felicitatem quæ mercedis debitæ characteres ferat. Ergò, etc.

NUMERUS IV.

DE CONSOCIATIONE UTILITATIS ET OFFICII.

§ I. Prænotationes. — § II. Thesis prima. — § III. Thesis secunda. — § IV. Thesis tertia. — § V. Thesis quarta. — § VI. Corollarium. — § VII. Solvuntur objectiones.

§ I. *Prænotationes.* Quicumque deliberatè agit, sibi finem aliquem obtinendum proponit. In opinionum expositione vidimus adesse philosophos qui quamlibet utilitatis prosecutionem culpant tanquàm amore proprio, seu egoismo, infectam. Vidimus et alios adesse qui quamlibet utilitatis prosecutionem non quidem redarguunt tanquàm vitiosam, sed tantùm tanquàm bonitate morali carentem; prudenter, inquiunt, agere potest qui utilitatem prosequitur, sed ille duntaxat benè moraliter agit, qui officium implendum intendit. Sequitur e primâ opinione vitiosum esse quemlibet actum spe mercedis aut vindictæ metu per-

petratum ; e secundâ autem sequitur illum non quidem vitiosum esse, sed tantùm non esse bonum moraliter. Quæstio nunc solvenda est, quid sentiendum sit de his opinionibus : an utilitas et virtus legitimè, et quâ conditione consociari queant. Ut autem solvatur quæstio proposita, quædam prænotanda sunt.

1° Finis quem sibi proponit agens, duplex præsertim esse potest, nempè finis intermedius et finis ultimus. Finis intermedius *Ille est qui intenditur tanquàm via alterum aliquem finem consequendi*. Finis verò ultimus *Ille est qui ad nullum alium finem refertur*. Nota plurimos esse posse fines intermedios. Sic aliquis appetere potest animi remissionem ut valeat; valetudinem autem, ut intentiùs studio vacet; studium verò, ut, doctior effectus, Deo utiliùs serviat.

2° Multiplici etiam modo actus ad finem referri potest, nempè præsertim explicitè et implicitè. Actus ad finem explicitè refertur *Quandò finis ille aperto consilio intenditur* : implicitè autem, *Quandò finis ille includitur in alium finem quem agens intendit*. Sic ille qui pauperi eleemosynam tribuit expresso consilio ut Deo placeat, implicitè tamen intendit sublevationem pauperis.

3° Spes mercedis aut vindictæ metus possunt diversimodè impellere agentem ad actum. Scilicet agere potest spe mercedis aut vindictæ metu ita impulsus ut simul intendat officium implendum : vel ita dispositus ut voluntatem vitio defixam servet nec ullo modo officium intendat, sed utilitatem tantùm prosequatur.

His prænotatis nunc quæstionem solvimus.

THESIS PRIMA.

§ II. *Ut actus aliquis sit moraliter bonus, oportet ut agens aliquo saltem modo intendat officium implendum.*

Probatur. Ut actus sit moraliter bonus, oportet ut finis agentis sit etiam bonus moraliter; actus enim in agente consideratus non æstimandus est tantùm ex objecto, sed et e fine, quum deliberatè agens semper aliquem finem intendat; immò et natura actûs pendet e fine proposito, ut cuique patet. Sic non haberetur tanquàm bonus moraliter actus divitis qui eleemosynam largiretur eo tantùm fine ut sibi benefici famam conciliaret aut ut molestas compesceret pauperum querelas, seclusis pauperum affectu et omni officii adimplendi voluntate. Atqui, ut finis aliquis sit moraliter bonus, oportet ut aliquo saltem modo officium implendum intendatur : nam officii adimpletio constituit essentiale discrimen inter bonum et malum morale. Ergò, etc.

THESIS II.

§ III. *Bonitate morali carent, immò et vitiosa esse possunt spes mercedis et vindictæ metus quibus voluntatem implendi officii positivè excluderet agens.*

Probatur. Etenim ex præcedenti thesi sequitur in eo casu saltem bonitate morali carere spem mercedis et vindictæ metum; tunc enim nullo modo agens intendit officium implendum. Immò vitiosa tunc esse possunt et spes et metus. Sic ex omnium consensu vitiosus est ille qui aut injustam necem inferre, aut furari, aut aliquid mali peragere vult, nec à malo actu perpetrando abstinet, nisi ob imminentem pœnam quæ manum cohibet, non autem perversum animi affectum immutat. Ergò, etc.

THESIS III.

§ IV. *Spes mercedis et vindictæ metus quæ non excludunt voluntatem implendi officii, vitiosa non sunt, immò et bonitate morali non carent.*

Probatur prima pars, nempè spem mercedis et vindictæ metum quæ voluntatem implendi officii non excludunt vitiosa non esse. Reverà illud vitiosum non est, quod nullâ lege prohibetur : atqui nulla lex afferri potest, quâ prohibeantur spes mercedis et vindictæ metus quæ includunt officii adimplendi voluntatem. Ergò, etc.

Prætereà ipsa natura nobis indidit meriti demeritique notionem, spem mercedis et vindictæ metum ; ergò culpanda non sunt spes et metus.

Et verò quis dicere audeat strenuum militem, omni periculo pro communi salute sese dantem officii implendi studio, peccare, si virtutis præmium obtinere speret? Quis dicere audeat legum conditores qui adimpletis officiis præmia pravisque actibus pœnas decernunt, subditos in vitiosum egoismum impellere? Ergò, etc.

Probatur secunda pars, nempè spem mercedis et vindictæ metum quæ non excludunt voluntatem implendi officii, bonitate morali non carere. Ille enim benè moraliter agit, qui intendit officium implendum : atqui officium implendum intendit, saltem implicitè, qui spe mercedis aut vindictæ metu ducitur, quum supponatur non excludi voluntatem implendi officii. Ergò, etc.

Et verò ille agit benè moraliter, qui ad finem naturæ suæ legitimâ viâ tendit, tendit enim ille ad ordinem ; malè autem econtrà ageret ille qui ad finem naturæ suæ tendere legitimâ viâ non satageret. Atqui agens qui mercedem sperat aut vindictam timet, ad finem naturæ suæ legitimâ viâ tendit. Nam finis naturæ humanæ est ut ad felici-

tatem virtutem sectando perveniamus. Etenim ex unâ parte ad felicitatem quærendam nos invincibiliter impellit natura; ex alterâ verò eadem nos pariter impellit ad virtutem sectandam fugiendaque vitia. Eadem natura nobis meriti demeritique ideam indidit, etc. Ergò finis naturæ humanæ est felicitas per virtutem assequenda. Ergò, etc.

THESIS IV.

§ V. ***Bonus esse potest moraliter actus illius qui mercedem directè intendit.***

Probatur. Ille enim qui mercedem directè intendit, potest velle officium implere, velle ordinem, sive felicitatem per virtutem consequendam. Ergò, etc.

§ VI. *Corollarium.* Ergò legitimè consociantur utilitas et virtus, beatitudo et officium, nempè quandò quæritur felicitas obtinenda per officiorum adimpletionem. Sequitur ex dictis.

§ VII. *Solvuntur objectiones.*

Objicies 1° Spes et metus non possunt esse bona moraliter. Reverà illi actus non possunt esse boni moraliter, qui non sunt liberi : atqui spes et metus non sunt actus liberi; referuntur enim ad sensibilitatem quæ non est facultas libera.

Resp. 1° *Nego antecedens.*

Resp. 2° *ad probationem, concessâ majore, nego minorem.* Reverà 1° ex observatione constat me sperantem præmium aut vindictam metuentem posse tamen non operari bonum quod perago. 2° Superiùs vidimus, Parte psychologicâ, illum metum duntaxat tollere libertatem, qui tantus est ut mens non remaneat suî compos. 3° Notavimus etiam, eodem loco, metum vindictæ à legislatore justè illatæ ne minuere quidem libertatem, ut observatione

quotidianâ constat. 4° Si spes metusque non essent actus liberi, maximè quia ad sensibilitatem ii pertinent, liberaque non sunt quæcumque e sensibilitate procedunt : atqui ratio hæc nulla est. Nam, licet affectiones animi pertineant præcipuè ad sensibilitatem, ad eas tamen concurrunt intellectus et activitas; possunt igitur plurima quæ ad sensibilitatem præcipuè referuntur, includere activitatis liberæ exercitium. Porrò, ut de spe et metu speciatim loquamur, agnoscendum est ex observatione, contra quam nulla valent ratiocinia, neutrum tollere libertatem. Constat namque nos posse mercedem futuram præsenti voluptati anteferre, aut econtrà voluptati præsenti postponere vindictam futuram.

Et verò fatemur trepidationem quam incutit metus, tollere aut minuere libertatem. Sic perfectè liber non sum, quum mihi, ense districto et ad fauces adjecto, mortem aliquis minatur, nisi tali vel tali actui consensum præbeam : hæc enim trepidatio impedit quin mei sim perfectè compos. Trepidatio hæc ad sensibilitatem pertinet. Sed justæ vindictæ metus minùs ad sensibilitatem refertur, non enim includit hic metus illam animi trepidationem quam incutiunt violentia et præsentis mali reformidatio : sed animæ sua quies relinquitur, nulla huic vis infertur, malum timendum non est præsens, servat mens facultatem obtinendi finem naturæ suæ moralis, nempè virtutem, potiùs demùm intellectu vindictæ gravitas apprehenditur quàm sensibilitate. Ergò, etc.

Objicies 2°. Qui ducuntur spe mercedis aut vindictæ metu, non officii, sed commodorum tantùm studio reguntur : atqui commodis tantùm inservire bonum non est moraliter : prudentiæ quidem, non autem virtutis est præsentis et exiguæ voluptatis damno multò majorem et

æternam felicitatem quærere. Sanè cautior est commodi proprii æstimator qui mercedem maximam voluptati miseræ anteponit, sed profectò ille melior dici nequit. Ergò, etc.

Resp. Nego majorem. Non enim contendimus bona esse moraliter spem mercedis et vindictæ metum quæ omnem officii implendi voluntatem excluderent; sed loquimur tantùm de iis quæ voluntatem hanc includunt, ità ut primùm officium adimplere studeamus, deindèque commoda consequi intendamus. Atqui spes metusque sic intellecta bona sunt moraliter; supponunt enim in agente adimplendi officii studiosam voluntatem. Itaque non solùm prudentiæ, sed et virtutis est bonum spe mercedis aut vindictæ metu peragere; et cautior est commodorum æstimator qui voluptati breviter transituræ æternam mercedem anteponit, et simul melior est. Ergò, etc.

Objicies 3°. Legitimum non est officium postponere commodis : atqui officium postponit commodis qui spe mercedis bonum operatur; directè enim commodum tanquàm finem intendit, virtutem verò tanquàm viam consequendæ felicitatis. Ergò, etc.

Resp. Nego minorem. Non enim loquimur de eo qui mercenariorum aut servorum more non ageret bonum, nisi aut spe, aut metu invitatus, ita ut, dùm agit, excludatur boni amor officiique tanquàm officii adimplendi voluntas; sed de eo qui officium implet quia officium est, licèt simul ad illud implendum impellat spes aut metus. Atqui ille qui sic agit, moraliter profectò agit; vult enim implere officium bonumque operari. Ergò, etc.

Et verò multum discrimen adest inter illum qui virtutem colit ut percipiat aliquam utilitatem quæ actus bonos consequitur, sed non tanquàm virtutis mercedem; et illum qui mercedem virtutis assequi intendit. Nam, quæ-

rendo ex virtute utilitatem aliquam quæ non est ejus merces, facillimè devenitur in oblivionem officii, nisi explicitè renovetur intentio implendi officii. Sic mercator qui probè se gerit ut plures numero emptores inveniat, periculum invadit obliviscendi officii. Hoc autem penitùs jam deseruit hypocrita qui rectè agit exteriùs ut bonus videatur. Ille autem qui mercedem intendit, officii implendi voluntatem includit; merces enim virtutis supponit officium adimpletum fuisse excultamque virtutem. Itaque ut tunc vitiosus fieret actus, oporteret ut positivè excluderetur intentio implendi officii. Ille igitur qui actum bonum peragit ut utilitatem percipiat, non curans de officio, commodo postponit virtutem : finis enim ejus ultimus est utilitas, virtus verò finis intermedius tantùm. Qui verò mercedem intendit, non secluso officio, virtutem primo loco intendit, consequenter verò felicitatem. Hæc ratio mihi videtur præcipua ut ostendatur spem mercedis bonam esse moraliter. Merces enim, quatenùs merces, pro officio adimpleto rependitur; hæc igitur ita officio adimpleto conjungitur ut, ex naturâ rerum, officium intendat qui mercedem virtutis, quatenùs mercedem, obtinere satagit. Qui verò felicitatem obtinere intenderet operando virtutem, sed nullo modo officium adimplere intenderet, hic jam mercedem virtutis non quæreret, quatenùs mercedem, sed quatenùs bonum quodcumque. Non mirum igitur quòd tunc ejus actus bonus non foret moraliter. Ergò, etc.

Objicies 4°. Nulla esse potest consociatio legitima inter virtutem et utilitatem. Nam quisque lege officii tenetur tendere ad finem extra personam humanam positum, tenetur enim tendere ad bonum absolutum, quod profectò extra personam humanam positum est. Atqui quicum-

quæ tendit ad felicitatem, non tendit ad finem extra personam humanam positum; propriam enim utilitatem quærit; ergò legem officii infringit. Ergò, etc.

Resp. 1° *Nego antecedens.*

Resp. 2° *Ad probationem, distinguo minorem.* Quicumque tendit ad felicitatem, seclusâ voluntate implendi officii, non tendit ad finem extra personam humanam positum, *concedo minorem* : suppositâ voluntate implendi officii, *nego minorem et consequentiam.* Solutio patet ex dictis.

PARAGRAPHUS II.

DE PRÆCEPTO DIVINO LEGIS NATURALIS.

Agemus De existentiâ hujus præcepti, deindè verò De divisione præceptorum et de distinctione inter præcepta et consilia, demùmque dicemus an cessare queat præceptum legis naturalis. Tres erunt numeri.

NUMERUS PRIMUS.

DE EXISTENTIA PRÆCEPTI DIVINI LEGIS NATURALIS.

§ I. Hujus numeri scopus. — § II. Thesis prima — § III. Thesis secunda. — § IV. Thesis tertia. — § V. Solvuntur objectiones.

§ I. *Hujus numeri scopus.* Ostendimus in præcedenti paragrapho dari objectum legis naturalis, scilicet officia implenda quæ profluunt ex essentiâ rerum. Nondùm verò omninò probata manet existentia legis naturalis, sed ostendendum superest cæteras conditiones cujuslibet legis huic etiam congruere, nempè hanc esse præceptum legitimi superioris, id est, Dei, commune, justum, promulgatum, præmiis pœnisque sancitum.

THESIS PRIMA.

§III. *Adest præceptum divinum, commune et justum implendi officia quæ ex essentiâ rerum profluunt.*

Probatur prima pars, scilicet adesse præceptum divinum. Reverà illud admittendum est, quod negari nequit, salvis sanctitate, bonitate, sapientiâque Dei : atqui non potest negari adesse præceptum divinum implendi officia quæ ex essentiâ rerum profluunt, nisi tollantur sanctitas, bonitas, sapientiaque Dei.

1° Quidem tolleretur *sanctitas* Dei. Nisi enim Deus hominem condendo præcepisset ut ille impleret officia quæ ex essentiâ rerum profluunt, Deus mansisset inter vitium virtutemque indifferens; atqui hoc sanè ejus sanctitatem dedecet. Ergò, etc.

2° Tolleretur et *bonitas* Dei, ille enim bonus non est, qui bonos non amat; ille bonus non est, qui diligentes se non diligit : atqui, sublato præcepto, Deoque erga bonos et malos indifferenter se gerente, nec bonos amaret, ut patet, nec diligentes se diligeret; unum enim e præcipuis officiis est Dei amor, quod implerent virtutis sectatores absque ullâ e parte Dei grati animi retributione. Ergò, etc.

3° Tolleretur *sapientia* Dei. Ille enim non est sapiens, cujus agendi ratio non est rationi absolutæ consentanea; qui varias relationes instituit hominis erga Deum et cæteros homines et seipsum, nec præcepto curat ut homo juxta relationes illas sese gerat : atqui talis esset Deus; nihili enim faceret virtutem cujus necessitatem docet ratio absoluta; nec præciperet ut homo sese regeret juxta relationes ab ipso Deo institutas : negatur enim Deum præcipere officia quæ ex essentiâ rerum profluunt. Ergò, etc.

Et verò omnes populi numen aliquod agnoscunt, quo virtutes imperantur, prohibentur vitia; quod bonos diligit, odit verò perversos homines; ergò præceptum divinum constat ex consensu populorum unanimi.

Probatur secunda pars, scilicet præceptum istud esse commune; omnes enim homines obligat. Ergò, etc.

Probatur tertia pars, silicet præceptum istud esse justum; profluit enim ex essentiâ rerum. Ergò, etc.

THESIS II.

§ III. *Præcepto divino implendi officia quæ ex essentiâ rerum profluunt, non deest promulgatio.*

Probatur. Omne præceptum in notitiam subditorum veniens habendum est tanquàm promulgatum quandò nulla forma specialis promulgandi leges à legislatore decreta fuit. Atqui 1° præceptum divinum de implendis officiis quæ ex essentiâ rerum profluunt innotescit subditis, scilicet hominibus quos implenda officia docet humana ratio. 2° Nulla forma specialis promulgandi præcepta legis naturalis decreta fuit, ut patet. Ergò, etc.

THESIS III.

§ IV. *Præceptum divinum implendi officia quæ ex essentiâ rerum profluunt, præmiis pœnisque est sancitum.*

Probatur. Reverà illud admittendum est, quod 1° tolli nequit, quin illusoria fiat lex naturalis; quod 2° negari nequit, salvâ justitiâ Dei; quod 3° probat notio meriti et demeriti humanæ menti indita; quod 4° consensu unanimi agnoscunt populi omnes : atqui, ut constat e probatis, tum in Psychologiâ rationali, ubi de immortalitate mentis humanæ, tum paulò suprà, de beatitudine ad quam homo destinatus est, demùmque ex evidentiâ,

1° sanctio tolli nequit quin illusoria fiat lex naturalis; 2° sanctio hæc negari non potest salvâ justitiâ Dei; 3° hanc probat notio meriti et demeriti humanæ menti indita; 4° demùm hanc unanimi consensu agnoscunt omnes populi. Ergò etc.

§ V. *Solvuntur objectiones.*

Objicies. 1° Satis est ut ratio præcipiat officia implenda; ergò inutile est præceptum divinum legis naturalis implendæ.

Resp. 1° *Nego antecedens.* Non satis est ut ratio præcipiat officia implenda; valet enim tantùm ut dirigat, non autem ut cogat hominem ad implendam legem naturalem. Ratio non remuneratur virtutem, non contemptas vindicat leges; ergò, etc. Et verò ex antecedente sequeretur inutiles pariter esse leges civiles; ergò, etc.

Resp. 2° *Nego consequentiam.* Etsi sufficeret ratio, non indè sequeretur negandum esse præceptum divinum legis naturalis implendæ; Deus enim non potest non ferre illud præceptum, salvis suis attributis. Ergò, etc.

Objicies. 2° Plurima adsunt ad virtutem incitamenta absque præcepto et sanctione Dei, scilicet, utilitas propria, utilitas publica, famæ conservandæ studium, virtutis et recti decor, conscientiæ pax et internum gaudium; ergò inutilia sunt præceptum et sanctio Dei, ut lex naturalis impleatur.

Resp. 1° *Dist. antec.* Plurima adsunt incitamenta, etc.; sed illa non satis ad implendam legem naturalem conferunt, *concedo antecedens :* et illa satis conferunt; *nego antecedens, et probo negationem.* Reverà 1° si, dicendo incitamenta hæc ad implendam legem naturalem satis conferre, dictum suum ita intelligerent adversarii ut contenderent sola hæc incitamenta sufficere, seclusâ notione

officii e ratione deductâ, jam confutata esset eorum opinio ex iis quæ superiùs diximus de officio. 2° Etiamsi adversarii agnoscant notionem officii ex ipsâ ratione oriri : incitamenta tamen quæ allegant, non satis valent ut homines ad implendam legem naturalem adducantur, ut mox constabit, singula percurrendo.

Utilitas privata non sufficit; minora enim sunt commoda quæ virtus affert, quàm ut valeant inducere ad omnia sacrificia quæ virtus imperat. Et verò sæpè propriis detrimentis implenda occurrunt officia.

Utilitas publica non omnibus officiis extenditur, verbi gratiâ, hominis erga Deum aut seipsum; nec etiam ad omnia officia erga proximum.

Famæ conservandæ studium parùm valet apud plurimos qui omnem pudorem abjecêre; non incitat ad officia quæ occultè implenda sunt; sæpissimè ad injustitias ferret, ut evenit populorum domitoribus.

Virtutis rectique decor, conscientiæ pax non valent apud eos qui omnem honestatis sensum, ut persæpè fit, abjecerunt; furiosos cupiditatum æstus compescere sunt impotes; sæpè ipsi rectè agentes conscientiæ pace non fruuntur, verbi gratiâ, quum scrupulis exagitantur. Ergò, etc.

Resp. 2° Quocumque sensu intelligatur antecedens, *nego consequentiam*. Licèt enim omnia hæc valerent ad virtutem satis fortiter incitare, non sequeretur nullum aliud præceptum adesse : possunt enim his incitamentis nova validioraque superaddi; alioquin pari ratione tollendæ essent leges civiles. Et verò stat semper invicta ratio quòd Deus non potest, salvis suis attributis, non præcipere ut homo impleat officia quæ injungit ipsa ratio. Ergò, etc.

NUMERUS II.

DE DIVISIONE PRÆCEPTORUM ET DE DISTINCTIONE INTER PRÆCEPTA ET CONSILIA.

§ I. Præcepta primaria et secundaria. — § II. Affirmativa et negativa. — § III. Erga Deum, proximum, nos ipsos et res homini inferiores. — § IV. Discrimen inter præcepta et consilia.

§ I. *Præcepta primaria et secundaria.* Præcepta legis naturalis dividuntur 1° in *primaria et secundaria*. Præcepta primaria *Illa sunt tum quæ absque ratiocinii ope innotescunt, tum quæ ità proximè deducuntur ut absque ambage pateat conclusio.* Præcepta secundaria *Illa sunt quæ non ità proximè e primariis deducuntur*. Jam suprà notavimus non posse præcisè statui quo puncto præcepta desinant esse primaria ut secundaria fiant. Quùm enim discrimen inter utraque proveniat e claritate quâ patent, sequitur non eadem omnibus esse; alii enim acriori pollent intellectu, alii autem minùs acri, ità ut illi quasi intueantur plurima quæ alii, ratiocinio adjuvante, operosiùs deducunt.

§ II. *Præcepta affirmativa et negativa.* Præcepta dividuntur 2° *in affirmativa; et negativa;* sive, aliis verbis, in *imperantia et prohibentia.* Sic præceptum istud : Deus est colendus, affirmativum est, sive imperans : istud autem : Non est furandum, negativum est, sive prohibens. Nec inutilis est hæc distinctio. Docent enim meritò philosophi et theologi præcepta affirmativa semper quidem obligare; sed non pro omni tempore; non enim singulis instantibus producendi sunt actus quibus impleatur præceptum quodcumque affirmativum. Sic, verbi grâtia, singulis instantibus Deus non est deprecandus quamvis Deum deprecari oporteat. Econtrà præcepta negativa non modò semper obligant, sed singulis instanti-

bus urgent; nullo enim instanti, verbi gratiâ, furari licet.

Notandum verò præcepto affirmativo semper adjunctum esse negativum quo prohibetur quidquam agi contra præceptum istud affirmativum. Sic adest præceptum quo prohibetur quidquam agi contra honorem cultumque divinum. Pariter præcepto negativo plerùmque affirmativum adjunctum est.

§ III. *Præcepta erga Deum, proximum, nos ipsos et res homini inferiores.* Præcepta dividuntur 3° in præcepta erga Deum, erga proximum, erga nos ipsos. His addunt et aliqui præcepta erga res homini inferiores, verbi gratiâ, animantia ipsaque objecta materialia. Divisio hæc ultima præceptorum refertur ad partem practicam de quâ inferiùs agemus.

§ IV. *Discrimen inter præcepta et consilia.* Adesse discrimen inter præcepta et consilia negari non potest. Distinctio hæc magni est momenti, ne tanquàm peccata habeantur omissiones quæ culpâ vacant. Distinctio inter præcepta et consilia clarissimè exprimitur in lege evangelicâ; ex eâ igitur exempla nostra seligemus. Distinctio hæc continetur his verbis divini legislatoris: « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.... Non homicidium facies, non adulterabis... — Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes et da pauperibus. » (Matth., c. XIX, v. 17, 18, 21.) Ex his patet satis esse ut quis ad vitam ingrediatur et ideò culpâ vacet, quòd præcepta servaverit. Qui autem ardentiori perfectionis desiderio tenetur, optimè sapientissimèque se geret, si præceptis impletis adjungat bona opera quæ præcepta non sunt. Bona hæc opera quæ præcepta non sunt, vocatur consilia, eo quòd ratio multùm suadeat ut illa non negligantur. Nam semper in bonum oportet nos proficere; prudentissimè utilitati suæ consulit qui merita

bonis operibus, etiam non præceptis, adaugere diligentissimè curat; timendum insuper habemus ne ipsa præcepta non impleamus, nisi aliquid pauló perfectius præcepto actibus attingere nitamur, semper enim in pejus inclinat pondere proprio voluntas humana. Plurimi igitur nobis interest ut etiam consilia impleamus.

Sed qui consilia non implet, modò præcepta omnia adimpleverit, non peccat. Qnandò omissio consilii peccatum est, illud non evenit directè ob omissum consilium, sed ob aliquam circumstantiam accidentaliter tantùm adjunctam. Etenim tolleretur discrimen inter præcepta et consilia, si teneremur consilia adimplere eâdem necessitate ac ipsa præcepta implere tenemur. Hinc dicendum quemlibet præcepta implentem bonum agere; præceptis verò impletis consilia adjungentem majus bonum operari : sed prior culpâ vacat, ampliori duntaxat merito caret. Sic dives qui pauperibus tribuit quidquid superfluum habet, præceptum eleemosynæ implevit, nec est culpandus; ille autem qui largitur ex utili aut necessario, meliùs agit; ille demùm qui vendit omnia ut det pauperibus quidquid habet et ipse pauper efficitur, agit quàm optimè.

Notandum autem peccare eum qui consilia sperneret : non enim spernendum est quod optimum. Peccaret pariter ille qui statueret se nullum unquàm consilium impleturum esse, tum quia vix à contemptu consiliorum eximi posset, tum quia profectò omnia præcepta non impleret qui ita dispositus esset; tum quia propositum istud Deo injuriosum esset, et plerùmque indicaret hominem ita dispositum potiùs metu pœnarum legem implere, quàm amore Dei impulsum; sed profectò peccat quicumque Deum non diligit.

Notandum insuper omnia consilia non posse ab eodem impleri, tum quia vires humanæ infirmitatis plerùmque

superat tanta perfectio; tum præsertim quia consilia sunt singulis vitæ statibus propria; alia consilia implenda habet paterfamilias, alia miles, alia sacerdos aut monachus, alia imperator, alia subditus. Indè etiam confirmatur consilia more præceptorum non obligare. Quum verò singulis statibus, singulorum etiam indoli, ætati, anteactæ vitæ; imò et mensuræ gratiæ divinæ quam cuique misericorditer Deus largitur, consilia propria conveniant, caveat quisque ne torpescat negligentiâ, sed diligenter expendat quid valeant humeri, quid ferre recusent. *Non enim omnes capiunt verbum istud; sed quibus datum est.* Ille autem cui datum est ut impleat consilia, curet ne se *particula boni doni prætereat*, sibique dictum intelligat istud Christi Domini: *Qui potest capere capiat.* (Matth., c. XIX, v. 12.)

NUMERUS III.

AN CESSARE QUEAT PRÆCEPTUM LEGIS NATURALIS.

§ I. Prænotationes. — § II. Thesis.

§ I. *Prænotationes*. Lex aliqua generatim cessare potest pluribus e causis, scilicet 1° *per mutationem materiæ et circumstantiarum*. Sic tibi quidem non licet tollere hunc librum qui meus est; non enim tollere licet rem alienam: eumdem verò librum tollere potes, si hunc tibi dono dederim: jam enim, mutatâ materiâ, furtum non adest.

2° Lex cessare potest *per abrogationem*, nempè quandò legislator ipse legem à se latam penitùs rescindit.

3° Lex cessare potest *per derogationem*, quandò nempè legislator aliquam tantùm suæ legis partem delet, remanentibus aliis.

4° Demùm lex potest cessare *per dispensationem*, scilicet, quandò, lege remanente integrâ, alicui conceditur facultas eam non observandi.

THESIS.

§ II. *Lex naturalis cessare nequit, propriè loquendo.*

Probatur. Res ita est, modò lex naturalis cessare nequeat nisi per mutationem materiæ et circumstantiarum, et mutatio hæc non sit cessatio propriè dicta : atqui hoc utrumque verum est. 1° Quidem lex naturalis cessare non potest nisi per mutationem materiæ et circumstantiarum. Quum enim lex naturalis innitatur in ipsis rerum essentiis, sequitur hanc esse ex se necessariam et immutabilem, et proindè illam non posse cessare per abrogationem, nec derogationem, nec dispensationem propriè dictam ipsiusmet Dei, sed per mutationem duntaxat materiæ et circumstantiarum. 2° Mutatio hæc non est cessatio propriè dicta. Reverà furtum semper remanet prohibitum, quamvis tibi licitum sit tollere meum librum quem tibi dono dedi, ut patet. Ergò, etc.

Et verò, si mutatio materiæ et circumstantiarum induceret cessationem propriè dictam legis naturalis, sequeretur non Deum solum, sed et hominem posse delere legem naturalem; mutatio enim materiæ et circumstantiarum sæpissimè ab ipsâ voluntate hominis pendet, ut patet ex exemplo allato. Ergò, etc.

PARAGRAPHUS III.

DE SUBJECTO LEGIS NATURALIS.

Ut adsit lex naturalis, non satis est quòd adsit objectum hujus legis et præceptum; sed insuper oportet ut lex ad subjectum aliquod dirigatur, ut patet. Homo est subjectum legis naturalis, de hoc puncto nulla est difficultas. In hocce autem paragrapho solvendæ nobis occurrunt quæstiones

quædam quæ referuntur ad subjectum legis naturalis, id est, hominem. Quæritur nempè præsertim an adesse possit ignorantia invincibilis juris naturalis; quid requiratur ut actus, in subjecto consideratus, sit bonus malusve; an demùm et quomodò actus nostri ad Deum referendi sint, simulque an adesse possint actus considerati in subjecto, qui nec boni, nec mali sint, sed indifferentes. Tres igitur erunt numeri.

NUMERUS PRIMUS.

AN ADESSE POSSIT IN SUBJECTO IGNORANTIA INVINCIBILIS JURIS NATURALIS?

§ I. Prænotationes. — § II. Thesis.

§ I. *Prænotationes.* Non hic agitur de ignorantiâ vincibili juris naturalis. Fatentur omnes hanc ignorantiam possibilem esse. At in varias sententias abeunt philosophi de possibilitate ignorantiæ invincibilis juris naturalis. Docent tamen generatim primariorum juris naturalis principiorum omninò impossibilem esse ignorantiam, eo quòd illa clariora sint quàm ut inveniri possit aliquis homo qui ea ignoret, nisi intelligentiâ omninò captus sit. Sed animadvertendum est non paucos, ex iis qui hanc opinionem docent, persuasos esse hominem posse, proprii ingenii viribus, ad notitiam veritatis generatim, et speciatim ad cognitionem primariorum istorum juris naturalis principiorum assurgere. Porrò libenter et ipsi nos agnoscimus tam clara esse primaria legis naturalis principia, ut nullus ea ignorare queat, nisi ille sit intelligentiâ captus. At sequitur ex opinione quam in Logicâ docuimus, de humanæ cognitionis origine, non illos solùm intelligentiâ destitutos inveniri, qui naturâ sunt ingenio habetes, sed et eos qui omni penitùs institutione carerent. Hinc tenemus eum qui

nullum omninò cum cæteris hominibus, ne signis quidem, commercium habuisset, etiam primaria juris naturalis principia ignoraturum fore. Et verò exempla quæ attulimus in Logicâ probant adfuisse homines derelictos qui inventi sunt omni Dei ideâ et principiorum Ethices notione penitùs carentes. Præterea sententia quam hìc exponimus, consentanea est iis quæ suprà diximus, de naturâ legis naturalis. Sit igitur :

THESIS.

§ II. *Non datur ignorantia invincibilis primariorum juris naturalis principiorum, in iis quorum intelligentia evoluta est.*

Probatur. Clariora enim sunt principia hæc quàm ut in eo casu possint invincibiliter ignorari, ut patet. Ergò, etc.

NUMERUS II.

QUID REQUIRATUR UT ACTUS CONSIDERATUS IN SUBJECTO SIT BONUS MALUSVE ?

§ I. Prænotationes. — § II. Thesis.

§ I. *Prænotationes.* Hìc agitur tantùm de actibus quos scholastici vocant humani, id est, producti humano modo, scilicet ab homine facultatibus suis moralibus utente, non verò de actibus qui in nobis eveniunt, ut ita dicam, sine nobis et ideò nobis imputari nequeunt.

Actus bonus moraliter ille est quo aliquod officium impletur. Malus verò est actus quo lex aliqua perfringitur. Indifferens demum esset actus quo nulla lex perfringeretur, sed nec et impleretur.

Actus aliquis considerari potest abstrahendo à subjecto, vel in subjecto. Quandò actus consideratur abstrahendo à subjecto, actus ille consideratur, ut est in se, seu e parte

sui objecti. Sic eleemosyna considerata abstrahendo à subjecto, seu ex parte objecti actûs, est actus quo sublevatur pauper, actusque ille, ex objecti parte, bonus est. Actus verò consideratus in subjecto est idem actus cum omnibus adjunctis quæ in agente reperiuntur. Scilicet, quum supponamus agentem facultatibus suis uti, et agens ille necessariò supponendus sit aliquo fine ductus, prætereàque actui circumstantiæ quædam adjungantur, sequitur demùm in quolibet actu spectato e parte subjecti habendam esse rationem non objecti tantùm, sed et finis et circumstantiarum. Actum eo modo consideratum scholastici vocant actum in individuo.

THESIS.

§ II. *Ut actus quilibet in subjecto consideratus sit bonus moraliter, oportet ut tria concurrant, nempè 1° ut objectum sit bonum aut saltem indifferens; 2° ut finis sit bonus; 3° ut circumstantiæ nil mali præ se ferant: malus verò fieret actus, etiamsi unum duntaxat ex his malum esset.*

1° *Probatur objectum actûs debere esse bonum aut saltem indifferens*, ita ut malus fiat actus cujus objectum pravum est, licèt finis et circumstantiæ legitimæ sint. Notandum autem nos supponere agentem non versari in ignorantiâ quæ illum à peccato excuset. Quo posito, si bonus fieret actus cujus objectum malum est, maximè quia finis est bonus, et circumstantiæ legitimæ: atqui nec finis, nec circumstantiarum bonitas potest actui malo conferre bonitatem. Ille enim actus non potest fieri bonus moraliter, qui malus est ex essentiâ rerum; essentia enim rerum est immutabilis; atqui actus de quo loquimur malus est ex essentiâ rerum, quum ejus objectum prohibitum sit lege naturali quæ in ipsâ essentiâ rerum innititur. Ergò, etc.

Et verò, si actus ille fieri posset bonus sequeretur bonitatem actûs essentialem non esse, sed pendere tantùm ab effectibus : atqui bonitas actûs non pendet tantùm ab effectibus; tum quia vidimus, agentes de officio, adesse, ex essentiâ rerum, officia implenda; tum quia, ut agnoscunt omnes sanioris doctrinæ philosophi, non sunt facienda mala ut eveniant bona; tum demùm quia aliter sequeretur licitum esse furari ut eleemosyna tribuatur, omnia denique facinora posse excusatione tegi, modò boni effectus ex actu sequerentur.

2° *Probatur finem debere esse bonum*, ita ut malus fiat actus etiam ille cujus objectum est bonum et circumstantiæ legitimæ, si pravum finem intendat agens. Peccat enim ille qui pravâ intentione ducitur, voluntas enim ejus in malum liberè propendet, ut patet. Ergò, etc.

Et verò, licèt eleemosyna sit ex objecti parte optima, peccaret tamen agens qui pauperis miseriam eo fine sublevaret, ut illum ad crimen faciliùs alliceret. Ergò, etc.

3° *Probatur circumstantias debere esse bonas aut saltem non pravas.* Reverà etiamsi objectum bonum esset, bonusque finis, in agendo tamen peccaret qui, quâdam circumstantiâ pravâ, legem aliquam læderet, ut patet. Ergò, etc. Sic, licèt orationi vacare sit ex objecti parte optimum, licèt insuper recto fine duceretur qui orationi vacat, peccaret tamen ille, si cum talibus circumstantiis oraret, ut indè gravia officia quibus tenetur, omitteret.

Eamdem thesim adagio sequenti exprimunt scholastici : *Bonum ex integrâ causâ, malum ex quocumque defectu.* Id est, ut actus sit bonus, oportet ut tres causæ concurrant, scilicet objecti, finis et circumstantiarum bonitas : malus autem fit actus deficiente unâ saltem ex his causis.

NUMERUS III.

AN ET QUOMODO ACTUS NOSTRI AD DEUM REFERENDI SINT, SIMULQUE AN DENTUR ACTUS INDIFFERENTES IN SUBJECTO?

§ I. * Prænotationes. — § II. Alia prænotanda. — § III. Thesis prima. — § IV. Thesis secunda. — * § V. Thesis tertia. — * § VI. Solvitur objectio.

* § I. *Prænotationes.* Quum in æstimatione bonitatis aut malitiæ cujuslibet actûs habenda sit ratio objecti, finis et circumstantiarum, sequitur nullos actus posse esse indifferentes in subjecto, nisi objectum, finis et circumstantiæ sint indifferentia. Porrò patet dari objecta quæ nec bona, nec mala sunt ex se, sed quorum bonitas aut malitia pendet aut e fine, aut e circumstantiis. Sic deambulatio ex se nec bona, nec mala est; sed bona erit, si rectus sit finis circumstantiæque sint legitimæ. Pariter dantur circumstantiæ indifferentes, scilicet e quibus nulla oritur obligatio actum ponendi aut ab eo abstinendi. Sic, quandò nulla studendi aut alicui operi incumbendi adest obligatio, deambulare mihi licet; sed et, si libuerit, possum non deambulare, sicque patet circumstantias in quibus versor indifferentes esse, relativè ad deambulationem. Itaque adesse poterunt actus indifferentes; modò dentur fines indifferentes. Sed magna adest inter auctores de hâc quæstione controversia. Allegantur ex utrâque parte argumenta deducta tum e Philosophiâ, tum e Theologiâ. Prætermissis argumentis theologicis, pauca dicturi sumus de argumentis quæ præbet ratio.

* Notandum verò 1° hic agi de homine qui deliberatè agit, et proindè aliquem finem sibi proponit.

* 2° Quæstio non est an dentur fines intermedii indifferentes; tales enim adesse fatentur ex utrâque parte philo-

sophi. Sed quæstio est an detur aliquis finis ultimus indifferens, aut an licitum sit in aliquo ex istis finibus indifferentibus conquiescere tanquàm in fine ultimo.

§ II. Alia prænotanda. 3° Actus aliquis potest ad finem quemdam pluribus modis tendere, nempè præsertim negativè vel positivè; explicitè vel implicitè.

Actus ad finem quemdam negativè refertur quandò huic fini non opponitur, licèt agens hunc finem nullo modò intendat. Actus verò refertur positivè ad finem aliquem, quandò agens non modò nihil agit contra finem istum, sed et hunc finem aliquo saltem modo assequendum intendit.

Actus refertur explicitè ad finem aliquem quandò finis ille expressè intenditur ab agente. Refertur autem implicitè, quandò finis ille includitur in aliquo alio fine quem agens explicitè intendit.

THESIS PRIMA.

§ III. *Omnes actus humani ultimatè ad Deum tendere debent intentione positivâ.*

Probatur. Illud admittendum est, quod sequitur ex relatione necessariâ inter Deum et creaturas, sive Deus consideretur tanquàm supremum ens et omnium dominus, sive tanquàm ordinis absoluti fons et auctor : atqui, etc.

1° *Quidem si Deus consideretur tanquàm supremum ens et omnium dominus,* sequitur omnes actus humanos ad eum ultimatè intentione positivâ referendos esse. Quum enim Deus sit necessariò ens supremum et omnium dominus, nihil ille potest operari, nisi propter se ipsum : tantum enim ens dedeceret sibi in agendo proponere aliquid se ipso omni ex parte inferius. Atqui, nisi actus humani ad Deum ultimatè referendi essent intentione positivâ, Deus non condidisset hominem omninò propter se ipsum,

sed et propter finem ultimum à Deo diversum quem agens licitè intendere posset. Ergò 1°, etc.

2° *Si Deus consideretur tanquàm ordinis absoluti fons et auctor*, sequitur etiam omnes actus humanos ultimatè ad Deum referendos esse intentione positivâ. Etenim quilibet actus ordini absoluto consentaneus refertur ad Deum tanquàm ordinis absoluti fontem. Atqui omnes actus humani debent esse ordini absoluto consentanei : si enim ordini absoluto contradicerent, pravi essent, ut patet. Ergò, etc.

THESIS II.

§ IV. *Satis est dùm actus ultimatè referatur ad Deum modo implicito.*

Probatur. Actus refertur ultimatè ad Deum modo implicito quandò agens intendit finem aliquem rectum ; quilibet enim finis rectus, utpotè ordini consentaneus, includit relationem ad Deum, tanquàm ordinis auctorem : atqui satis est dùm actus eo modo referatur ad Deum ; tunc enim actus ille est ordini consentaneus, nedùm huic contradicat. Ergò, etc.

THESIS III.

* § V. *Non dantur actus humani indifferentes in subjecto.*

* *Probatur.* Res ita est, modò nullus sit finis ultimus indifferens : atqui nullus est finis ultimus indifferens. Vel enim finis ultimus qui intenditur, est Deus vel creatura : atqui neuter est indifferens ; si enim actus ultimatè ad Deum refertur, bonus est ; si verò refertur ad creaturas, pravus est ; nam 1° ex thesi primâ, tenemur omnes actus humanos ultimatè ad Deum referre intentione positivâ. 2° Homo agens humano modo non debet more brutorum agere : atqui homo brutorum more ageret, nisi ordinem,

et ideò Deum, implicitè intenderet. 3° Si liceret actum ad creaturas ultimatè referre, licitum esset ponere finem ultimum, non in bono honesto, sed in bono delectabili : atqui licitum non est ponere finem ultimum in bono delectabili ; ordo enim læderetur ; nam delectatio quam natura quibusdam actibus adjunctam esse voluit, eo fine fuit adjuncta, ut ad hujus generis actus incitaremur : delectatio propter operationem, non verò operatio propter delectationem, ut aiunt theologi. Quod quidem et agnovisse videtur ethnicus ille qui dicebat : *Tu voluptate frueris, ego utor*. Ergò, etc.

* § VI. *Solvitur objectio.*

* *Objicies*. Adsunt actus ita leves ut boni dici nequeant, licèt mali non sint. Ergò dantur actus indifferentes in subjecto.

* *Resp. Nego antecedens*. Vel actus illi consentanei sunt rectæ rationi, vel non; si prius, boni sunt; si posterius, mali; ergò indifferentes non sunt.

* *Inst*. 1° Si actus illi non essent indifferentes, id eveniret eo quòd, juxta te, teneamur omnes actus nostros ad Deum referre : atqui absurdum est dicere nos teneri ad Deum referre actus adeò leves; ergò, etc.

* *Resp. Distinguo majorem*. Tenemur referre ad Deum omnes actus nostros, saltem implicitè, *concedo majorem ;* semper explicitè, *nego majorem; et, distinctâ minore in sensu majoris, nego consequentiam*. In prænotationibus exposuimus quid sit relatio ad Deum implicita, quid verò sit explicita. Probavimus in thesi secundâ omnes actus nostros ad Deum referendos esse modo implicito. Superest ut ostendamus illud non absurdum esse quandò agitur de actibus levissimis. Reverà absurdum non est quòd teneamur ad Deum referre implicitè actus levissimos, quum

relatio hæc adsit quotiès actus illi rectæ rationi sunt consentanei; porrò profectò absurdum non est docere omnes actus nostros, etiam levissimos, debere esse rectæ rationi consentaneos. Ergò, etc.

* *Inst.* 2° Doctrina hæc nimis severa est; ex illâ enim sequitur plurimos actus vitiosos esse, qui in sententiâ oppositâ peccata non essent. Ergò, etc.

* *Resp. Nego antecedens.* Doctrina hæc non est nimis severa; non enim quidquam oneris imponit præter officia quæ ex ipsâ rerum naturâ profluunt. Et verò, nùm severior est ille qui vult ut actus omnes nostri, etiam levissimi, ordini rectæque rationi consentanei sint? Si verò ex sententiâ nostrâ sequitur plurimos actus vitiosos esse qui in sententiâ oppositâ peccata non sunt, sequitur et plurimos actus fieri mercede dignos, qui in oppositâ sententiâ nihil meriti haberent : nostra igitur sententia favet homini, nedùm severior sit. Hæc concordat cum Evangelio, juxta quod de omni verbo otioso reddenda erit ratio. Ergò, etc.

* *Inst.* 3° Absurdum est actus tàm leves aliquid meriti habere. Ergò, etc.

* *Resp. Nego antecedens.* Absurdum non est actus levissimos levissimum habere meritum. Absurdum econtrà foret actibus rectæ rationi consentaneis nihil omninò inesse meriti. Ergò, etc.

CAPUT II.

DE CONSCIENTIA.

Legi naturali Deus adjunxit conscientiam quâ nobis innotescerent officia implenda. Scilicet non satis est ut aliquâ lege homo sit adstrictus, nisi simul admoneatur

non solùm se lege hâc generatim obligari, sed et hic et nunc urgere præceptum implendum. *Facultas quâ admonemur de necessitate præcepti hic et nunc implendi,* vocatur conscientia moralis. De hâc jam diximus, in parte psychologicâ hujusce ethices, sub titulo : *De conscientiâ theologorum.* Notavimus ibidem hanc discrepare à conscientiâ sumptâ pro sensu intimo.

In præsenti capite dicendum nobis est De diversis conscientiæ speciebus, et De regulis conscientiæ tum generalibus, tum specialibus. Duplex erit articulus.

ARTICULUS I.

DE DIVERSIS CONSCIENTIÆ SPECIEBUS.

§ I. Conscientiæ divisio. — § II. Ratione veritatis. — § III. Ratione certitudinis. — § IV. Ratione rectitudinis.

§ I. *Conscientiæ divisio.* Conscientia dividitur præsertim ratione veritatis, ratione certitudinis et ratione rectitudinis.

§ II. 1° *Ratione veritatis,* conscientia dividitur in *veram* et *erroneam*, prout *Verè* aut *Falsò judicatur actum quemdam esse præceptum, aut prohibitum.*

Conscientia autem erronea dividitur in *vincibiliter* et *invincibiliter erroneam*, prout *Error est vincibilis*, aut *invincibilis.*

Conscientia erronea, præsertim vincibiliter, iterùm dividitur in *latam scrupulosam* et *perplexam.* Lata est, *Quæ ex motivo levi judicat non esse vitiosum actum qui reverà vitiosus est ; vel leviter vitiosum esse actum qui graviter est vitiosus.* Scrupulosa illa est, *Quæ ex motivo levi judicat vitiosum esse actum qui vitiosus non est ; aut esse vitiosum graviter actum qui leviter tantùm vitiosus est.* Perplexa demùm ea est, *Quæ judicat peccatum*

admittendum fore, sive ponatur actus, sive non ponatur.

§ III. II° *Ratione certitudinis,* conscientia dividitur in *certam, probabilem* et *dubiam.* Conscientia certa illa est *Quâ judicatur, seclusâ prudenter errandi formidine.* Conscientia probabilis illa est *Quâ judicatur, remanente errandi formidine, eo quòd ex oppositâ parte militent argumenta quorum vis non est omninò eversa.* Conscientia dubia demùm illa est *Quæ inter duas partes oppositas hæret librata.*

§ IV. III° *Ratione rectitudinis,* conscientia dividitur in *rectam* et *non rectam.* Recta illa est *Quæ efformatur juxta prudentiæ leges.* Non recta econtrà *Temerè efformatur.* Porrò notandum conscientiam rectam à verâ differre; conscientia enim, etiam vera, potest temerè efformari; conscientia verò erronea potest econtrà aliquandò efformari prudenter. Pariter conscientia recta differt à certâ; hæc enim non modò est prudèns, sed et vera, dùm econtrà conscientia recta potest esse probabilist antùm aut dubia.

ARTICULUS II.

DE REGULIS CONSCIENTIÆ TUM GENERALIBUS, TUM SPECIALIBUS.

§ I. Prænotatio. — § II. Prima regula generalis. — § III. Secunda regula generalis. — § IV. Principia specialia de conscientiâ erroneâ. — § V. Principia de conscientiâ dubiâ et perplexâ. — § VI. Principia de conscientiâ probabili.

§ I. *Prænotatio.* Regulas generales conscientiæ, quæ duæ sunt numero, hic exponemus; quod verò attinet ad regulas speciales pro diversis conscientiæ speciebus, paucis dictis, remittemus ad auctores qui de singulis speciatim tractant.

§ II. Prima regula generalis. *Nunquàm agere licet contra conscientiam.*

Probatur. Quicumque agit contra conscientiam, ponit liberè actum quem judicat malum : atqui nunquàm licitum est ponere actum qui judicatur malus; tunc enim non potest non esse malus finis quem intendit agens; vult enim aliquid quod judicat malum. Ergò, etc.

§ III. Secunda regula generalis. *Ut agens non peccet, debet ille habere conscientiam practicè certam quòd bonus est actus quem positurus est.*

Probatur. Per conscientiam practicè certam intelligitur *Conscientia quâ, sublato aut etiam remanente dubio speculativo, judicatur tamen bonum esse peragere actum quem jamjam positurus est agens.* Sic ille qui speculativè dubitat an ad aliquam restitutionem teneatur, potest tamen practicè certus esse quòd debeat partem restituere, ratione habitâ gravitatis dubii. Atqui, ut agens non peccet, debet ille, sin speculativè, attamen practicè judicare bonum esse actum quem jamjam positurus est. Reverà ratio nos tria hæc edocet, nempè 1° nos non debere periculum peccandi adire, 2° Deum quibuslibet commodis anteponendum esse, 3° semper prudenter esse agendum : atqui periculum peccandi subit, Deum offendere parùm curat, prudenter se non gerit quicumque agit quin sit practicè saltem certus quòd bonus est actus quem positurus est, ut patet. Ergò, etc.

Nunc verò devenimus ad principia specialia singulis conscientiæ speciebus.

§ IV. *Principia specialia* I° *de conscientiâ erroneâ.* Sequitur ex dictis licitum esse sequi conscientiam invincibiliter erroneam. Conscientiam verò erroneam vincibiliter sequi non licet. Quum autem nec liceat contra conscien-

tiam agere, sequitur deponendam esse conscientiam vincibiliter erroneam, errorem depellendo.

§ V. *Principia specialia* II° *de conscientia dubiâ et perplexâ.* Sequitur ex dictis deponendum esse dubium, si fieri potest, adhibito sufficienti examine. Si verò, adhibito satis diligenti examine, remanet dubium speculativum, oportet ut, antequàm agatur, conscientia efficiatur practicè certa, saltem ope principiorum extrinsecorum quæ theologi vocant principia reflexa. Sic, qui dubitat an res quam possidet sua sit an aliena, potest aliquando eam, post diligens examen, perseverante dubio, retinere, ob id principium extrinsecum aut reflexum: *Melior est conditio possidentis.*

§ VI. *Principia specialia* III° *de conscientiâ probabili.* Gravis adest, inter theologos præcipuè, de hoc genere conscientiæ controversia. Triplex est præsertìm opinio. Alii nempè docent semper sequendam esse partem tutiorem, licèt minùs probabilem. Sic, quamvis longè probabilius sit aliquem actum non esse prohibitum, attamen ab eo abstinere debemus, quia tutius est, inquiunt, actum illum omittere, ne lædatur lex prohibens, si reipsâ adsit. In eâ opinione retinere non liceret rem de quâ adest aliquod dubium an nostra sit, licèt probabilius sit hanc alienam non esse. Alii autem docent non quidem semper agendum esse quod tutius est, sed saltem quod est probabilius. Sic, quandò probabilius est adesse legem prohibentem aut præcipientem, agendum est eodem modo ac si reverà lex adesset. Qui hanc sententiam tenent, docebunt rem de quâ adest dubium aliquod an nostra sit, posse retineri, modò longè probabilius sit hanc nostram esse; aut ad summum restituendum esse tantùm pro ratâ parte dubii. Alii demùm docent persæpè licitum esse agere quod

ex principiis directis minùs probabiliter est licitum. Sic, quandò dubium est an res aliqua nostra sit, sæpè tamen retineri potest, etiamsi minùs probabiliter nostra sit, modò tamen adsit vera probabilitas hanc nostram esse. Primam opinionem tenuerunt præsertim Janseniani. Secundam et tertiam opinionem tenent Catholici quos inter non parva adest controversia quam theologis dirimendam relinquimus.

ETHICÆ

PARS TERTIA PRACTICA,

SIVE

ETHICA SPECIALIS.

In hâc parte agemus, 1° De virtutibus et vitiis, 2° De variis officiis in specie. Hinc duplex erit caput.

Quæ autem habemus dicenda brevibus verbis complectemur. Scilicet, de virtutibus et vitiis itemque de singulis officiis ab homine implendis multò magis apertè, fusè dilucidèque, et præsertìm cum multo majori auctoritate quàm quæcumque philosophorum instituta, sacra disserit Theologia. Nos verò, quum Institutiones nostras philosophicas scripserimus in gratiam juniorum clericorum qui posteà theologicis studiis operam impendent, omittemus plurima et de paucis tantùm dicemus.

CAPUT PRIMUM.

DE VIRTUTIBUS ET VITIIS.

§ I. Virtutum divisio. — § II. Justitia. — § III. Fortitudo. — § IV. Prudentia. — § V. Temperantia. — § VI. Vitia.

§ I. *Virtutum divisio.* Virtutes dividuntur in theologales et morales. Virtutes theologales sunt *fides, spes* et *caritas*, de quibus disserere theologorum est. Virtutes mo-

rales de quibus agendum nobis est, sunt quatuor numero, nempè : *justitia, fortitudo, prudentia, temperantia.* Eædem vocantur etiam cardinales, eo quòd sint veluti fundamentum totius Ethices. Etenim ad quatuor illas virtutes referuntur omnes actus philosophicè boni.

§ II. *Justitia.* 1° Justitia est *Virtus quâ suum cuique tribuitur.* Duo includit hæc virtus, scilicet curam tum nullius jura lædendi, tum jura læsa restituendi.

Justitia dividitur in *legalem, commutativam, distributivam* et *vindicativam.* Justitia legalis ea est *Quâ quis reddit quod debitum est reipublicæ.* Justitia commutativa ea est *Quæ dirigit commutationes, sive contractus inter privatos.* Justitia distributiva ea est *Quâ rectores communitatis subditis bona vel onera distribuunt, juxta uniuscujusque merita, dignitates, vires et facultates.* Justitia demùm vindicativa est *Virtus quâ superior reo infligit pœnam culpæ debitam.*

Justitia cæteris virtutibus præire debet. Sic fortitudinis actus qui alicujus jura læderet, eo ipso malus fieret.

§ III. *Fortitudo.* 2° Fortitudo *Ea est animi dispositio quâ pericula contemnuntur ut officium aliquod impleatur; aut quâ adversa quæcumque patienter placidoque animo perferuntur.* Fortitudo, ut sit reverà virtus, non debet pericula contemnere, nisi adsit causa satis gravis; alioquin prudentiam læderet.

§ IV. *Prudentia.* 3° Prudentia est *Virtus quâ viæ assequendo fini honesto aptiores eliguntur.* Prudentiæ vicina est astutia quâ fini assequendo aptiores quidem, sed illegitimæ viæ assumuntur.

§ V. *Temperantia.* 4° Temperantia est *Virtus quæ omnes cupiditates frenat impeditque quidquid modum excedit.* Hæc semper comes ire debet omnibus actibus hu-

manis, etiam bonis. Quidquid enim nimium est, malum est. Sic fortitudo quæ justos superaret limites, temeritas fieret : prudentia nimia fit astutia aut agentem timidum et incertum reddit : cura bonorum temporalium modum debitum excedens est avaritia, etc.

§ VI. *Vitia*. Vitia sunt virtutibus opposita. Porrò virtuti vitium opponi potest, aut debitum modum superando, aut ab eo deficiendo.

Justitiæ plurima vitia opponuntur; singulis verò justitiæ speciebus sua sunt propria. Sed advertendum est justitiam vindicativam duntaxat infringi, modum debitum superando. Tunc adest injuria ex nimiâ severitate et aliquandò crudelitate. Cæteræ verò justitiæ species non læduntur quandò alicui plùs æquo retribuitur; tunc enim adest donum gratuitum. Quæ dona si nimia sint, lædi potest temperantia aut prudentia; non verò justitia, nisi tamen aliqui plùs æquo graventur ut à quibusdam aliis debita tollantur onera aut iisdem immerita rependantur commoda; tunc enim contra justitiam distributivam peccaretur.

Fortitudini opponuntur, limites excedendo, temeritas; per defectum autem ignavia.

Temperantiæ opponitur quidquid limites debitos excedit, hinc temperantiæ opponuntur quæcumque cæteris virtutibus opponuntur justum excedendo modum.

Prudentiæ per defectum opponuntur præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, negligentia. Prudentia verò nimia astutia est, ut jam monuimus.

Præcipit Ethica ut virtutes colantur simulque vitia fugiantur. Quum verò vitia oriantur eo quòd aut à virtute deficiamus, aut virtutis debitum excedamus modum, omne tollet punctum qui rectam et æquam semitam inter utramque partem oppositam servabit.

CAPUT II.

DE OFFICIIS IN SPECIE.

Officia ab homine implenda spectant vel Deum, vel cæteros homines, vel nos ipsos, vel demùm res homini inferiores. Porrò omittemus officia erga res homini inferiores implenda, dicemusque summatìm tantùm de officiis erga Deum, erga cæteros homines, demùmque erga nos ipsos. Itaque triplex erit articulus.

ARTICULUS PRIMUS.

DE OFFICIIS ERGA DEUM.

Expendendum occurrit an Deo persolvendus sit aliquis cultus religiosus; deindè verò qualis sit vera religio, an naturalis, an revelata. Duplex itaque erit paragraphus.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

DE NECESSITATE CULTUS ALICUJUS RELIGIOSI.

§ I. Variæ cultûs species. — § II. Thesis. — § III. Fusior probatio hujus primæ partis. — § IV. Solutio objectionum.

§ I. *Variæ cultûs species.* Hic per cultum non intelligimus tantùm cæremonias, sed et omnia officia Deo persolvenda. Cultus igitur complectitur omnes actus virtutis religionis quorum præcipui sunt : amor, adoratio, deprecatio, gratiarum actio, pœnitentia de admissis peccatis. Cultus potest esse privatus aut publicus. Cultus privatus ille est quem privati Deo persolvunt. Cultus publicus ille est quem Deo solvit aliqua societas. Cultus privatus potest esse internus aut externus. Internus ille

est quem Deo mente tantùm persolvimus. Externus est ille quem non modò mente persolvimus, sed et signis exterioribus demonstramus.

THESIS.

§ II. *Deo persolvendus est cultus tum internus, tum externus, tum publicus.*

Argumentum primum desumptum ex naturâ rerum.

Probatur prima pars, scilicet persolvendum esse Deo cultum internum. Reverà quemadmodùm regi subjectio, judici timor, patri amor, ita Deo religionis officia debentur; ergò ipsi persolvendus est cultus saltem internus.

* § III. *Fusior probatio hujus primæ partis.*

* Et verò actus religionis sunt amor, adoratio, deprecatio, gratiarum actio, pœnitentia de admissis peccatis, aliique : atqui omnia hæc Deo debentur.

* 1° *Amor.* Ille enim diligendus est, à quo bona plurima accepta sunt, à quo nova majoraque sperantur, et, quod præcipuum est, ille qui tot dotibus perfectionibusque præditus est, ut nullus alter eo melior esse queat : atqui talis est Deus; ergò 1°, etc.

* 2° *Adoratio.* Hæc in eo consistit quòd agnoscamus confiteamurque supremum Dei dominium, summam ejus independentiam, potentiam, infinitasque perfectiones, cum pio quodam erga eum affectu : atqui istud officium Deo debetur, ut patet. Ergò 2°, etc.

* 3° *Deprecatio.* Ille enim deprecandus est, qui omnis boni unicus fons, simulque summè justus est; sed cujus gratuita sunt beneficia. Reverà ab eo qui est fons omnis boni impetrare debemus bona, ab eo qui est summè justus, timenda est delictorum nostrorum pœna;

ille cujus gratuita sunt et beneficia et indulgentia, deprecandus est ut indigentibus nobis misericorditer bona largiatur, peccatoribus verò ignoscat : atqui talis est Deus; ergò 3°, etc.

* 4° *Gratiarum actio* : animus enim beneficiorum maximè non debitorum memor ab ipsâ naturâ imperatur; ergò 4°, etc.

* 5° *Pœnitentia.* Nam de peccatis admissis profectò dolere debemus, hæcque pœnitentiâ operibusque piacularibus delere; ergò 5°, etc.

Probatur secunda pars, scilicet persolvendum esse Deo cultum externum. Res ita est, modò 1° cultus externus ab interno suaptè profluat, 2° nos ad cultum internum promoveat. 3° Demùm naturæ hominis congruat : atqui tria hæc certa sunt.

1° *Quidem cultus externus ab interno profluit.* Ita enim sumus à naturâ dispositi, ut exteriùs manifestemus quæ nos intùs afficiunt : sic lætitiam, tristitiam, meditationem, supplicationem, gratiarum actionem, pœnitentiam, cæterosque animi sensus motibus corporis plerùmque indicamus; ergò 1°, etc.

2° *Cultus externus nos ipsos aliosque ad cultum internum promovet.* Sic exemplo trahimus cæteros ipsique faciliùs adorationis, deprecationis, aliorum denique internorum actuum officia adimplemus, quum rebus exterioribus valedicentes, genibus flexis coram aliquâ piâ imagine et corpore ritè composito, preces ore simul et corde effundimus; ergò 2°, etc.

3° *Cultus externus naturæ humanæ congruit.* Quum enim homo constet animâ et corpore, corpus per cultum externum, quemadmodùm mens per cultum internum, Deo persolvere debet officia; ergò 3°, etc.

Probatur tertia pars, scilicet persolvendum esse Deo cultum publicum. Cultus publicus ille est quem Deo persolvunt aliqua societas, ut familia, urbis alicujus cives, imperii alicujus incolæ : atqui Deo persolvendus est ille cultus. 1° Enim societas personam moralem constituit, quæ à Deo beneficia publica accipit et iisdem rationibus ac privati ad cultum Deo exhibendum tenetur. 2° Cultus publicus plurimùm valet ut privatos ad cultum internum incitet. Quid enim magis homines ad Deum revocat, quàm Ecclesiæ publici solemnesque ritus? Ergò 3°, etc.

Argumentum secundum ex consensu populorum.

Et verò in nostrum placitum consentiunt omnes populi, siquidem ex eorum historiâ constat nullos fuisse qui numen aliquod non agnoscerent cultûsque tum interni, tum externi, tum publici ipsi pia officia persolverent. « Sua, inquit Tul-« lius (*pro Flacco*), cuique civitati religio est; Deum quippè « natura venerari novit; nec quisquam est homo qui lege « quæ hoc præcipiat, careat. » Et Plutarchus (*adversùs Colotem.*) : « Etsi terras obeas, invenire possis urbes muris, « litteris, legibus, domibus, opibus, numismate carentes, « gymnasiorum et theatrorum nescias; urbem templis « diisque carentem, quæ precibus, jurejurando, oraculo « non utatur, non bonorum causâ sacrificet, non mala sa-« cris avertere nitatur, nemo usquàm vidit. » Sed de re tam certâ et evidenti testimonia congerere inutile est. Ergò, etc.

§ IV. *Solvuntur objectiones.*

Objicies. 1° Nullum est officium inferioris erga superiorem; omnia econtrà officia sunt superioris ad inferiorem; nullum est filii erga patrem, hominis erga Deum officium; sed econtrà patris erga filium, Dei erga hominem. Nam quodlibet officium supponit agentem ad sese devovendum teneri : porrò obligatio sese devovendi supponit eum in

cujus gratiam nos devovemus, indigere nostrâ operâ. Qui verò alterius operâ indiget, huic est inferior? Quâ verò parte Deus homini inferior est? Quâ parte humano auxilio indiget? Ergò nullum est hominis erga Deum officium. Pariter nullum plerùmque est filii erga parentem; *plerùmque*, inquam, fieri enim potest ut pater aliquâ parte fiat inferior filio, verbi gratiâ, si pater sit senex et infirmus viribusque filius valeat, tunc patri opem ferre tenetur. Ita auctor recens.

Resp. 1° Vix confutatione indiget tam inaudita objectio. Si tamen velimus hujus confutationi paulisper immorari, primò negandum est antecedens, quo nempè dicitur nullum esse officium inferioris erga superiorem: ipsa enim natura à tali doctrinâ abhorret, hancque contemptui tradendam esse suadet.

Resp. 2° ad probationem, neganda est major quæ affirmat quodlibet officium supponere agentem ad sese devovendum teneri. Constat enim, ex iis quæ statuimus suprà de consociatione utilitatis et officii, erroneam esse hanc doctrinam. Deindè neganda est et minor quâ affirmatur obligationem sese devovendi supponere eum in cujus gratiam nos devovemus, indigere nostrâ operâ. Profectò enim, verbi gratiâ, tenemur potiùs mortem subire quàm fidei veritatem abjicere, licèt Deus nullatenùs nostrâ fide indigeat. Et verò juxta ipsum adversarium, adsunt officia patris erga filium. Porrò nùm, quæso, felicitatis jacturam facit optimus pater, quùm amoris curarumque et beneficiorum erga natum officia adimplet? Non igitur idea officii continet necessitatem propriæ felicitatis abjiciendæ. Prætereà, ut superiùs fusè exposuimus, notio officii repetenda est ex essentiâ rerum et ipsâ ratione; ut igitur adsit officium erga aliquem implendum, non est necesse ut ille

indigeat nostrâ operâ; sed oportet ut officium istud ex essentiâ rerum et ratione profluat, ergò, etc.

Objicies. 2° Deus non est deprecandus. Reverà 1° Deus, utpotè summè bonus, non est precibus flectendus. 2° Utpotè summè intelligens, non est commonefaciendus de iis quibus indigemus. 3° Quatenùs ex se summè beatus est, non curat laudes quas illi precando persolvimus. 4° Prætereà deprecatio morum leges lædit; agit enim egoistarum more qui sibi bona precatur. 5° Demùm absurda est deprecatio. Si enim Deum bona temporalia rogamus, volumusque leges naturæ immutari, tunc deprecatio est absurda; Deus enim profectò leges naturæ immutaturus non est ut nostra vota impleat. Et verò si quis imbrem, alter verò siccitatem petit, cujus audienda erit deprecatio? Aut non postulamus immutari leges naturæ, tuncque iterùm absurda est deprecatio. Quâ enim causâ cœlum imprudentibus perpetuisque urgemus votis ut nobis concedantur quæ nihilominùs suaptè natura afferret? Si verò Deum deprecamur ut nos ad virtutes colendas adjuvet, nobis ipsis contradicimus; volumus enim ut Deus nostram libertatem tollat, simulque ipsi agamus moraliter. Ergò, etc.

Resp. 1° *Nego antecedens.*

Resp. 2° *ad probationes primam et secundam.* Licèt Deus sit summè intelligens et perfectè cognoscat ea quibus indigemus, licèt ille sit etiam summè bonus semperque ad nobis beneficiendum paratissimus, attamen deprecandus est; deprecatio enim officium est Deo debitum et nobis admodùm utile. Hâc agnoscimus nostram à Deo dependentiam, supremumque ejus in nos et res omnes dominium; hâc eum confitemur omnis boni fontem et largitorem; hâc impeditur ne superbiamus neve Dei obliviscamur, non ampliùs inopiâ ut ad illum recurramus admoniti.

deprecatio deindè non est tantummodò rogatio eorum quibus indigemus; sed et sacrum amicumque Deum inter et hominem institutum commercium quo Deum ut pium patrem filiali affectu affamur, sicque deprecatio perfecta optimos puri amoris continet affectus.

Resp. 3° *Ad tertiam.* Licèt Deus nostris orationibus nostrisque laudibus, imò et nostro amore nullo modo indigeat, nos tamen ipsi hæc omnia persolvere debemus, non quasi Deum feliciorem effecturi, sed quia recta ratio docet inferiorem debere superioris præstantiam, filium auctoritatem parentis, creaturam creatoris summam potentiam summasque perfectiones agnoscere et confiteri.

Resp. 4° *Ad quartam.* Deprecatio non lædit morum leges, quasi ipsa esset actus egoistæ qui proprio sui amore ductus, sibi bona concedi precatur. Nam, ut vidimus, non lædit morum leges ille qui, salvâ officii lege, bonum aliquod sibi fieri exoptat.

Resp. 5° *Ad quintam.* Deus immutare potest, et reverà aliquandò immutavit naturæ leges, ut hominibus præstaret beneficia. Sed non semper necesse est ut Deus immutet naturæ leges ad conferenda in nos beneficia temporalia. Nam plurima pendent ex interventu causarum secundarum, nostri aut aliorum, quorum Deus consilia ita dirigere potest ut optatus obtineatur effectus, licèt non immutentur naturæ leges. Sic, ut ægro restituatur sanitas, necesse non est ut Deus miraculo utatur; satis est autem dùm ægrotantis menti peritum adire medicum, et medici animo succurrat aptum sanando morbo remedium adhibere. Sic est etiam in pluribus aliis casibus.

Nec dici potest absurdam esse deprecationem quâ à Deo petimus auxilium quo adjuti virtutem sectemur, quasi tali deprecatione rogaremus Deum ut nostram libertatem

tollat. Deus enim potest voluntatem ad bonum incitare, salvâ libertate. Etenim cur Deus efficere non posset quod homo quotidiè efficit? Porrò quotidiè minis, consiliis, adhortationibus alios ab aliquo actu divertimus aut ad actum incitamus efficaciter, ut experientiâ constat; ergò, etc.

Objicies. 3° Inutilis et absurdus est cultus externus. 1° Quidem inutilis : cujus enim rei gratiâ cantus modò læti, modò flebiles, genuum flexiones, lustrationes, victimarum mactatio, sanguinis effusio, totque alii variique apud diversos populos usitati ritus, quum Deus solùm cor intueatur, ipseque in spiritu et veritate adorari velit? 2° Absurdus insuper est cultus externus; absurdum enim est existimare Deum his omnibus demonstrationibus externis indigere ut intimos animi nostri sensus agnoscat, quum ipsum nihil eorum quæ intra nos aguntur, effugiat. Ergò, etc.

Resp. 1° *Nego antecedens.*

Resp. 2° *Ad priorem partem probationis, nego consequentiam.* Fateor quidem Deum in spiritu et veritate adorari velle, ipsum intueri cor, et affectus internos ipsi multò magis acceptos esse quàm ritus quoslibet externos. At ex eo quòd cultus internus animi Deo persolvendus sit, nùm sequitur ritus externos interno cultui adjungendos non esse? Nùm diximus persolvendum esse Deo cultum externum, neglecto interiori? Nonne econtrà cultûs exterioris necessitatem repetimus ex ipso cultu interiori e quo fluit externa intimi affectûs demonstratio, et qui ipse ope rituum exteriorum augetur? Ergò, etc.

Resp. 3° *Ad posteriorem partem probationis, nego antecedens.* Scilicet nego nos existimare Deum indigere his omnibus demonstrationibus externis, ut internos animi nostri affectus agnoscat. Reverà nunquàm diximus ob id

rationis persolvendum esse Deo cultum externum; sed cultûs externi rationem desumpsimus tum ex ipsâ animæ nostræ naturâ quâ fit ut difficillimè intra nos cohibere possimus vividiores affectus animi, tum ex utilitate quam nobis afferunt ritus exteriores, quum ipsis efficaciter ad internum cultum incitemur et adjuvemur. Ergò, etc.

Objicies. 4° Persolvendus non est Deo cultus publicus. Reverà cultus publicus stare nequit cum libertate et tolerantiâ cultuum : atqui servandæ sunt libertas et tolerantia cultuum; iniquum enim est aliquem cogere ut colat numina quibus fidem non adhibet. Ex intolerantiâ cultuum ortæ sunt adversùs primos Christianos cruentæ persecutiones et persæpè bella, supplicia innumeraque mala. Ergò, etc.

Resp. 1° *Nego antecedens.*

Resp. 2° *Nego majorem probationis.* Cultus publicus stare potest cum libertate et tolerantiâ cultuum. Quandò enim tota gens aut gentis maxima pars in verum Deum credit, quid vetat gentem illam eodem religionis cultu etiam exteriori Deum colere, relictâ non credentibus libertate, et eorum cultu tolerato?

Resp. 3° *Distinguo minorem ejusdem probationis.* Servandæ sunt æqua libertas et sapiens tolerantia cultuum, *concedo minorem.* Servandæ sunt libertas et tolerantia cultuum illimitatæ, *nego minorem et consequentiam.*

Reverà de cultu idem dicendum est ac de cæteris omnibus quæ prosunt vel obsunt societati, in quibus libertas illimitata et rationi adversa concedenda non est subditis : in omnibus autem servandum est temperamentum æquum rationique consentaneum. Ex hoc principio judicandum relinquimus quid sentiendum sit de persecutionibus adversùs primos Christianos, de bellis, de suppliciis et de innumeris malis quæ nobis objiciuntur.

PARAGRAPHUS II.

QUALIS SIT VERA RELIGIO, AN NATURALIS, AN REVELATA?

§ I. Prænotata. — § II. Paragraphi hujus divisio.

§ I. *Prænotata.* Religio quælibet complectitur dogmata, cultum aliquem erga Deum, et præcepta morum. Eo sensu accepta, religio differt à virtute religionis quæ complectitur officia erga Deum tantùm.

Per religionem naturalem intelligunt increduli religionem quæ solâ ratione innotesceret, nec ullum dogma, aut præceptum, aut aliquam cultûs formam contineret, præter ea quæ sola ratio docet.

Religio revelata illa est quæ dogmata, morum præcepta cultumque à Deo præscripta continet.

Præcepta quæcumque, aut dogmata, aut cultus aliundè accepta quàm ex solâ ratione præcipiente, vocantur positiva. Naturalia autem dicuntur ea quæ e solà ratione præcipiente profluunt, licèt ope institutionis innotescant.

Plurimæ sunt religiones quæ se revelatas jactitant. Quænam ex his vera sit expendere theologorum est, philosophi verò agere tantùm debent adversùs incredulos qui revelationem generatim negant.

§ II. *Paragraphi hujus divisio.* Adsunt plurimi qui docent omnes religiones æquales esse, et quemlibet debere inter eas indifferentem remanere. Docent alii revelationem homini esse inutilem, quum ipsi ratio sola sufficiat, imò et impossibilem illam esse. Indè concludunt religionem christianam falsò jactitare se à Deo fuisse revelatam. Ipsi prætereà religionem christianam evertere nituntur, impugnando positivè argumenta quibus constat illam fuisse divinitùs revelatam.

Ut absolvatur quidquid ad quæstionem præsentem spectat, ostendendum est igitur 1° omnes religiones non esse æquales. 2° Possibilem esse revelationem. 3° Hanc nobis esse perutilem. 4° Denique religionem christianam reverà à Deo institutam fuisse. Quatuor igitur erunt numeri : primus, De indifferentiâ respectu omnis religionis; secundus, De possibilitate revelationis; tertius, De utilitate revelationis; quartus, demùm De existentiâ revelationis.

NUMERUS PRIMUS.

DE INDIFFERENTIA RESPECTU OMNIS RELIGIONIS.

§ I. Prænotanda. — * § II. Systema Atheorum. — § III. Systema Deistarum. — § IV. Systema Protestantium. — § V. Thesis. — * § VI. Fusior probatio primæ partis. — * § VII. Fusior probatio secundæ partis. — § VIII. Solvuntur objectiones.

§ I. *Prænotanda.* Indifferentia duplex distinguitur : altera practica, altera systematica.

Indifferentia practica *Eorum est qui pecudum more vitam agentes, futura nullo modo curant, nec ultra præsentem vitam visibiliaque cogitationem extollunt.*

Indifferentia autem systematica *Eorum est qui argumenta congerere nituntur, ut sibi aliisque comprobent æquales esse omnes religiones.*

Porrò tria numerantur indifferentiæ systemata, nempè Atheorum, Deistarum et Protestantium. Quæ omnia non adeò à se discrepant ut eorum sectatores argumenta communia non habeant.

* § II. *Systema Atheorum.* Athei nullum Deum agnoscentes, nullam et religionem agnoscere debent. Ipsis igitur omnes religiones sunt æqualiter falsæ. Nec ratio, nec revelatio ipsarum veritatem suadet. Sed duæ ipsis occurrunt difficultates solvendæ, quomodò nempè stare possit

societas, sublatâ omni religione; et quomodò instituta fuerit religio quâ nulla gens carere videtur. Ut primam difficultatem solvant, quidam respondent stare posse Atheorum societatem. Sed non omnes inter se concordant ut explicent quomodò stare queat Atheorum societas. Namque alii hominem à naturâ rectum bonumque conditum fuisse existimantes, docent inutile esse alterius vitæ vindicisque numinis dogma, ut hominum cupiditates et vitia compescantur. Alii autem docentes hominem nasci cæteris infensum, nihil præter vim principum afferunt, ut homo ad officia implenda cogatur. Alii demùm tenent singulos satis intelligere utilitatis suæ esse legibus civilibus parere.

* Alii verò increduli agnoscentes religionis utilitatem ut populi dociliores reddantur, dicunt religionem plebi relinquendam esse; eam huic esse accommodatam; sed illam dedecere philosophos et eos qui sive ob excultum ingenium, sive ob auctoritatem supra turbam extolluntur.

* Quoad secundam difficultatem, hominibus præsertìmque legislatoribus religionum institutionem tribuunt. Quum enim societatum rectoribus potissimùm utilis sit religio, ut eorum auctoritas sacratior firmiorque reddatur, hinc concludunt societatum rectores rem instituisse, e quâ maximam percipiunt utilitatem. Afferunt deindè exempla legislatorum qui ferè omnes se ab aliquo numine leges accepisse finxerunt.

* §III. *Systemata Deistarum.* Secundum systema Deistarum præcipuè est, qui quidem alicujus religionis, sed naturalis tantùm agnoscentes necessitatem, dubiamque saltem existimantes veritatem cujuscumque religionis positivæ, has omnes æquales esse docent, et quemlibet servare debere religionem in quâ natus est aut regionis quam

incolit. Hoc systema propugnavit præsertìm J. J. Russæus, in operibus passìm; sed præcipuè in libro inscripto *Émile*, in quo sophismata congerit ut suum placitum comprobet, sibique non semel pro more contradicit.

* Omnes religiones bonas esse agnoscit. Sic habet (*Émile*, t. III, p. 184.) : « Je regarde toutes les religions particu- « lières comme autant d'institutions salutaires qui prescri- « vent, dans chaque pays, une manière uniforme d'ho- « norer Dieu par un culte public, et qui peuvent toutes « avoir leur raison dans le climat, dans le gouvernement, « dans le génie du peuple, ou dans quelque autre cause « locale qui rend l'une préférable à l'autre. »

* Et in alio opere (*Lettre à M. de Beaumont.*) : « Honorez « en général tous les fondateurs de vos cultes respectifs; « que chacun rende au sien ce qu'il croit lui devoir, mais « qu'il ne méprise point celui des autres. Ils ont eu de « grands génies et de grandes vertus; cela est toujours es- « timable. Ils se sont dits les envoyés de Dieu; cela peut « être et n'être pas. »

* Attamen anteà dixerat (*Émile*, t. III, p. 133.) omnes religiones positivas Deo æqualiter indignas esse infinitamque ejus majestatem deprimere : « Leurs révélations ne « font que dégrader Dieu, en lui donnant les passions hu- « maines. Loin d'éclaicir les notions du grand Être, je vois « que les dogmes particuliers les embrouillent; que, loin de « les ennoblir, ils les avilissent; qu'aux mystères inconce- « vables qui l'environnent ils ajoutent des contradictions « absurdes; qu'ils rendent l'homme orgueilleux, intolé- « rant, cruel; qu'au lieu d'établir la paix sur la terre, ils « y portent le fer et le feu. Je me demande à quoi bon « tout cela, sans savoir me répondre. Je n'y vois que les « crimes des hommes et les misères du genre humain. »

* Quùm religiones positivæ tot contradictoria et incredibilia contineant, de dogmatibus silendum est; servanda autem sunt præcepta quibus mores informantur ad probitatem et benignitatem erga proximum. Intereà æquali veneratione habendæ sunt omnes religiones; sed standum est patriis ritibus : « Vous sentirez que dans l'incertitude « où nous sommes, c'est une inexcusable présomption de « professer une autre religion que celle où l'on est né, et « une fausseté de ne pas pratiquer sincèrement celle qu'on « professe. Si l'on s'égare, on s'ôte une grande excuse au « tribunal du souverain juge. Ne pardonnera-t-il pas « plutôt l'erreur où l'on fut nourri que celle qu'on osa « choisir soi-même? » (*Émile,* t. III, p. 195 et 196.) « Je « sers Dieu dans la simplicité de mon cœur; je ne cherche « à savoir que ce qui importe à ma conduite. Quant aux « dogmes qui n'influent ni sur les actions ni sur la mo- « rale, et dont tant de gens se tourmentent, je ne m'en « mets nullement en peine. » (*Émile,* t. III, p. 183 et 184.)

* Ex æqualitate omnium religionum quoad dogmata, sequitur quemque posse, imò et debere religionem amplecti regionis quam incolit, ut servetur ordo à legibus præscriptus. Hanc sequelam admittunt Deistæ, eamque sic exprimit philosophus quidam Anglus : « Passer du « mahométisme au christianisme, ou du christianisme « au mahométisme, c'est uniquement abandonner une « forme extérieure de religion pour une autre forme, « démarche qui n'offre pas plus d'avantage réel qu'il n'y « en a pour un homme à changer la couleur de ses « vêtements, en quittant, par exemple, un habit bleu « pour en prendre un rouge. » (*Chubb's posthumous works,* vol. II, p. 33 et 34.)

* § IV. *Systema Protestantium.* Tertium systema Pro-

testantium est. Nempè quum à Bossuetio redargueretur Juriæus quòd, perpetuis variationibus agitatæ, inter se concordes esse non possent ecclesiæ reformatæ, carerentque veræ Ecclesiæ notis, quæ debet esse una, sancta, catholica et apostolica; hic minister excogitavit systema dictum punctorum fundamentalium, juxta quod vera Ecclesia coalescit ex omnibus sectis christianis, etiam sibi infensis, modò servaverint dogmata fundamentalia. Sed jam istud systema ad Theologiam attinet.

Nunc verò confutanda sunt duo priora indifferentiæ systemata.

THESIS.

§ V. *Indifferentia respectu religionum rationi rectæ contradicit, societati valdè est perniciosa, multùmque periculosa privatis.*

Probatur prima pars theseos, nempè rectæ rationi contradicere indifferentiam respectu religionum.

Reverà absurda est indifferentia theorica. Absurdum est enim habere tanquàm æqualiter veras, religiones quæ sibi porsùs oppositæ sunt, quarum aliæ, verbi gratiâ, unicum numen agnoscunt, aliæ plurima colunt; aliæ Christum adorant, aliæ adorationem ipsi persolutam idololatriam vocant; aliæ Ecclesiam catholicam solam esse veram Christi Ecclesiam prædicant, aliæ aliam aut omnes Ecclesias Christi Ecclesiam esse dicunt: nam absurdum est propositiones contradictorias simul esse veras.

Pariter absurda est indifferentia practica; absurdum est enim religionis alicujus veritatem agnoscere, cæterarum autem falsitatem, et dicere omnes practicè æquales esse. Ergò, etc.

* § VI. *Fusior probatio primæ partis.*

* Et verò indifferentia respectu religionum rectæ rationi

contradicit, modò huic opposita inveniatur indifferentia tum Atheorum, tum Deistarum, tum etiam indifferentium practicorum : atqui tria hæc indifferentiæ genera rectæ rationi contradicunt.

Probatur minor, per partes.

* *Probatur minor, quoad primam partem, nempè absurdam esse indifferentiam Atheorum.* Athei nullam religionem agnoscunt, ne naturalem quidem, sed legislatoribus quarumcumque religionum institutionem tribuunt : atqui absurdum est illud systema quadruplici potissimùm ex parte, scilicet quòd 1° contradicit illud pio erga Deum sensui quem omnes nos à naturâ accepisse probavimus in Theodiceâ. 2° Contradicit rectæ rationi, Deum tollendo; aut, si Deus existere agnoscatur, contradicit relationibus quæ inter Deum et hominem ex naturâ rerum existunt. Quid enim iniquius quàm Deum agnoscere tanquàm ens supremum, infinitum, omnipotens, creatorem, summè benignum, nec ullum ipsi cultum persolvere? 3° Illud systema præcepta morum evertit. Licèt enim officia non pendeant à voluntate positivâ Dei, ut in secundâ parte hujusce Ethicæ ostendimus : attamen, sublato Deo, tollitur et æterna lex necessaria e quâ officia ducunt originem; tollitur deindè sanctio legum moralium; quisque enim impunè præcepta morum spernere potest legumque civilium tantummodò vindictam timendam habet. 4° Demùm explicari nequit religionum origo. Immeritò enim legislatores dicuntur religiones instituisse; tum quia constat ex historicis monumentis fide in Deum et religione aliquâ nullos caruisse populos, eos etiam qui legibus civilibus non utebantur, ut probavimus in Theodiceâ, ostendendo ex unanimi populorum consensu existere Deum. Tum etiam quia nec auctor, nec tempus, nec locus,

nec modus institutarum religionum ostendi possunt. Tum quia non potuissent legislatores religionem suadere populis, nisi homines fuissent naturâ religiosi; religiones enim multùm adversantur cupiditatibus. Tum demùm quia contradictoria includit Atheorum hypothesis; ex unâ enim parte ipsi coguntur supponere societatem priùs institutam fuisse quàm religionem; non enim adfuissent legislatores qui religionem instituerent, nisi jam efformata fuisset societas; ex alterâ verò parte societas efformari non potuit nec stare absque religione : nam sine religione nulla sunt officia, nulla morum præcepta. Ergò 1°, etc.

* *Probatur minor, quoad secundam partem, nempè absurdam esse indifferentiam Deistarum.* Contendunt Deistæ admittendam esse religionem naturalem tantùm; cæterùm verò omnes religiones positivas esse æqualiter habendas : atqui illud absurdum est. Vel enim ipsi dicent omnes religiones positivas esse æqualiter veras, vel illas esse æqualiter falsas, vel demùm unam tantùm ex iis veram esse : quidquid autem dicant, absurdum remanet eorum systema.

* 1° Quidem absurdum est dicere omnes religiones esse æqualiter veras. Nam veræ simul esse non possunt religiones quæ sibimet contradicunt. Verum esse nequit Christum esse Deum, ut contendunt Christiani, et ipsum Deum non esse, ut volunt Judæi, Mahumetani et omnes increduli. Verum esse nequit religionem judaicam adhùc esse veram et unicam religionem, et simul veram esse religionem christianam quæ se judaicæ locum obtinuisse docet. Verum esse nequit Mahumetem fuisse missum à Deo prophetam, ut contendunt ejus discipuli, et illum nihil præter seductorem fuisse, ut existimant

Christiani. Absurdum sanè est contendere hæc omnia simul vera esse.

* 2° Absurdum est dicere omnes religiones esse æqualiter falsas. Quemadmodùm enim duæ propositiones contradictoriæ non possunt esse simul veræ, ità nec eædem possunt esse simul falsæ.

* 3° Absurdum denique est agnoscere unicam religionem esse veram, et docere simul omnes religiones æquales esse et amplectendam esse religionem patriam aut religionem regionis quam quisque incolit, quæcumque sit, etiamsi veræ religioni contradicat. Ergò, etc.

* *Probatur minor, quoad tertiam partem, nempè absurdam esse indifferentiam practicam.* Vel enim indifferentes practici religioni cuidam fidem adhibent, vel non. Si alicui religioni fidem adhibent, absurdum est nihil curare ejus observationem. Si nulli religioni fidem adhibent, iterùm vel quia omnes æqualiter falsas esse existimant, tuncque absurdum est existimare æqualiter falsas esse propositiones opinionesque contradictorias : vel quia de religione nunquàm seriò cogitarunt, tuncque rem tanti momenti ità parvi pendere absurdum est. Ergò, etc.

* Et verò adeò absurdum est Deistarum systema, ut illud propugnare nequeat J. J. Russæus, nisi sibimet perpetuò contradicat, quamvis hanc opinionem subtiliùs quam cæteri tueatur. Juvat hic aliquas ex ejus contradictionibus referre. « Parmi tant de religions diverses qui se proscri- « vent et s'excluent mutuellement, une seule est la bonne, « si tant est qu'une le soit. » (*Emile*, t. III, p. 158.) Contraverò ait (*Ibid.*, p. 184.) : « Je regarde toutes les reli- « gions particulières comme autant d'institutions salu- « taires, etc., » ut suprà. — « Il ne tiendra pas à moi d'af- « fermir leur foi dans les dogmes vraiment utiles, et que

« tout homme est obligé de croire. » (*Ibid.*, p, 187.) « Sans « la foi nulle véritable vertu n'existe. » (*Ibid.*, p. 197.) Contraverò : « Il n'y a point de religion qui dispense des « devoirs de la morale; il n'y a de vraiment essentiels que « ceux-là. » (*Ibid.*, p. 196.) — Post præclaras Evangelii laudes, sic habet (*Ibid.*, p. 183.) : « L'Évangile a des ca- « ractères de vérité si grands, si frappants, si parfaitement « inimitables, que l'inventeur en serait plus étonnant que « le héros. » Statimque subjungit : « Avec tout cela, ce « même Évangile est plein de choses incroyables, de choses « qui répugnent à la raison, et qu'il est impossible à tout « homme sensé de concevoir ni d'admettre. » — Elle est « très-simple et très-sainte (la religion de Calvin); je la « crois de toutes les religions qui sont sur la terre celle « dont la morale est la plus pure et dont la raison se con- « tente le mieux. » (*Ibid*,, p. 195.) Contraverò : « Dans « l'incertitude où nous sommes, c'est une inexcusable pré- « somption de professer une autre religion que celle où l'on « est né, et une fausseté de ne pas pratiquer sincèrement « celle qu'on professe. » (*Ibid.*) Undè religio patria relinquenda non foret ut amplecteretur religio quæ omnium rationi maximè consentanea est. — « Un enfant doit être « élevé dans la religion de son père. (*Ibid.*, t. II, p. 358.) « Une fille doit avoir la religion de sa mère, et toute femme « celle de son mari. Quand cette religion serait fausse, la « docilité qui soumet la mère et la fille à l'ordre de la na- « ture efface auprès de Dieu le péché de l'erreur. Hors « d'état d'être juges elles-mêmes, elles doivent recevoir la « décision des pères et des maris comme celle de l'Église. » (*Ibid.*, t. IV, p. 77.) Contraverò : « Cherchons-nous donc « sincèrement la vérité; ne donnons rien au droit de la « naissance et à l'autorité des pères et des pasteurs, mais

« rappelons à l'examen de la conscience et de la raison tout « ce qu'ils nous ont appris dès notre enfance. » (*Ibid.*, « t. III, p. 139.) Plurimas alias sententias contradictorias omitto.

Probatur secunda pars theseos, nempè societati valdè perniciosam esse indifferentiam respectu religionum.

Sublatâ enim religione, maximum ordinis socialis præsidium tollitur; religio enim omnia officia implenda jubet, etiam civilia, ipsisque auctoritatem divinam adjungit : atqui indifferentia, tum theorica, tum practica, ad tollendam penitùs religionem ex naturâ rerum ducit; ergò, etc.

* § VII. *Fusior probatio secundæ partis.*

* Reverà valdè societati perniciosa est tum indifferentia Atheorum, tum indifferentia Deistarum, tum indifferentia practica.

* 1° *Quidem valdè perniciosa est societati indifferentia Atheorum.* Reverà indifferentia Atheorum ea est quâ omnes religiones habentur tanquàm æqualiter falsæ, eò quòd tollatur omnis notio Dei : atqui sublatis Dei notione et religione, tollitur etiam officii notio; quisque jam solâ propriæ utilitatis consideratione movetur et ducitur; nullum ampliùs alienum jus agnoscitur aut servatur. Hinc exoriuntur ex parte principium tyrannica potestas; ex parte autem subditorum inobedientia, seditiones perturbationesque plurimæ; inter privatos injustitiæ, furta, rixæ, homicidia; inter nationes odia, bella, ubique clades et calamitates. Ergò, etc.

* Et verò ipsos de hoc audiamus incredulos. Sic habet Voltarius : « Je ne voudrais pas avoir affaire à un prince « athée qui trouverait son intérêt à me faire piler dans « un mortier; je suis bien sûr que je serais pilé. Je ne vou- « drais pas, si j'étais souverain, avoir affaire à des courti-

« sans athées dont l'intérêt serait de m'empoisonner; il me « faudrait prendre au hasard du contre-poison tous les jours. « Il est donc absolument nécessaire, pour les princes et « pour les peuples, que l'idée d'un Être suprême, créateur, « gouverneur, rémunérateur, vengeur, soit profondément « gravée dans les esprits. » (*Œuvres de Voltaire*, tom. XXVIII, p. 12, édit. in-8°, art. *Athéisme* du *Dictionnaire philosophique.*) Sic autem legitur apud J. J. Russæum (*Émile*, tom. III, p. 206.) « Sortez de là (du théisme), « je ne vois plus qu'injustice, hypocrisie et mensonge parmi « les hommes; l'intérêt particulier, qui dans la concurrence « l'emporte nécessairement sur toutes choses, apprend à « chacun d'eux à parer le vice du masque de la vertu. Que « tous les autres hommes fassent mon bien aux dépens du « leur, que tout se rapporte à moi seul, que tout le genre « humain meure, s'il le faut, dans la peine et la misère, pour « m'épargner un moment de douleur ou de faim; tel est le « langage intérieur de tout incrédule qui raisonne. Oui, je « le soutiendrai toute ma vie, quiconque a dit dans son « cœur : Il n'y a point de Dieu, et parle autrement, n'est « qu'un menteur ou un insensé.»

* 2° *Valdè etiam societati perniciosa est indifferentia Deistarum.* Valdè enim societati perniciosum esset systema quod omnem religionem tolleret; societas enim stare nequit absque religione, ut constat ex ipsâmet incredulorum confessione : atqui systema Deistarum necessariò ducit ad delendam penitùs omnem religionem. Res ità est, modò in eo systemate nulla religio sive positiva, sive etiam naturalis remanere queat : atqui reverà nulla religio sive positiva, sive etiam naturalis remanere potest in systemate Deistarum. Non positiva; omnes enim pari habentur veneratione aut potiùs contemptu, omnes æqualiter falsæ

mente existimantur, ipsisque exterior tantùm persolvitur veneratio, sicque mox deseretur religio illa, etiam exteriùs, aut, si servetur exteriùs, at illa non poterit retrahere à cupiditatibus, idemque detrimentum patietur societas. Nec remanere potest religio naturalis, mens enim humana densioribus obcæcatur tenebris, vividioribus trahitur cupiditatibus, quàm ut ratio sibi de relicta valeat omnia præcepta religionis naturalis agnoscere aut impedire quin homines in vetita ruant. Ergò, etc.

* 3° *Valdè etiam et præsertim societati perniciosa est indifferentia practica;* hæc enim directè ducit ad violationem præceptorum. Ergò, etc.

Probatur tertia pars theseos, nempè indifferentiam esse multùm periculosam privatis, in quocumque systemate. Nam in nullo systemate datur certitudo veram non esse aliquam religionem positivam : quo autem posito, valdè periculosum est indifferenter se gerere in re tanti momenti. Quid enim excusationis erit ei qui nullo modo curavit expendere an aliqua religio vera esset, si fortè post mortem incidat in manus Dei pœnas repetentis cultûs sui neglecti voluntatisque contemptæ? Nonne debuit saltem, quantùm in se erat, in veritate investigandâ operam impendere? Nonne veniâ magis dignus esset qui, veritate quæsitâ, ex errore emergere nequit, si fortè veritas ipsam ex animo quærenti non semper occurrat, quam qui nullo studio, nullo labore veritatem detegere curat? Valdè igitur periculosum est in indifferentiâ religionum permanere. Ergò, etc.

§ VIII. *Solvuntur objectiones.*

Objicies 1°. Præcipua religionum omnium fundamenta falsa sunt aut saltem dubia; ergò omnes religiones sunt æqualiter falsæ aut saltem dubiæ, et sapiens indifferenter se gerere debet erga omnes cultus.

Resp. 1°. *Nego antecedens.*

Aliqua saltem religio ratione nititur; ergò, etc.

Resp. 2°. *Nego consequentiam.* Si dubia sunt religionum fundamenta; ergò satagendum est ut excutiatur dubium, nedùm concludendum sit sapientis esse indifferenter se gerere erga omnes religiones; ergò, etc.

Instabis 1°. Incerta sunt existentia Dei, natura animæ humanæ futuraque ejus destinatio: tot enim adsunt de his solvendæ difficultates, ut nullus sperare possit se veritatem unquàm assecuturum fore: atqui omnes religiones his innituntur dogmatibus; ergò, etc.

Resp. Nego majorem; et argumenti quo probatur major, nego antecedens. Dogmata hæc invictis comprobavimus argumentis, difficultatesque objectas diluimus in Ontologiâ. His igitur non ampliùs insistendum.

Instabis 2°. Omnes religiones arti politicæ debentur; ergò, etc.

Resp. Nego antecedens. Ostendimus in Theodiceâ fidem in Deum ex naturâ et ratione oriri, non autem ex arte politicâ. Ergò, etc.

Instabis 3°. Ex historiâ constat omnes legislatores primarum societatum ipsis præcepisse ritus quosdam et cultum divinum; ergò omnes religiones arti politicæ debentur.

Resp. Nego consequentiam. Licèt enim omnes legislatores ritus religiosos præceperint, non sequitur ipsos religionem instituisse, sed econtrà agnoscendum est religionem ab ipsâ rerum naturâ originem ducere, ipsam societati necessariam esse, et ipsis legibus antiquiorem. Non potuissent enim legislatores rem instituere adeò cupiditatibus adversam, nisi natura ipsa homini pium indidisset sensum erga numen.

Præthereà quæstio non est an legislatores cultum religiosum præceperint, annon : atverò expendendum est an omnes religiones à legislatoribus excogitatæ fuerint et propriâ ipsorum auctoritate institutæ, an verò ipsi à Deo reverà missi fuerint supernaturalique auctoritate religionem instituerint. Porrò re maturè perpensâ, patebit Moysen à Deo reverà missum fuisse ut populo hebræo leges civiles religiosasque à Deo revelatas præscriberet, ut constat ex ejus miraculis, prophetiis, et ex omnibus ejus historiæ circumstantiis.

Demùm una est religio quæ absque potestatis politicæ auxilio, imò non obstantibus principum civilium conatibus, instituta fuit, nempè religio christiana. Ergò ex eo quòd primarum societatum legislatores cultum religiosum præceperint, non sequitur omnes religiones arti politicæ deberi.

Objicies 2°. Indifferentia Atheorum societati non nocet. Ergò, etc.

Resp. Nego antecedens, propter rationes in thesi allegatas.

Inst. 1°. Athei, Deum negando, probitatem tamen virtutesque civiles retinent. Ergò, etc.

Resp. Nego antecedens. Falsum est omnes Atheos probitatem virtutesque civiles retinuisse. Reverà, ut unicum exemplum afferam, dic mihi, quæso, an probitatem virtutesque civiles retinuissent isti Athei qui potestatem supremam obtinuerant apud nos; totasque Gallias perturbationibus, cædibus et cruore impleverunt, exeunte decimo octavo seculo?

Resp. Nego consequentiam. Etiamsi Athei retinerent probitatem virtutesque civiles, attamen valdè noxium societati esset eorum systema. Esto enim quòd atheismus

penitùs e corde non auferat omnes rectitudinis sensus à naturâ homini inditos, at saltem confitendum est suo systemati concordem non esse Atheum qui virtutem colit. Sublato enim Deo et in ejus locum fortuito quodam casu suffecto, virtus est nomen sine re. Hinc sequitur Atheum suo systemati concordem debere omnem probitatem omnesque virtutes civiles abjicere : atqui sanè valdè noxium est systema quod ad talia consectaria ducit. Ergò, etc.

Inst. 2°. Sufficit quòd plebs religionem servet, hâc autem non indiget sapiens; ergò sapiens saltem remanere potest indifferens, quin societas aliquid detrimenti patiatur.

Resp. 1°. *Nego antecedens.* Quemadmodùm principum interest quòd plebs religionem servet ut sit ad obediendum promptior, ità et plebis permagni interest quòd principes religionem servent, ne potentiâ supremâ abutantur. Præstereà, si religio falsa est, non magis eam servare debet populus quàm sapientes aut principes. Ergò, etc.

Resp. 2°. *Nego consequentiam.* Etiamsi sufficeret quòd plebs servaret religionem, non sequeretur sapientes principesque remanere posse indifferentes : mox enim principum sapientiumque exemplis et documentis ab omni cultu abducentur et ipsi plebeii homines; ergò, etc.

Objicies 3°. Sufficit religio naturalis; ergò quisque remanere potest indifferens circa religiones positivas.

Resp. 1°. *Nego antecedens.* Mox infrà probaturi sumus non sufficere religionem naturalem, eò quòd ratio sola non valeat aut omnia præcepta morum assequi, aut cupiditatibus satis validum frenum injicere.

Resp. 2°. *Nego consequentiam.* Etiamsi religio naturalis sufficeret, non sequeretur Deum non potuisse præceptis naturalibus adjungere præcepta positiva quibus religio

naturalis perficeretur. Hinc quisque expendere debet an reverà adsit religio aliqua verè à Deo revelata, inter varias religiones quæ divinam originem sibi vindicant.

Præthereà, etiamsi religio naturalis sufficeret certumque esset nullam religionem positivam veram esse, non sequeretur æquali veneratione habendos esse omnes cultus, nulli enim ulla deberetur veneratio, quùm omnes econtrà falsi mentitique essent et summo contemptui tradendi. Ergò, etc.

Objicies 4°. Omnes cultus positivi sunt æquè falsi absurdique; ergò æqualiter omnes habendi sunt.

Resp. 1° *Nego antecedens.* Falsum est omnes cultus positivos æquè falsos absurdosque esse. Ne enim hic veræ religionis argumenta afferam, quod quidem longius esset et ad scopum nostrum minùs attinet, observandum tantùm moneo quòd cultus contradictorii nequeunt esse æquè falsi et absurdi, unus enim ex iis necessariò verus est. Vel Christus est Deus, vel non. Si Deus est, vera est religio christiana; si Deus non est, eadem est falsa: media pars non datur.

Resp. 2° *Nego consequentiam.* Non sequeretur, ut in responsione ad objectionem præcedentem jam diximus, omnes cultus pari veneratione, sed econtrà pari contemptu habendos esse. Ergò, etc.

Objicies 5°. Impossibile est ut detegamus an aliqua religio positiva vera sit; ergò inter omnes suspensus hærere debet sapiens.

Resp. Nego antecedens. Adsunt indicia veritatis errorisque, e quibus judicandum est an vera sit aliqua religio positiva. Reverà, si aliqua religio à Deo revelata fuit, debet illa nihil præ se ferre quod sit evidenter absurdum aut bonis moribus adversum; debet illa insuper inniti mira-

culis quibus testetur institutor hujus cultûs se à Deo missum fuisse. Atqui hæc indicia satis aperta sunt ut nullus, et præsertìm doctus et sapiens, dubitare legitimè possint. Ergò, etc.

Inst. 1° Plurimæ occurrunt difficultates inextricabiles cuique expendere volenti an vera sit aliqua religio positiva. Etenim 1° expendere debet an authentici sint integrique libri sacri : deindè 2° an fidè translati fuerint : 3° an nihil in ipsis deprehendatur absurdum aut moribus adversum. 4° Expendendum annon prophetiæ post eventum additæ fuerint ; an consonent cnm eventibus ; annon fortuito casu prophetiæ congruus sit eventus. 5° Distinguendum an miracula vera sint et à Deo profecta, an verò solerter quædam facta ut simplicibus fucus fieret, etc., etc. Atqui vix deprehendetur aliquis qui hæc omnia expendere valeat, nedùm id possint plebeii homines; non enim hi debent auctoritati doctiorum credere, majores enim difficultates adsunt in expendendâ horum auctoritate, quàm in expendendis ipsiusmet religionis positivæ notis. Ergò, etc.

Resp. 1° *Nego antecedens, scilicet occurrere plurimas difficultates inextricabiles cuilibet expendere volenti an aliqua religio positiva vera sit*. Difficultates illæ non tantæ sunt, quantæ ab objiciente exhibentur. Imò facilè agnoscitur vera religio, nedùm adsint difficultates inextricabiles.

Resp. 2° *Nego minorem probationis, scilicet plebeios homines non posse expendere omnia quæ necessaria sunt ut vera religio agnoscatur*. Reverà inter ea quorum priùs habenda est certitudo quàm religio vera agnoscatur, plura sunt quæ singulis hominibus etiam plebeiis facilè innotescunt ; alia verò quorum certi efficiuntur cæterorum hominum auctoritate. Reverà falsò contendit adversarius

quemlibet debere per se ipsum expendere quæcumque veræ religionis electioni præmittenda sunt. Quemadmodùm enim plebeii homines legisperitis fidem adhibent de legum existentiâ et interpretatione, ità et fidem quibusdam hominibus probis doctioribusque fidem adhibere debent de librorum sacrorum authenticitate, genuinâ interpretatione et cæteris quæ ipsi expendere nequeunt : nam auctoritas humana via est legitima multa addiscendi quæ nos ipsi propriâ experientiâ cognoscere non possumus. Et verò quotidiè res gravissimas et maximi momenti alieno judicio submittimus, et eo ipso nos prudentiores ostendimus quòd peritiorum consilia adhibemus : ergò pariter ex alienâ auctoritate, modò proborum hominum sit, multa credere possumus quæ ad religionem spectant. Ergò, etc.

NUMERUS II.

DE POSSIBILITATE REVELATIONIS.

§ I. Capita quibus increduli revelationis possibilitatem impugnant. — * § II. Eorumdem objectiones ex parte dogmatum credendorum. — * § III. Ex parte Dei revelantis. — * § IV. Ex parte hominis cui fit revelatio. — § V. Thesis. — § VI. Principia solutionis objectionum.

§ I. *Capita quibus increduli revelationis possibilitatem impugnant.* Revelationis possibilitatem negârunt Deistæ inter quos eminet J. J. Russæus qui eam præsertim impugnat in opere cui titulus : *Émile, ou de l'Éducation.* Ad tria capita referri possunt quæcumque adversùs possibilitatem revelationis congeruntur; incredulorum enim objectiones ducuntur vel ex parte dogmatum credendorum, vel ex parte Dei revelantis, vel ex parte ipsius hominis cui fit revelatio.

* § II. *Incredulorum objectiones ex parte dogmatum*

credendorum. 1° Ex parte dogmatum credendorum objiciunt hæc esse inutilia, ab hominibus adinventa, obscura, falsa, Deo indigna, absurda, contradictoria. « Que chacun « pense là-dessus comme il lui plaira » (nempè, an sacratissima Virgo verè sit Dei mater, an Filius consubstantialis sit Patri, an Spiritus sanctus ex utroque procedat); « que « chacun pense là-dessus comme il lui plaira, j'ignore en « quoi cela peut intéresser les autres; quant à moi, cela ne « m'intéresse pas du tout. Mais ce qui m'intéresse, moi et « mes semblables, c'est que chacun sache qu'il existe un « arbitre du sort des humains, duquel nous sommes tous « les enfants, qui nous prescrit à tous d'être justes, de nous « aimer les uns les autres, d'être bienfaisants et miséri- « cordieux, de tenir nos engagements avec tout le monde, « même envers nos ennemis et les siens; que l'apparent « bonheur de cette vie n'est rien; qu'il en est une autre « après elle, dans laquelle cet Être suprême sera le rému- « nérateur des bons et le juge des méchants. Ces dogmes « et les dogmes semblables sont ceux qu'il importe d'ensei- « gner à la jeunesse et de persuader à tous les citoyens. » (*Émile,* t. IV, p. 91 et 92.) « Leurs révélations ne font « que dégrader Dieu en lui donnant les passions humaines. « Loin d'éclaircir les notions du grand Être, je vois que « les dogmes particuliers les embrouillent; que, loin de les « ennoblir, ils les avilissent; qu'aux mystères inconcevables « qui l'environnent ils ajoutent des contradictions absurdes; « qu'ils rendent l'homme orgueilleux, intolérant, cruel; « qu'au lieu d'établir la paix sur la terre, ils y portent le « fer et le feu. Je me demande à quoi bon tout cela, sans « savoir me répondre. Je n'y vois que les crimes des hommes « et les misères du genre humain. » (*Émile,* t. III, p. 133.) « Si donc elle (la révélation) ne nous apprenait que des

« choses absurdes et sans raison, si elle ne nous inspirait « que des sentiments d'aversion pour nos semblables et de « frayeur pour nous-mêmes, si elle ne nous peignait qu'un « Dieu colère, jaloux, vengeur, partial, haïssant les hommes, « un Dieu de la guerre et des combats, toujours prêt à dé- « truire et à foudroyer, toujours parlant de tourments, de « peines, et se vantant de punir même les innocents, mon « cœur ne serait point attiré vers ce Dieu terrible ; et je me « garderais de quitter la religion naturelle pour embrasser « celle-là ; car vous voyez bien qu'il faudrait nécessairement « opter. » (*Émile*, t. III, p. 148 et 149.) « A l'égard de « la révélation... si je vois en sa faveur des preuves que « je ne puis combattre, je vois aussi contre elle des objec- « tions que je ne puis résoudre. Il y a tant de raisons so- « lides pour et contre, que, ne sachant à quoi me déter- « miner, je ne l'admets ni ne la rejette. » (*Émile*, t. III, p. 178.) « Négligez donc tous ces dogmes mystérieux qui « ne sont pour nous que des mots sans idées, toutes ces « doctrines bizarres, dont la vaine étude tient lieu de vertus « à ceux qui s'y livrent et sert plutôt à les rendre fous que « bons. » (*Émile*, t. IV, p. 93.) « La raison vous apprend « que le tout est plus grand que sa partie ; mais moi je vous « apprends, de la part de Dieu, que c'est la partie qui est « plus grande que le tout. » (*Émile*, t. III, p. 151.)

* § III. *Ex parte Dei revelantis.* 2° Ex parte Dei revelantis objiciunt increduli revelationem non congruere 1° cum Dei majestate. Deo enim, inquiunt, indignum est quòd curet leges positivas præscribere hominibus ; satis est quòd humanitatem regat legibus generalibus naturalibusque. Non congruere 2° cum Dei sanctitate ; legibus enim positivis augentur numero peccandi occasiones. Hinc et 3° revelationem non congruere cum Dei bonitate, pariterque

eò quòd libertatem nostram strictiori vinculo coerceat. 4° Nec eam congruere cum justitiâ Dei; plurimi enim homines revelationem penitùs ignorant, iniquumque est, quùm omnes homines æquales sint, his denegare beneficium quod aliis conceditur; maximè verò pœnas repetere, tanquàm à sontibus, ab iis qui revelationem audire nullatenùs potuerunt. 5° Tandem revelationem non congruere cum sapientiâ Dei : divinam sapientiam dedecet quòd Deus rationem homini indiderit, simulque jubeat ut rationi valedicatur, quòd religionem positivam revelet, simulque deneget hominibus facultatem dignoscendi quænam tot inter religiones quæ se revelatas jactitant, verè sit à Deo profecta. « Entraîné par les préjugés de l'éducation, et par « ce dangereux amour-propre qui veut toujours porter « l'homme au-dessus de sa sphère, ne pouvant élever mes « faibles conceptions jusqu'au grand Être, je m'efforçai de « le rabaisser jusqu'à moi. » (*Émile*, t. III, p. 135.) « L'obligation de croire en suppose la possibilité... La foi « des enfants et de beaucoup d'hommes est une affaire de « géographie. Seront-ils récompensés d'être nés à Rome « plutôt qu'à la Mecque? » (*Émile*, t. II, p. 350 et 351.) Addit Deo utendum non esse interprete, nec homines ab hominibus edocendos esse quid ipsos Deus agere velit, sed voluntatem suam Deum singulorum cordibus inscribere. (*Émile*, t. III, *passim.*) « Supposons que la majesté di- « vine daigne s'abaisser assez pour rendre un homme l'or- « gane de ses volontés sacrées; est-il raisonnable, est-il « juste d'exiger que tout le genre humain obéisse à la voix « de ce ministre sans le lui faire connaître pour tel? Y a- « t-il de l'équité à ne lui donner pour toutes lettres de « créance que quelques signes particuliers faits devant peu « de gens obscurs, et dont tout le reste des hommes ne

« saura jamais rien que par ouï-dire? » (*Émile*, t. III., p. 144.) « La vérité n'est-elle pas une; et ce qui est vrai « chez moi peut-il être faux chez vous? Si la méthode de « celui qui suit la bonne route et celle de celui qui s'égare « est la même, quel mérite ou quel tort a l'un de plus « que l'autre? Leur choix est l'effet du hasard : le leur « imputer est iniquité, c'est récompenser ou punir, pour « être né dans tel ou tel pays. Oser dire que Dieu nous « juge ainsi, c'est outrager sa justice. » (*Émile*, t. III, p. 138.) « Pourquoi Dieu choisit-il pour attester sa parole « des moyens qui ont eux-mêmes si grand besoin d'at- « testation, comme s'il se jouait de la crédulité des hom- « mes, et qu'il évitât à dessein les vrais moyens de la per- « suader? » (*Émile*, t. III., p. 144.) « Cette obligation « prétendue (de reconnaître la révélation) est incompati- « ble avec la justice de Dieu, et que loin de lever par là « les obstacles au salut, il les eût multipliés, il les eût « rendus insurmontables pour la plus grande partie du « genre humain. » (*Émile*, t. III, p. 178.)

§ IV. *Ex parte hominis cui fit revelatio.* 3° Ex parte hominis cui fit revelatio contendunt increduli hanc rationis humanæ juribus esse adversam : Deus enim, inquiunt, rationem homini non indidit ut jubeat eum hanc abnegare; Deus non habet jus imperandi ut fidei rationem subjiciamus. « Celui qui charge de mystères, de contra- « dictions le culte qu'il me prêche, m'apprend par cela « même à m'en défier. Le Dieu que j'adore n'est point un « Dieu de ténèbres; il ne m'a point doué d'un entendement « pour m'en interdire l'usage; me dire de soumettre ma « raison, c'est outrager son auteur. Le ministre de la vé- « rité ne tyrannise point ma raison, il l'éclaire. » (*Émile*, t. III, p. 150.) « Quiconque les passe (les dogmes qui ont

« rapport à la morale) et veut nous asservir à ses opinions « particulières, vient au même point par une route oppo- « sée; pour établir l'ordre à sa manière, il trouble la paix; « dans son téméraire orgueil, il se rend l'interprète de la « vérité; il exige en son nom les hommages et les respects « des hommes; il se fait Dieu tant qu'il peut à sa place; « on devrait le punir comme sacrilége, quand on ne le pu- « nirait pas comme intolérant. » (*Émile*, t. IV, p. 92 et 93.) « Il avait vu la sublime et primitive idée de la Di- « vinité défigurée par les fantasques imaginations des « hommes; et trouvant que pour croire en Dieu il fallait « renoncer au jugement qu'on avait reçu de lui, il prit « dans le même dédain nos ridicules rêveries et l'objet au- « quel nous les appliquons. » (*Émile*, t. III, p. 7.) « Ils ont « beau me crier : Soumets ta raison! autant m'en peut dire « celui qui me trompe : il me faut des raisons pour sou- « mettre ma raison. » (*Émile*, t. V, p. 139.)

THESIS.

§ V. *Divina revelatio est possibilis, tum ex parte mysteriorum credendorum, tum ex parte Dei revelantis, tum ex parte hominis cui fit revelatio.*

Probatur prima pars. Mysterium est veritas supra rationem posita; atqui possibiles sunt, imò existunt veritates rationi perviæ. Ratio enim finita non potest infinitum comprehendere : atqui, ex unâ parte, ratio humana est finita, ex alterâ verò, Deus et attributa divina sunt infinita. 1° Ratio humana est finita, utpotè creata, utque constat experientiâ quotidianâ; multæ enim veritates, etiam in ordine naturali, nostræ rationis captum transcendunt. 2° Deus econtrà est infinitus, nullos agnoscit limi-

tes, nec ab alio, præter seipsum, potest perfectè cognosci. Ergò, etc.

Probatur secunda pars. Revelatio possibilis est ex parte Dei, modò ipsa non repugnet ejus attributis. Atqui divinis attributis consentanea est, nedùm repugnet divina revelatio. 1° *Scientiæ divinæ*. Deus enim, utpotè scientiâ infinitâ præditus, omnia cognoscit, etiam ea quæ humanæ rationi sunt impervia. 2° *Omnipotentiæ divinæ*. Deus enim in suâ potestate tenet quidquid necessarium est ut homini veritates quas voluerit revelare, notas faciat. 3° *Sapientiæ divinæ*. Quia nobis attributa divina, magnitudinem, bonitatem, justitiam, etc., commendant mysteria; nobisque eorum fides plurimùm inservit ad informandos mores, nedùm inutilis sit eorum cognitio. Ergò, etc.

Probatur tertia pars. Ex parte hominis cui fit, possibilis est divina revelatio. Ideò enim esset illa impossibilis ex parte hominis, quòd adversaretur humanæ rationis juribus. Atqui juribus rationis humanæ non adversatur divina revelatio. Homini enim jus habet imperandi Deus ut sibi loquenti fides adhibeatur, tum quia summus est creaturarum suarum Dominus, tum quia summè verax et sapiens, nihil rationi adversum docere potest hominem. Ergò, etc.

§ VI. *Principia solutionis objectionum.*

Objiciunt Deistæ, præsertimque auctor libri cui titulus : Émile. 1° Mysteria possibilia non sunt; quidquid enim supra rationem positum est, rationi adversatur; mysteria contradictoria includunt; nullam ideam menti exhibent; ipsis opponi possunt objectiones insolubiles : obscura includunt; ergò absurda sunt mysteria.

Resp. Ex thesi constat possibilia esse mysteria, imò et

illa necessariò adesse; ingenium enim humanum, utpotè finitum, non potest omnia intelligere. Ad singula autem objecta suam afferamus responsionem. — Non adversatur rationi quidquid est supra rationem positum; alioquin enim absurda essent quæcumque non intelligimus. Itaque existentia Dei esset absurda, impossibile est enim ut intelligamus quid sit natura æterna et infinita Dei, sicque Deistæ in atheismum ducerentur. Sed nec atheismo stare possunt : non solùm enim impossibile est ut intelligamus quomodò existant entia contingentia absque causâ creatrice, sed et illud est absurdum. Sed, negato Deo, non impari jure negatur quidquid homines certum habere solent, sicque Deista qui sibi ipsi concors esse vellet, in scepticismum et annihilationem humanæ rationis prolaberetur. Et verò quot sunt, etiam in ordine physico, admittendæ veritates quas intelligere nullus valet! Ipsa mentis humanæ natura nos fugit. Hanc cogitare, velle, sentire, in corpora agere, simplicem esse cognoscimus; sed quid sit natura simplex, quomodò hæc agere possit in corpora quæ composita sunt; quomodò suas facultates exerat; qui possit, verbi gratiâ, fieri ut facta præterita ope memoriæ; facta verò exteriora ope sensuum percipiat, non possumus intelligere. Quid autem dicam de rebus quæ extra mentem existunt, si vel illarum facultatum naturam ignoramus, quarum exercitii intimè conscii sumus? Quomodò humani corporis substantiæ assimilantur alimenta? Quomodò tritici granum humo mandatum, putrescit primùm deindèque centesimâ fruge fenus reddit? Quæ causa omnibus corporibus insita, hæc ad se mutuò tendere cogit? Dictis non daretur finis, si omnia quæ in ordine physico mysteria deprehenduntur, referre vellem. Quis verò dixerit hæc esse absurda, eò quòd mens nostra ea non va-

leat intelligere? Nùm ingenium humanum, tàm arctis limitibus circumscriptum, ità erit omnis veritatis mensura ut absurdum sit quidquid mens non intelligit? — Mysteria non includunt contradictoria, non idem affirmant et negant, ut ostendunt theologi, de singulis speciatìm dicendo. — Falsum est mysteria nullam menti nostræ exhibere ideam. Non quidem completam perfectamque mysteriorum ideam habemus; alioquin enim ipsa intelligeremus: sed illa imperfectè saltem novimus. Nùm verò absurda sunt quæ imperfectè novimus? Si res ità se haberet, absurdæ essent omnes cognitiones nostræ, vix enim aliquam rem perfectè noscere valemus. Sed, etsi non nisi imperfectè cognoscamus quid sint tres supremo cultu venerandæ sanctissimæ Trinitatis Personæ, nonne clarè distinctèque ex revelatione divinâ cognoscimus Patrem creasse nos, Filium redemisse, Spiritum sanctum caritatem in viscera nostra diffundere? Nonne satis multa de Incarnatione, Redemptione, sacrosanctâ Eucharistiâ cognoscimus, ut intelligamus nos æternâ grati animi memoriâ optimo Deo perpetuas laudes, acceptisque beneficiis infinitè semper, quidquid egerimus, impares, à nobis esse persolvendas? Ergò falsum est mysteria nullam menti exhibere ideam. — Non fiunt adversùs mysteria objectiones quæ nullo modo solvi queant. Verè quidem objectiones contra mysteria fiunt, quæ solvi nequeunt directè, sed omnes saltem indirectè solvuntur. Objectio solvitur directè, quandò ostenditur, intrinsecas proprietates alicujus rei penitùs inspiciendo, ipsas non esse sibi contradictorias; indirectè verò, quandò extrinsecis rationibus probatur proprietates alicujus rei non esse sibi intrinsecè oppositas, vel ipsam objectionem non sibi cohærere. Itaque fatemur objectiones quæ adversùs mysteria opponuntur, non posse directè solvi; ut

enim intrinsecis argumentis demonstraretur mysteria non includere contradictoria, ipsa intelligenda essent. Sed indirectè solvuntur objecta, ostendendo mysteriorum fidem rationibus evidenter certis inniti, et demonstrando insuper incredulorum argumenta non sibi cohærere. — Mysteria obscura includere fatemur; sed non ideò neganda sunt; patet enim non neganda esse clara propter obscura quædam, alioquin nihil certi admittendum esset. Sed perspicuum est mysteria quæ christiana docet religio fuisse divinitùs revelata, et proindè clara esse argumenta quibus nititur nostra fides.

Objiciunt 2°. Mysteriorum revelatio nec utilis est, nec Deum decet; impossibilis est igitur revelatio, ex parte Dei. Quid enim juvant omnia hæc dogmata quæ mens nequit intelligere? Unum duntaxat nos scire interest, quod nempè rectiùs vivere nos edocet. Lex verò naturalis cordibus nostris insita ad mores informandos planè sufficit. Præthereà, sub mysteriorum nomine, insulsis documentis deturpatur sublimis primitivaque Dei idea.

R. ad singula. Mysteria inutilia non sunt. Nos enim edocent quæ sit natura entis divini quam ingenii nostri meditationibus nunquàm possemus assequi. Nobis insuper manifestant stupenda divinæ erga nos munificentiæ beneficia; quæ sit Deum inter et hominem arctissima societas; quæ omnia ediscere profectò inutile non est. — Non ergò satis est ut ea tantùm edoceamur quæ agendi rationem nostram informare possunt. Sed, etsi nos ea tantùm scire interesset quæ ad rectè vivendum prosunt, adhùc utilem admodùm nobis opem afferret mysteriorum revelatio. Quò magìs enim non inter Deumque et cæteros homines arctam interesse societatem noverimus, eò rectiora majoraque et digniora de Deo, de cæteris hominibus de nobisque ipsis

sentiemus, accendemurque ad omnia officia magis sedulò implenda, tum erga Deum, tum erga homines, tum erga nosmetipsos. — Lex naturalis, etsi nos præcipua officia edoceat, solis tamen non valet documentis homines à malo avertere. Testatur enim experientia mentem humanam densissimis obsitam esse tenebris quæ rationis lumen obscurant, hominem prætereà ità esse in malum proclivem ut ratio sola non valeat refrenare cupiditates indomitas. Quot enim erroribus imbuuntur gentes quibus divinæ revelationis lumen non illuxit; quot adversùs sanctissima legis naturalis officia præcipiunt paganorum populorum cultus et religio et ipsa philosophorum legislatorumque celeberrimorum documenta. — Mysteriis demùm non deturpatur supremi numinis idea, ut ex dictis satis liquet.

Objiciunt tertiò. Revelatio rationis humanæ juribus adversatur. Humanum intellectum inhonesto, intolerabili, injustoque opprimit imperio quicumque ipsum mysteriis fidem adhibere jubet. Deus hominem intelligentiâ præditum esse non voluit ut ipsum dogmata intellectui impervia, cæcorum modo, accipere imperaret. Supremum Dei dominium retrahere non valet quæ munificentia ejus in nos beneficia contulit; inter se opposita esse divina attributa nequeunt.

Resp. Deus profectò jus habet imperandi ut sibi loquenti fidem homo adhibeat; non igitur inhonesto, intolerabili injustoque jugo illum premit, quùm ipsi mysteria credenda proponit. — Deus non jubet hominem accipere dogmata humano intellectui impervia, nisi pateat illa ipsius Dei testimonio esse comprobata. Rationi humanæ permittit, imò imperat Deus ut fidei argumenta perpendat antequàm documentis obsequatur. Sed postquàm certum evasit à Deo factam fuisse mysterii alicujus revelationem, jubet Deus

sibi eam concedi fidem quæ viro prudenti non denegaretur. — Nulla oppositio adest inter hanc Dei agendirationem et supremam ejus munificentiam quâ voluit hominem intelligentiâ esse præditum. Intelligentia enim et ratio ipsæ Deum esse idoneum veritatis testem docent suadentque, nedùm ipsis contradicat fides quam mysteriis revelatis adhibendam esse Deus imperat.

NUMERUS III.

DE UTILITATE REVELATIONIS.

* § I. Prima opinio. — * § II. Secunda opinio. — * § III Tertia opinio. — * § IV. Quarta opinio. — * § V. E. J. J. Russæo excerpta. — * § VI. Thesis. — * § VII. Fusior probatio hujus theseos. — * § VIII. Solutio objectionum.

* § I. *Prima opinio*. Quatuor numerantur opiniones de utilitate revelationis. Nempè 1° alii docent revelationem necessariam esse, non modò ut cognoscantur veritates quæ rationis humanæ captum superant; sed etiam iidem existimant revelationem necessariam fuisse ut detegerentur ipsa dogmata et præcepta e quibus coalescit religio quam vulgò naturalem vocant et ut eorum habeatur certitudo.

* Porrò hanc opinionem tenuerunt dominus de Lamennais et olim dominus Bautain eorumque discipuli, eò quòd uterque negaret, licèt ex principiis diversis, rationem humanam valere ullam veritatem propriis viribus certò agnoscere.

* Quùm, juxta eos, ratio nec veritatem detegere, nec ullam certitudinem e naturali lumine accipere possit, sequitur homini necessariam fuisse revelationem, tum ut dogmata et præcepta quæ maximè obvia videntur, detegeret, tum ut illorum certitudinem haberet. Quùm verò

in hâc opinione revelata sint quæcumque ad religionem spectant, sequitur vanam esse distinctionem quam vulgò afferunt philosophi theologique naturalem inter religionem et revelatam, sed unicam duntaxat admittendam esse, nempè revelatam.

* § II. *Secunda opinio.* Plures quoque philosophi et theologi existimant etiam dogmata atque præcepta quæ religionem naturalem constituunt, à Deo revelanda revelataque fuisse, licèt ipsi, præter religionem revelatam, naturalem simul admittant. Scilicet, juxta eos, ratio humana certitudinem de multis veritatibus assequi valet, multasque veritates semel cognitas argumentis naturalibus comprobare, quamvis eas non potuisset propriis viribus detegere. Nam veritatem inauditam adinvenire perdifficile, imò et forsan impossibile est; faciliùs verò veritatis semel detectæ evidentiam agnoscit ratio humana, modò veritas illa inter mysteria revelata quæ lumen naturale omni ex parte superant, annumeranda non sit. Duæ igitur agnoscendæ sunt species veritatum quæ religionem spectant, nempè veritates quæ captum humanæ rationis ità transcendunt ut nec eas detegere, nec eas intelligere valeat intellectus humanus, et veritates quarum evidentiam contueri et argumentis philosophicis demonstrare valet ratio humana, licèt eas, si sibi derelicta fuisset, nunquàm fortè detegere valuisset. Complexio veritatum posterioris generis constituit religionem naturalem.

* § III. *Tertia opinio.* Hæc eorum est qui existimant rationem humanam posse propriis viribus non solùm intelligere et demonstrare dogmata et præcepta quæ complectitur religio naturalis, sed et illa detegere, rectè utendo lumine sibi proprio. At iidem docent summoperè utilem esse homini revelationem, quippè quæ religionem natu-

ralem confirmat perficitque, tum certiora efficiendo dogmata præceptaque naturalia, tum ipsis adjungendo supernaturalia quibus ad finem longè excellentiorum homo perducitur. Patet hanc opinionem catholico sensui non esse adversam, itemque in eâ admitti distinctionem inter religionem naturalem et revelatam.

* § IV. *Quarta opinio.* Ultima demùm opinio Deistarum est. Isti docent admittendam non esse revelationem, sed religionem naturalem tantùm. Reverà, inquiunt, ratio sola valet nos edocere quæcumque dogmata et præcepta homini utilia. Nos enim hæc edocet quid erga Deum, quid erga cæteros homines nosque ipsos implendi nobis sit officii. Præter dogmata et præcepta quæ ad informandos mores inserviunt, nihil ampliùs utile est : cæterum quid juvant dogmata quæ intelligi nequeunt, imò quæ absurda atque contradictoria sunt? Prætereà clara est omnibusque obvia regula morum e solâ ratione ducta, dùm verò plurimis ignota est revelatio, nec inter tot cultus qui se revelatos jactitant, tutò certòque dignosci potest cui sit fides habenda. Subjungunt demùm multos inveniri viros probos qui mores informant ex solis præceptis quæ lumine naturali agnoscuntur, dùm econtrà plurimi sunt religionis revelatæ sectatores qui se omnibus flagitiis sceleribusque commaculant.

* § V. *E. J. J. Russæo excerpta.* Hic referre juvat quædam e J. J. Russæo excerpta ; operæ enim pretium erit cognoscere quænam objiciat contra revelationem iste auctor qui majus forsan quàm cæteri, ob dicendi artem et peritiam, cultui divino detrimentum intulit.

* « Vous ne voyez dans mon exposé que la religion na-
« turelle : il est bien étrange qu'il en faille une autre ! Par
« où connaîtrai-je cette nécessité? De quoi puis-je être
« coupable en servant Dieu selon les lumières qu'il donne

« à mon esprit, et selon les sentiments qu'il inspire à mon « cœur? Quelle pureté de morale, quel dogme utile à « l'homme et honorable à son auteur puis-je tirer d'une « doctrine positive que je ne puisse tirer sans elle du bon « usage de mes facultés? Montrez-moi ce qu'on peut « ajouter pour la gloire de Dieu, pour le bien de la société « et pour mon propre avantage aux devoirs de la loi na- « turelle, et quelle vertu vous ferez naître d'un nouveau « culte qui ne soit pas une conséquence du mien? Les « plus grandes idées de la Divinité nous viennent par la « raison seule. Voyez le spectacle de la nature; écoutez la « voix intérieure. Dieu n'a-t-il pas tout dit à nos yeux, à « notre conscience, à notre jugement? Qu'est-ce que les « hommes nous diront de plus? Leurs révélations ne font « que dégrader Dieu, etc. » (*Émile*, t. III, p. 132 et 133.) « Il en est un seul (livre) ouvert à tous les yeux, c'est « celui de la nature. C'est dans ce grand et sublime livre « que j'apprends à servir et à adorer son divin auteur. Nul « n'est excusable de n'y pas lire, parce qu'il parle à tous « les hommes une langue intelligible à tous les esprits. « Quand je serais né dans une île déserte, quand je n'au- « rais pas vu d'autre homme que moi, que je n'aurais ja- « mais appris ce qui s'est fait anciennement dans un coin « du monde; si j'exerce ma raison, si je la cultive, si j'use « bien des facultés immédiates que Dieu me donne, j'ap- « prendrai de moi-même à le connaître, à l'aimer, à aimer « ses œuvres, à vouloir le bien qu'il veut, et à remplir, « pour lui plaire, tous mes devoirs sur la terre. Qu'est-ce « que tout le savoir des hommes m'apprendra de plus? « A l'égard de la révélation, si j'étais meilleur raisonneur « ou mieux instruit, peut-être sentirais-je sa vérité, son « utilité pour ceux qui ont le bonheur de la reconnaître. »

(*Émile*, t. III, p. 177.) « Je sers Dieu dans la simplicité « de mon cœur; je ne cherche à savoir que ce qui importe « à ma conduite. Quant aux dogmes qui n'influent ni sur « les actions, ni sur la morale, et dont tant de gens se tour- « mentent, je ne m'en mets nullement en peine. » (*Émile*, t. III, p. 184.)

Nunc verò statuenda nobis est revelationis positivæ utilitas.

THESIS.

§ VI. ***Revelatio positiva generi humano perutilis, imò et necessaria fuit, non solùm quoad dogmata et præcepta supernaturalia, sed etiam quoad dogmata et præcepta religionis naturalis : non tamen eo sensu quòd ratio humana nullam omninò veritatem certam assequi valeat.***

Probatur. Licèt enim ratio valeat assequi aliquas veritates, ut constat e dictis in Logicâ, revelatio tamen ipsi est necessaria, 1° quoad dogmata et præcepta supernaturalia; quamvis enim illorum cognitio perutilis sit homini, hæc tamen detegere nequit, quùm ipsa sint supra rationem posita. 2° Quoad præcepta religionis naturalis, quæ pariter detegere non potuisset ratio humana sibi derelicta, nec semel agnita conservare, ut constat experientiâ veterum philosophorum. Non solùm enim nullus ex iis in errores plurimos non impegit; sed etiam vix possibile est ut aliquis inveniatur, quantumvis ingenio præstans, qui valeat totam religionem naturalem solo rationis adhibito lumine agnoscere. Religio enim naturalis constituit totum quoddam dogmatum et præceptorum systema cujus partem aliam alii, alii aliam philosophi docent, nullus verò unquàm exstitit qui completum illud systema proferret, nisi revelationis ope adjutus. Ergò, etc.

* § VII. *Fusior probatio ejusdem theseos.*

* Et verò tres sunt in thesi nostrâ partes quibus validiùs comprobandis insistendum est.

* *Probatur prima pars, nempè revelationem positivam perutilem, imò et necessariam fuisse quoad dogmata præceptaque supernaturalia.* Profectò, quùm veritates supernaturales revelatione positivâ tantùm innotescere possint, perutilis et necessaria est homini revelatio positiva, modò ipsi utilia sint dogmata et præcepta supernaturalia : atqui hæc sunt homini valdè utilia. Illud enim homini perutile est, quod illum edocet quis sit finis ad quem destinatus est, quibus prodigiis, quantâ benignitate Deus usus sit ut illum ad eum finem à quo culpâ suâ desciverat, rursùs ordinaret, quibus viis finem suum assequi debeat : atqui hæc omnia præstant dogmata præceptaque revelata; docent enim nos ad felicitatem supernaturalem esse destinatos, lapsos protoparentis culpâ à Christo redemptos restitutosque in pristino gradu fuisse, sacramenta totidem esse gratiæ fontes, ipsorum virtute adjuvari infirmitatem nostram ad virtutes sectandas, docent insuper quæ sint morum præcepta, quis sit cultus Deo persolvendus, aliaque plurima : atqui hæc omnia cognoscere sanè perutile est homini; ergò, etc.

* *Probatur secunda pars, nempè revelationem divinam perutilem fuisse etiam quod dogmata et præcepta religionis naturalis.* Res ità est, modò ratio sibi derelicta non possit detegere omnia dogmata et præcepta religionis naturalis consequentiasque à primis principiis morum remotas, et efformare completum religionis systema; modò insuper ratio religionem naturalem semel adinventam puram intactamque servare nequeat; modò prætereà ipsa sola non valeat restituere religionem naturalem oblitam

cultumque Dei libidinibus et erroribus deformatum; modò demùm etiamsi ratio hæc omnia præstare posset, adhùc inserviat revelatio ad confirmanda dogmata præceptaque naturalia eaque tuenda adversùs errores et cupiditates. Atqui hæc omnia certa sunt, et evidentiâ primùm, deindè ipsorum philosophorum confessione, denique et præsertìm experientiâ comprobantur.

* 1° *Quidem hæc omnia evidentiâ probantur.* Reverà, licèt concederetur rationem humanam valere singula dogmata et præcepta naturalia detegere, si ejus lumine rectè uterentur homines, nonne patet idem dicendum non esse de toto systemate religionis completo, maximè quùm tot tenebris cupiditatibusque obscuretur humanus intellectus? Numquid ratio sola poterit erroribus cupiditatibusque obsistere, intactamque servare religionem? Quænam auctoritas invocanda erit ut controversiis finis imponatur injiciaturque frenum cupiditatibus hominum? Quis tanto ingenio præstabit ut valeat religionem naturalem erroribus et cupiditatibus deformatam in pristinam integritatem restituere? Nonne perutile est rationi humanæ titubanti uti adminiculo revelationis ut confirmentur dogmata et præcepta naturalia? Nonne demùm admodùm utile fuit ut revelatio statìm et ab exordio doceret hominem quis sit, undè sit, ad quem finem et quâ viâ ad eum tendere debeat; non enim statìm perficitur completum religionis systema, multùm ad id temporis necesse fuisset, intereàque caruissent homines notione finis sui et viæ quâ ad eum tendere debuissent. Ergò, etc.

* Et verò si ratio sola sufficeret ut homo omnia officia cognosceret, si revelatio prorsùs inutilis est homini, pariter inutilia sunt parentum, magistrorum, legislatorum institutiones et præscripta : atqui falsum posterius ergò

et prius. Si revelatio prorsùs inutilis est, cur ergò omnes legislatores revelationem invocant sæpèque se divino flatu inspiratos fingunt?

* 2° ***Probatur etiam revelationis utilitas ipsorum philosophorum confessione.*** Constat enim, teste Cicerone (*Quæstionum academicarum* (lib. I, cap. XII.), omnes penè veteres ignorantiam suam agnovisse confessosque fuisse. Idem (*ibid.*, lib. IV, cap. III.) ait : « Omnis cognitio multis est obstructa difficultatibus, eaque inest « et in ipsis rebus obscuritas, et in justitiis nostris infirmitas, ut non sine causâ, et doctissimi et antiquissimi « invenire se posse quod cuperent diffisi sunt. » Nôrunt omnes solitum fuisse Socratem profiteri se unum scire, quòd nihil sciret. Idem Socrates dicebat sperandum non esse ad saniorem agendi modum reducendos esse homines, nisi mitteretur à numine qui eos rectiorem instituendam vivendi rationem edoceret. (*Plat. Apol. Socrat.*) His consona docebat Plato : ipse namque loquens de religione Deorumque cultu, ait non posse intellectum humanum quidquam certi noscere de rebus tàm arduis. (*Plato, in Epinom.*) Declarat idem Plato nihil satius esse quàm exspectare quieto animo donec mittatur qui edoceat homines quomodò ipsi tum erga Deum tum erga homines gerere se debeant. (*Plato, in Alcibiade*, lib. II.) Aiebat Melissus Samius nihil de Diis affirmandum esse, eò quòd illos non cognoscamus. (*Diogen. Laërt.*, lib. IX, § 24.) Rationis humanæ inscitiam confitentur pariter Platonici recentiores. Docet Plutarchus, de Isi et Osiri disserens, rogandos esse Deos ut sui cognitionem ingerant, hancque esse maximum eorum donum. Jamblicus docet agenda esse quæ numini placent, sed vix cognosci posse quid Deos juvet, nisi ipsi voluntatis suæ placitum edoceant

homines, aut aliquem mittant à quo edoceantur, aut demùm ipsimet hanc cognitionem intellectui infundant aliquâ supernaturali viâ. (*Jamblic., in vitâ Pythagoræ*, cap. XXVIII.) Agnoscebant pariter Porphyrius, Hierocles, Proclus, aliique ejusdem scholæ philosophi, revelationis alicujus necessitatem, indèque docebant theurgicis artibus à Diis quærendam esse mentis illustrationem. Ipsi Stoici, quamvis sapienti dubium inesse negarent, attamen et ipsi nonnunquàm intellectûs humani debilitatem confiteri coguntur. Sic ex Marco Antonino : « Assen« sus noster est labilis et mutabilis. » (*Marc. Anton.*, lib. V, § 10; *translat. à Gatuker.*)

* Plurima veterum prætermittimus, ut inter recentiores audiamus infensissimum religionis revelatæ adversarium, J. J. Russæum. Hic, quamvis nimius rationis humanæ laudator, et ipse ejus infirmitatem non confiteri nequit. « Trop souvent la raison nous trompe, nous n'a« vons que trop acquis le droit de la récuser. » (*Émile*, t. III, p. 98.) « Jamais le jargon de la métaphysique n'a « fait découvrir une seule vérité. » (*Émile*, t. III, p. 51.) « Je méditais donc sur le triste sort des mortels flottant « sur cette mer des opinions humaines, sans gouvernail, « sans boussole, et livrés à leurs passions orageuses, sans « autre guide qu'un pilote inexpérimenté qui méconnaît « sa route, et qui ne sait d'où il vient, ni où il va. » (*Émile*, t. III, p. 25 et 26.) « Je conçus que l'insuffisance « de l'esprit humain est la première cause de cette prodi« gieuse diversité de sentiments (parmi les philosophes). » (*Émile*, t. III, p. 28.) « Nous nous ignorons nous-mêmes ; « nous ne connaissons ni notre nature, ni notre principe « actif; à peine savons-nous si l'homme est un être simple « ou composé ; des mystères impénétrables nous environ-

« nent de toutes parts; ils sont au-dessus de la région « sensible; pour les percer nous croyons avoir de l'intelli- « gence, et nous n'avons que de l'imagination. Chacun se « fraye à travers ce monde imaginaire une route qu'il « croit la bonne; nul ne peut savoir si la sienne mène au « but. » (*Émile*, t. III, p. 28 et 29.)

* « Je compris encore que, loin de me délivrer de mes « doutes inutiles, les philosophes ne feraient que multi- « plier ceux qui me tourmentaient et n'en résoudraient « aucun. » (*Émile*, t. III, p. 31.) « J'ai fait ce que j'ai « pu pour atteindre la vérité; mais sa source est trop « élevée : quand les forces me manquent pour aller plus « loin, de quoi puis-je être coupable? C'est à elle à s'ap- « procher. » (*Émile*, t. III, p. 128.) « Je vous dis plu- « tôt mes doutes que mes avis... Ne donnez à mes discours « que l'autorité de la raison; j'ignore si je suis dans « l'erreur. » (*Émile*, t. III, p. 131.) Nunc verò idem auctor confitetur intellectum humanum vix aliquid de Deo certi cognoscere posse, mirumque sanè videri debet quòd posteà totus si ut exhibeat rationem tanquàm unicam religionis et dogmatum regulam. « L'être incompré- « hensible qui embrasse tout, qui donne le mouvement « au monde, et forme tout le système des êtres, n'est ni « visible à nos yeux, ni palpable à nos sens. L'ouvrage « se montre, mais l'ouvrier se cache. Ce n'est pas une « petite affaire de connaître enfin qu'il existe, et quand « nous sommes parvenus là, quand nous nous deman- « dons quel est-il? où est-il? notre esprit se confond, « s'égare, et nous ne savons plus que penser. » (*Émile*, « t. II, p. 341.) « Les idées de création, d'annihilation, « d'ubiquité, d'éternité, de toute-puissance, celle des « attributs divins, toutes ces idées qu'il appartient à si

« peu d'hommes de voir aussi confuses et aussi obscures « qu'elles le sont, et qui n'ont rien d'obscur pour le peu- « ple, parce qu'il n'y comprend rien du tout, comment « se présenteront-elles dans toute leur force, c'est-à-dire « dans toute leur obscurité, à de jeunes esprits encore « occupés aux premières opérations des sens, et qui ne « conçoivent que ce qu'ils touchent? » (*Émile*, t. II, p. 346 et 347.) Sed nonne de majori hominum parte dicendum est quod hic de adolescentibus docet Russæus? « L'ordre de l'univers, tout admirable qu'il est, ne « frappe pas également tous les yeux. Le peuple y fait « peu d'attention, manquant des connaissances qui ren- « dent cet ordre sensible, et n'ayant point appris à « réfléchir sur ce qu'il aperçoit. Ce n'est ni endurcisse- « ment ni mauvaise volonté; c'est ignorance, engourdis- « sement d'esprit. La moindre méditation fatigue ces gens- « là, comme le moindre travail des bras fatigue les gens « de cabinet. Ils ont ouï parler des œuvres de Dieu et « des merveilles de la nature. Il répètent les mêmes mots, « sans y joindre les mêmes idées, et ils sont peu tou- « chés de tout ce qui peut élever le sage à son Créateur. « Or, si parmi nous le peuple, à portée de tant d'instruc- « tions, est encore si stupide, que seront ces pauvre gens « abandonnés à eux-mêmes dès leur enfance, et qui n'ont « jamais rien appris d'autrui? Croyez-vous qu'un Cafre « ou un Lapon philosophe beaucoup sur la marche du « monde et sur la génération des choses! » (*Lettre.*) « Plus je m'efforce de contempler son essence infinie « (de Dieu), moins je la conçois. » (*Émile*, t. III, p. 96.) « Sitôt que je veux le contempler en lui-même, « sitôt que je veux chercher où il est, ce qu'il est, quelle « est sa substance, il m'échappe, et mon esprit troublé

« n'aperçoit plus rien. » (*Émile*, t. III, p. 63.) « S'il a « créé la matière, les corps, les esprits, le monde, je « n'en sais rien. » (*Émile*, t. III, p. 93.) « Ce même « monde est-il éternel ou créé? y a-t-il un principe uni-« que des choses? y en a-t-il deux ou plusieurs, et quelle « est leur nature? Je n'en sais rien. » (*Émile*, t. III, « p. 61.) Je les affirme sans les comprendre (les attributs « de Dieu); et dans le fond, c'est n'affirmer rien. » (*Émile*, t. III, p. 96.) Dubia sunt pariter quæ mores et futuram animæ humanæ destinationem spectant. « On a beau « vouloir établir la vertu par la raison seule, quelle solide « base peut-on lui donner? » (*Émile*, t. III, p. 118.) « Philosophe, tes lois morales sont fort belles; mais « montre-m'en de grâce la sanction. » (*Émile*, t. III, p. 202, *note*.) « Pourquoi mon âme est-elle soumise à « mes sens et enchaînée à ce corps qui l'asservit et la « gêne? Je n'en sais rien. » (*Émile*, t. III, p. 121.) « L'âme est-elle immortelle par sa nature? Mon enten-« dement borné ne conçoit rien sans bornes; tout ce qu'on « appelle infini m'échappe. Que puis-je nier, affirmer? » (*Émile*, t. III, p. 86.) « Ne me demandez point, ô « mon bon ami! s'il y aura d'autres sources de bonheur « et de peines (que le contentement de soi-même et le « regret de s'être avili), je l'ignore. » (*Émile*, t. III, p. 88.) « Ne me demandez pas non plus si les tourments « des méchants seront éternels; je l'ignore encore. » *Émile*, t. III, p. 90.)

* 3° *Denique revelationis utilitas experientiâ comprobatur*. Reverà si testimonium historiæ adhibeamus, hæc manifesta erunt, scilicet 1° apud veteres, ethnicas gentes, revelationis auxilio destitutas, adeò densis fuisse tenebris obcæcatas, ut vix credere possimus quot et quantis erro-

ribus deceptæ fuerint de rebus quæ hominem non nescire in primis interest, nempè numinis naturam et cultum, animæ humanæ naturam et destinationem, demùmque morum præcepta. Omnes falsis itemque flagitiosissimis numinibus cultum impendebant, ipsorumque exemplis ad vitia omnia incitabantur, nedùm ab iis deterrerentur; quinimò plurima crimina à quibus recta natura abhorret, in partem veniebant ipsiusmet cultûs quo veneranda erant scelestissima ista ethnicorum numina.

* 2° Nec plebeculæ soli tribuenda sunt tot opinionum à vero et à recto absonarum monstra; sed ipsi viri ingenio licèt præstantissimi vulgi superstitionibus non vacabant. Fieri quidem potuit ut quibusdam perspecta foret polytheismi inanitas; at nullus inter eos deprehenditur qui assurgere potuerit ad completum quoddam religionis systema. Econtrà, inter plurima quæ sapientissimè dicta miramur, inveniuntur et non minora numero adeò naturali rectitudini adversantia, ut pari stupore mentis tàm eximiorum ingeniorum ignorantiam et imbecillitatem defleamus.

* 3° Nec dici potest fatendum quidem esse nullum philosophum completum quoddam religionis naturalis systema tradidisse; sed singulos partem aliquam detexisse, adeò ut omnium philosophorum doctrina contineat quidquid homini de Deo, de mente humanâ, de præceptis morum cognoscendum est. Nam constat econtrà doctrinæ philosophicæ deesse unitatem, universalitatem, constantiam sanctitatemque, minùsque religio naturalis cognosci potest componendo quæcumque de eâ scripserunt omnes philosophi, quàm singulos interrogando, ob perpetuam sententiarum oppositionem quæ apud eos viget.

* 4° Etiamsi philosophi perspectam habuissent poly-

theismi inanitatem, attamen nihil ex eorum rectiori opinione vulgus accepisset utilitatis. Adeò enim obcæcata erat mens hominum, ut eos unquàm sanari posse desperaverint philosophi. Hinc eos audivimus invocantes ipsius numinis aut alicujus ab eo missi hominis auxilium. Ipsi non audebant de Deo apertè loqui duplicemque doctrinam habebant, alteram esotericam quam discipulis tradebant secretò, alteram exotericam quam publicè tenebant. Docebant cuique cultum gentis suæ servandum esse, et ipsi eumdem cultum persolvebant numinibus quæ falsa esse agnoverant. Sic Socrates accusatus quòd patrium cultum negligeret, moriens Æsculapio gallum immolari jussit.

* 5° Non solùm philosophi satis magnâ animi fortitudine satisque ardenti veritatis amore præditi non erant, ut cum proprio incommodo illam prædicarent atque tuerentur : sed etiamsi religionem naturalem restaurare tentassent, auctoritate caruissent tum ut fidem dogmatibus suis fecissent; hujus enim philosophi major non est auctoritas quàm istius : tum ut immutarent cultum publicis institutionibus, veteri consuetudine, hominum vitiis cupiditatibusque comprobatum et confirmatum. Quot laboribus, quantâ animi fortitudine et constantiâ, quàm præclaris virtutis divinæ miraculis opus habuerunt Apostoli ut homines ab errore vitiisque averterent?

* 6° Nostris temporibus, nonne iidem errores, eadem flagitia vigent apud gentes quæ revelationem non acceperunt?

* 7° De philosophis recentioribus idem dicendum est ac de veteribus. Licèt enim nostri, lucente Evangelio, multa didicerint ex revelatione, attamen inter eos qui solam rationem magistram sequi volunt, nullus est cujus scripta perfectum religionis systema tradant.

* 8° Doctrina pariter philosophica coalescens ex omnibus philosophorum recentiorum opinionibus expers invenitur unitatis, universalitatis, constantiæ sanctitatisque, non secùs ac veterum scholarum doctrina, adeò ut nec ipsam liceat exhibere tanquàm religionis naturalis dogmatum et præceptorum codicem.

* Atqui ex his omnibus facilè patet rationem humanam sibi derelictam imparem esse religioni constituendæ, conservandæ et restaurandæ; ergò 2° ex experientiâ, etc.

* Et verò de hoc audire juvat Bossuetium : « Les nations les plus éclairées et les plus sages, les Chaldéens, les Égyptiens, les Phéniciens, les Grecs, les Romains, étaient les plus ignorants et les plus aveugles sur la religion; tant il est vrai qu'il faut y être élevé par grâce particulière et par sagesse plus qu'humaine. Qui oserait raconter les cérémonies des dieux immortels et leurs mystères impurs? Leurs amours, leurs cruautés, leurs jalousies et tous les autres excès étaient le sujet de leurs fêtes, et de leurs sacrifices, des hymnes qu'on leur chantait, et des peintures que l'on consacrait dans leurs temples. Ainsi le crime était adoré et reconnu nécessaire au culte des dieux. Le plus grave des philosophes défend de boire avec excès, si ce n'était dans les fêtes de Bacchus, et à l'honneur de ce dieu. Un autre, après avoir sévèrement blâmé toutes les images malhonnêtes, en excepte celle des dieux qui voulaient être honorés par ces infamies. On ne peut lire sans étonnement les honneurs qu'il fallait rendre à Vénus, les prostitutions qui étaient établies pour l'adorer. La Grèce, toute polie et toute sage qu'elle était, avait reçu ces mystères abominables. Dans les affaires pressantes, les particuliers et les républiques vouaient à

« Vénus des courtisanes, et la Grèce ne rougissait pas « d'attribuer son salut aux prières qu'elles faisaient à leur « déesse. Après la défaite de Xerxès et de ses formi- « dables armées, on mit dans le temple un tableau où « étaient représentés leurs vœux et leurs processions « avec cette inscription de Simonide, poëte fameux : Cel- « les-ci ont prié la déesse Vénus, qui pour l'amour d'elles « a sauvé la Grèce.

* « S'il fallait adorer l'amour, ce devait être du moins « l'amour honnête; mais il n'en était pas ainsi. Solon, « qui le pourrait croire, et qui attendrait d'un si grand « nom une si grande infamie? Solon, dis-je, établit à « Athènes le temple de Vénus la prostituée, ou de l'amour « impudique. Toute la Grèce était pleine de temples con- « sacrés à ce dieu, et l'amour conjugal n'en avait pas un « dans tout le pays.

* « Cependant ils détestaient l'adultère dans les hom- « mes et dans les femmes : la société conjugale était « sacrée parmi eux. Mais quand ils s'appliquaient à la « religion, ils paraissaient comme possédés par un es- « prit étranger, et leur lumière naturelle les abandon- « nait.

* « La gravité romaine n'a pas traité la religion plus « sérieusement, puisqu'elle consacrait à l'honneur des « dieux les impuretés du théâtre et les sanglants spec- « tacles des gladiateurs, c'est-à-dire, tout ce qu'on pou- « vait imaginer de plus corrompu et de plus barbare.

* « Mais je ne sais si les folies ridicules que l'on mê- « lait dans la religion n'étaient pas encore plus perni- « cieuses, puisqu'elles lui attiraient tant de mépris. Pou- « vait-on garder le respect qui est dû aux choses divines « au milieu des impertinences que contenaient les fables

« dont la représentation ou le souvenir faisait une si « grande partie du culte divin? Tout le service public « n'était qu'une continuelle profanation, ou plutôt une « dérision du nom de Dieu; et il fallait bien qu'il y eût « quelque puissance ennemie de ce nom sacré, qui, ayant « entrepris de le ravilir, poussât les hommes à l'employer « dans des choses si méprisables et même à le prodiguer « à des sujets si indignes.

* « Il est vrai que les philosophes avaient à la fin re- « connu qu'il y avait un autre Dieu que ceux que le vul- « gaire adorait; mais ils n'osaient l'avouer. Au contraire, « Socrate donnait pour maxime qu'il fallait que chacun « suivît la religion de son pays. Platon, son disciple, « qui voyait la Grèce et tous les pays du monde remplis « d'un culte insensé et scandaleux, ne laisse pas de poser « comme un fondement de sa république, qu'il ne faut « jamais rien changer dans la religion établie, et que « c'est avoir perdu le sens que d'y penser. Des philoso- « phes si graves, et qui ont dit de si belles choses sur la « nature divine, n'ont osé s'opposer à l'erreur publique, « et ont désespéré de la pouvoir vaincre. Quand Socrate « fut accusé de nier les dieux que le public adorait, il « s'en défendit comme d'un crime; et Platon, en parlant « du Dieu qui avait formé l'univers, dit qu'il est difficile « de le trouver, et qu'il est défendu de le déclarer au « peuple. Il proteste de n'en parler jamais qu'en énigme, « de peur d'exposer une si grande vérité à la moquerie.

* « Dans quel abîme était le genre humain, qui ne « pouvait supporter la moindre idée du vrai Dieu? Athè- « nes, la plus polie et la plus savante de toutes les villes « grecques, prenait pour athées ceux qui parlaient des « choses intellectuelles, et c'est une des raisons qui

« avaient fait condamner Socrate. Si quelques philoso- « phes osaient enseigner que les statues n'étaient pas des « dieux comme l'entendait le vulgaire, ils se voyaient « contraints de s'en dédire : encore après cela étaient- « ils banni comme des impies par sentence de l'aréo- « page. Toute la terre était possédée de la même erreur : « la vérité n'y osait paraître. Le Dieu créateur du monde « n'avait de temple ni de culte qu'en Jérusalem. Quand « les gentils y envoyaient leurs offrandes, ils ne faisaient « autre honneur au Dieu d'Israël que de le joindre aux « autres dieux. La seule Judée connaissait sa sainte et « sévère jalousie, et savait que partager la religion entre « lui et les autres dieux était la détruire. » (*Discours sur l'Histoire universelle*, IIe part., chap. XVI.)

Probatur tertia pars, nempè revelationem non esse necessariam eo sensu quòd ratio humana nullam omninò veritatem certam assequi valeat. Reverà ostendimus in Logicâ non admittenda esse placita tum domini Lamennais, tum domini Bautain, tum et cæterorum qui rationis humanæ certitudinem negant. Ergò, etc.

§ VIII. *Solvuntur objectiones.*

Objicies 1°. Inutilis est revelatio quoad dogmata. Vel enim dogmata quæ tanquàm revelata exhibentur, rationis humanæ limites transcendunt, vel non. Si transcendunt captum humani intellectûs, ipsa inutilia sunt; sunt enim rationi adversa. Si non transcendunt, iterùm inutilis est revelatio; illa enim dogmata ratio propriis viribus detegere potest. Ergò, etc.

Resp. 1° *Nego antecedens.*

Resp. 2° *Nego consequentiam probationis, quoad utramque partem.* Inter dogmata revelata alia sunt naturalia, alia verò supernaturalia. Atqui utraque utilia

sunt : supernaturalia quidem, ex dictis in primâ parte nostræ theseos; pariter et naturalia, ut constat ex allegatis in secundâ parte nostræ theseos.

Inst. 1° Dogmata supernaturalia nullam exhibent menti ideam, absurda sunt Deoque inhonora. Ergò, etc.

Resp. Nego antecedens. Quàm falsum sit istud demonstravimus in numero præcedenti, ostendendo revelationem possibilem esse ex parte mysteriorum credendorum. Ergò, etc.

Inst. 2° Ratio humana sola detegere potest quidquid homini scire utile est; ergò inutilis est revelatio.

Resp. 1° *Nego antecedens.* Constat enim ex thesi nostrâ, rationem humanam infirmiorem esse quàm ut sola detegat quidquid hominem scire utile est. Ergò, etc.

Resp. 2° *Nego consequentiam.* Nam etsi homo ratione solâ detegere posset quidquid ipsum scire utile est, attamen inutilis non esset revelatio quæ confirmat dogmata et præcepta naturalia, manifestatque supernaturalia; Ergò, etc.

Inst. 3° Nullum est dogma aut præceptum religionis naturalis quod non legatur apud aliquem philosophum; ergò reverà ratio sola detegere potest quidquid hominem scire utile est.

Resp. 1° *Nego antecedens.* Adsunt quædam dogmata et præcepta, etiam naturalis ordinis, quæ apud nullos veterum philosophorum leguntur, sic, verbi gratiâ, veteres agnoscebant Deum mundi tantùm ordinatorem, non verò creatorem; mundum enim æternum esse opinati sunt omnes. Sic etiam quoad mores, nullus est qui humilitatem docuerit, etc. Ergò, etc.

Resp. 2° *Nego consequentiam.* Etiamsi nullum esset naturale dogma aut præceptum quod non legeretur apud

aliquem philosophum, non sequeretur rationem solam sufficientem esse. Nam 1° utilis est revelatio ad manifestanda dogmata et præcepta supernaturalia; 2° ad præscribendum homini systema completum religionis; 3° ad confirmandam religionem naturalem; 4° ad illam conservandam; 5° ad illam restaurandam; 6° demùm probabile est philosophos qui recta docuerunt, suam accepisse doctrinam à revelatione aut primitivâ et traditione orali etiam apud ethnicas gentes conservatâ, aut à revelatione Hebræis facta. Non enim existimandum est religionem Judaïcam omninò ignotam fuisse apud exteras gentes. Nam plurimæ interfuerunt relationes inter Judæos et alios populos, verbi gratiâ, Chaldeos, Syriacos, Arabes, Ægyptios, Græcos et ipsos Romanos, ut constat ex historiis. Non potuerunt populi qui Judæam sæpissimè invaserunt penitùs ignorare quænam esset Judæorum religiò ejusque notitiam secum non reportare. Eamdem remotissimis gentibus tradiderunt aut vicinæ gentes quæ toto orbe commercium exercebant, aut ipsi Judæi sive abducti in captivitatem, sive et ipsi commercium exercentes. Denique testatur historia philosophos Græcos sæpissimè peregrinationes suscepisse ut inviserent Ægyptiorum orientaliumque gentium sapientes ab iisque scientiam acciperent. Ergò, etc.

Objicies 2° Multa miramur virtutis specimina apud ethnicos; plurima autem flagitia societatem Christianam deturpant. Ergò inutilis est revelatio quoad mores.

Resp. 1° *Transeat antecedens*. Non enim necesse est ut expendamus an tot præclara facta quæ apud ethnicos mirantur increduli, omnia virtutis integræ notas habeant. Et etiamsi facta illa verè laudanda forent ex objecti, finis circumstantiarumque parte, expendendum prætereà esset

an præclaris istis actibus consonent soliti mores totaque vitæ instituendæ forma, ità ut non in aperto solùm et publico appareat agendi rationis nobilitas; sed et in secreto domûs præsertimque in cordis et cogitationis intimo semper sibi constans virtus inveniatur. Atverò, quot inter viros quos fortitudinis aut sapientiæ laude tantoperè extollunt, humanæ æstimationis cupiditate tantùm ducebantur, quot inter eos morum perditissimorum fœditate, proborum contemptu nedùm laudibus dignos se præbuerunt! Multa quidem sunt apud Christianos flagitia; multùm autem abest quòd apud eos vigeant adeò perversi abusus.

Resp. 2° *Nego consequentiam.* Etenim 1° ex eo quòd populi, religione revelatâ ad virtutem instituti, non essent moribus emendatiores quàm ethnici populi, non sequeretur inutilem esse revelationem. Si enim ratio cum revelatione conjuncta homines à vitiis retrahere non valet, à fortiori moribus hominum informandis impar esset ratio sibi soli relicta. 2° Non omni revelatione destituti erant ethnici populi; ipsi enim habebant et Elysios campos et Tartarum primitivæ revelationis vestigia, frenumque comprimendis cupiditatibus aptissimum. 3° Non conferendi sunt secum viri antiquitatis probissimi et Christianorum scelestissimi; sed quærendum esset an plures numero apud Christianos inveniantur qui deterreantur à vitiis virtutesque sectentur, quàm apud philosophos qui omnis revelationis auxilio verè destituti, ex ratione solâ agendorum regulam exposcerent. 4° Demùm etiamsi homines ad saniorem frugem ope revelationis non adducerentur, hæc tamen ideò non existimanda esset inutilis: multùm enim utile est hominem non nescire quid rectum sit, etiamsi pravitate abreptus rectè non velit agere. Ergò, etc.

Objicies 3° Ritus sacri sunt indifferentes, ergò inutilis revelatio quoad cultum.

Resp. 1° *Nego antecedens.* Ritus in persolvendo numini cultum adhibiti non sunt indifferentes. Ex historiâ enim constat in usum venisse apud ethnicos ritus plurimos Dei majestate indignos, turpes inhumanosque. Non ergò adeò indifferentes sunt ritus sacri.

Resp. 2° *Nego consequentiam.* Etiamsi indifferentes essent ritus sacri, inutilis non esset revelatio quatenùs certam cultûs exhibendi formam præscribit; ex hâc enim obtinetur uniformitas, prohibentur vanæ et insanæ superstitiones, certitudoque datur acceptum esse numini cultum quem ei persolvimus. Ergò, etc.

Objicies 4° Multi revelationem factam fuisse penitùs ignorant; qui verò revelationis factæ notitiam acceperunt, non possunt certi evadere hanc verè à Deo oriri; ergò inutilis est revelatio.

Resp. Nego antecedens. Non adest jactitata impossibilitas agnoscendi revelationis factæ veritatem. Sed jam objectionis hujus solutio attinet ad argumenta quibus probatur existentia revelationis. Constat ex demonstrationibus quas afferunt theologi, revelationis factum inconcussum esse et hujus certitudinem facilè obtinere quicumque sincero veritatis amore ducitur. Ergò, etc.

NUMERUS IV.

DE EXISTENTIA REVELATIONIS.

Existentiam revelationis theologi abundè demonstrant in tractatu speciali, nempè in tractatu de verâ religione. Nos verò, quùm scribamus in gratiam alumnorum qui posteà, in studiorum theologicorum decursu, edocebuntur argumenta quibus divina constat religionis christianæ

origo, omittemus hanc quæstionem, eò quòd si vellemus de ipsâ aptè scribere, fusiùs evolvenda esset quàm per tempus et spatium exponere permittitur.

ARTICULUS II.

DE OFFICIIS ERGA CÆTEROS HOMINES.

Officia implenda habemus erga cæteros homines, vel ob humanæ naturæ communitatem, vel ob relationes speciales quæ ex aliquo societatis genere nascuntur. Itaque hunc articulum dividemus in duos paragraphos, priorem nempè De officiis quæ ex humanæ naturæ communitate nascuntur; posteriorem verò De officiis quæ ex aliquo societatis genere ducunt originem.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

DE OFFICIIS QUÆ EX HUMANÆ NATURÆ COMMUNITATE NASCUNTUR.

Duo erunt numeri, alter De his officiis in genere, alter speciatim De singularibus certaminibus.

NUMERUS PRIMUS.

DE OFFICIIS NASCENTIBUS EX COMMUNITATE NATURÆ HUMANÆ GENERATIM.

§ I. Omnia officia ad dilectionem proximi referuntur. — § II. Principia circa dilectionem proximi. — § III. Corollaria.

§ I. *Omnia officia ad dilectionem proximi referuntur.* J. J. Russæus contendit regulam officiorum erga cæteros homines hâc lege contineri : Provide tibi cum damno cæterorum quàm minimo : « Fais ton bien avec le moindre mal d'autrui qu'il est possible. » (*Discours sur l'ori-*

gine et les fondements de l'inégalité parmi les hommes, première partie.) Iste igitur auctor nostri amorem, non autem proximi, tradit tanquàm unicam legem officiorum erga cæteros, quamvis ille ibidem agnoscat perfectiorem esse regulam quàm vulgò tradunt agendi erga cæteros eodem modo quo ipsos erga nos agere volumus : at suam regulam ille judicat utiliorem. Nos verò existimamus falsam esse regulam quæ à cive genevensi proponitur. Illa enim regula officiorum erga cæteros homines est falsa, quâ positâ, aliena jura læderentur, aut potiùs nulla agnoscerentur; atqui talis est Russæi regula. Etenim, hâc admissâ, mihi licitum est quidquid mihi expedit; meis necessitatibus aut etiam commodis providere possum, etiam cum damno cæterorum, modò damnum ipsis ultra meam necessitatem non inferam : atqui, hoc semel posito, jam nulla jura supersunt; adesse enim nequeunt jura inter se opposita; jus alienum nullum est, si jus habeo utilitati meæ consulendi, non obstante aliorum jure; ergò etc.,

Econtrà philosophi christiani, imò et profani, afferunt dilectionem proximi tanquàm regulam omnium officiorum quæ erga cæteros homines implenda sunt. Qui enim cæteros reverà diligeret, non malediceret, non furaretur, non occideret, nulla denique proximi bona aut corporis, aut famæ, aut fortunæ læderet, damnaque à se cæteris illata resarcienda curaret.

§ II. *Principia circa dilectionem proximi.* Tria autem afferri possunt principia circa dilectionem proximi. *Primum : Diliges proximum eodem modo ac ipse tu vis ab eo diligi. Secundum : Diliges proximum tuum sicut te ipsum diligis.* Duo hæc à se parùm discrepant, possuntque haberi tanquàm philosophica : etenim illa nituntur æquitate naturali. Quùm enim omnibus hominibus com-

munis sit natura, ipsis rependere debemus quidquid nobis volumus ab ipsis rependi.

Non tamen intelligenda sunt duo hæc principia eo sensu quòd idem omninò cæteris retribuatur quod nobis volumus retribui. Nam aliis aliquandò debentur aut honores, aut tributa, aut alia quæcumque officia nobis indebita. Sensus autem est nos debere jura cæterorum, cujuscumque naturæ sint, servare, quemadmodùm nos ab aliis servari jura nostra volumus; nosque in cæteros conferre beneficia quæ in nos rationabiliter conferri vellemus.

Tertium principium supernaturale est, scilicet : *Diliges proximum eodem modo ac te Christus dilexit.* Porrò hoc ultimum principium quod nobis tradidit Christus dicens : « Mandatum novum do vobis : ut diligatis invicem, sicut dilexi vos » (*Joann.* c. XIII, v. 34.), summum dilectionis gradum præcipit; nulla enim dilectio major est, quàm dilectio Christi in nos, quùm ipse pro nobis, quantumvis indignis, animam ponere non dubitaverit; undè jam non satis est ut erga proximum æquali benevolentiâ ac erga nos ipsos afficiamur; sed, ut docet S. Joannes (*Epist. primâ*, c. III, v. 16.), « et nos debemus pro fratribus animas ponere. » Hinc meritò aiebat Christus caritatem proximi esse mandatum novum et sibi proprium.

§ III. *Corollaria.* Ex amore proximi sequuntur, ut diximus, omnia officia erga proximum. Ad tria præcipua referri possunt. Primum negativum est, prohibetque ullam proximo inferri injuriam quâ lædantur bona ejus aut corporis aut animæ. Secundum positivum est, præcipitque resarciendas esse injurias proximo illatas. Tertium denique est pariter positivum, jubetque nos in proximum conferre omnia beneficia et officia quibus indiget, quotiès et quantùm possumus. Nec bonis tantùm opitulandum

est; sed et malis et ipsismet inimicis est benefaciendum; imò et hi ex animo diligendi sunt. Non quidem videtur quomodò læderetur æquitas naturalis ab eo qui inimicum non diligeret : at nullum dubium superest quin Christi discipulus teneatur diligere inimicos et illis beneficia præstare. Hæc obligatio sequitur ex tertio nostro principio : Diliges proximum tuum, sicut Christus te dilexit : nam ipsi, « quùm inimici essemus, reconciliati sumus Deo, « per mortem Filii ejus. » (*Rom.* c. v, v. 10.) Prætereà sæpè sæpiùs inimicos diligendos esse docet præcipitque Christus ipsismet verbis : « Ego autem dico vobis : dili-« gite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos; et « orate pro persequentibus et calumniantibus vos : ut sitis « filii Patris vestri qui in cœlis est : qui solem suum oriri « facit super justos et injustos. Si enim diligitis eos qui « vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et pu-« blicani hoc faciunt?... Estote ergò vos perfecti, sicut « et Pater vester cœlestis perfectus est. » (*Matt.* c. v, v. 44 *et seq.*)

De singulis officiis erga proximum non ampliùs disseremus, nisi de singulari certamine in proximè sequenti numero. Cæterùm consulantur varii theologorum tractatus.

NUMERUS II.

DE SINGULARIBUS CERTAMINIBUS.

* § I. Singularia certamina inter hostes. — * § II. Singularia certamina inter nobiliores equites, ludi gratiâ. — * § III. Duellum auctoritate publicâ initum. — * § IV. Duellum auctoritate privatâ. — § V. Thesis. — * § VI. Fusior probatio. — § VII. Solvuntur objectiones.

* § I. *Singularia certamina inter hostes.* Plura sunt singularium certaminum genera. Nempè primò locum

aliquandò habuerunt illa certamina inter milites duarum gentium hostilium. Sic David adhùc adolescens gigantem Goliath singulari certamine devicit. Sic tres Horatii cum tribus Curiatiis congressi sunt.

* § II. *Singularia certamina inter nobiliores equites, ludi gratiâ.* Ætate mediâ, viguerunt apud Europæ populos, præsertìmque apud nos, singularia certamina inter equites, ludi, fortitudinis et in armis tractandis solertiæ ostentandæ causâ. Quandò plures equites cum pluribus equitibus congrediebantur, certamina gallicè dicebantur *tournois,* apud scriptores verò istius ætatis, *torneamenta;* quandò autem singuli cum singulis dimicabant, certamen dicebatur *justa, joute.* Maximo cum apparatu ad pugnam venire soliti erant, victoriæque præmium illi deferebatur, qui plures lanceas fregerat, aut plures ex equo dejecerat adversarios. Non sine vitæ discrimine habebantur isti militares ludi; multique nobilium rem familiarem exhauriebant, magnificentiâ cæteros in his solemnitatibus superandi studio. Non igitur immeritò tales ludos pluriès Ecclesia prohibuit ipsique reges nostri, quamvis illos isti non semel præsentiâ proprioque exemplo confirmaverint. Non mirum igitur quòd non statim illorum desierit usus. Quùm verò anno 1559 Henricus II, Francorum rex, in hoc ludo decertans occisus fuisset, et anno 1560 Henricus alter princeps e sanguine regio, ex equo dejectus illisusque casu paulò post obiisset, tunc tandem finem acceperunt isti ludi, remansitque solummodò usus solemnium cum equis et curribus procursionum, gallicè *des carrousels.*

* § III. *Duellum auctoritate publicâ initum.* Est et aliud singularium certaminum genus quod duellum scriptores vocant, gallicè *duel,* apud veteres tum Græcos, tum

Romanos penitùs inusitatum. Porrò duæ sunt duelli species, nempè duellum auctoritate publicâ, et duellum privatâ auctoritate initum.

* Duellum auctoritate publicâ initum originem habuit apud barbaras septentrionis gentes, deindè apud Germanos, Burgundiones, nosque et cæteros Europæ populos in morem inductus fuit. Locum illud præcipuè habebat, quùm alicujus in judicium vocati crimen aut innocentia non possent testibus plana fieri. Antiquissima lex duellum auctoritate probans Gondebaldo Burgundionum regi tribuitur, undè factum fuit ut plures huic regi duelli institutionem tribuerint : sed lex illa antiquiorem usum tantummodò confirmat. Plurimæ exstant regum et ipsius Ecclesiæ decreta quæ duellum permittunt, hujusque ineundi causam conditionesque præscribunt. Certamina hæc vocabantur *Dei judicium,* existimabant enim Deum quis esset insons victoriâ demonstraturum fore. Vocabantur etiam *placitum ensis*, gallicè, *le plaid à l'épée*. Mos erat ut qui in duellum advocabat adversarium, rem aliquam, sæpiùsque chirothecam, in medium projiceret : res illa vocabatur *pugnæ* aut *duelli pignus*. Rem autem illam tollebat alter, in signum non detrectati certaminis. Hinc usitatæ locutiones projiciendi projectamque tollendi chirothecam, pignus præbendi, gallicè : *jeter le gant, relever le gant : donner un gage, accepter le gage*. Sapienter egerunt Ecclesiæ et imperii principes qui, quùm talem usum penitùs tollere desperarent, curârunt saltem ut, quantùm possent, præcaverent abusus, donec religione et legibus paulatìm mitescerent subditorum mores. Sed adeò difficile erat homines ab eâ feroci consuetudine avertere, ut quùm omninò legibus prohibita fuêre singularia certamina, plurimi nihilominùs auctoritate privatâ

singulatim decertandi usum adhibuerint, et nostris etiam temporibus adversùs duella vis legum manserit adhùc inefficax.

* § IV. *Duellum auctoritate privatâ.* Duellorum auctoritate privatâ initorum usus invaluit apud nobiliores viros, in Galliâ, præsertim à tempore Francisci I. Hæc non ineuntur nisi ob injuriam famæ illatam, talisque est præjudicata opinio, ut probro sit injuriæ publicè illatæ ultionem eâ viâ non repetere, aut ad certamen provocatum non descendere. Non autem tantùm pretiosi sanguinis longa bella exhauriunt, quantùm, sæviente duellorum licentiâ, cruenta pax absumit. Nobilitatis florem depopulata est delicata hæc insanæ gloriæ cupiditas, adeò ut, sub Henrico IV, per decem et octo annos, quatuor millia eo modo occisorum numerata sint. Iterùm proscripta fuêre duella à regibus Henrico IV, Ludovico XIII, sed præsertim Ludovico XIV. Hic sub gravissimis pœnis duella prohibuit, fidemque regiam astrinxit, quòd nunquàm, nec ullâ de causâ, pœnas ob duella inflictas remissurus foret. Tali promisso nunquam defuisse narratur maximus ille rex. Hinc iste furor parumper deferbuit : non raro tamen hodiernis temporibus in singularia certamina congrediuntur, tacente plerùmque auctoritate publicâ.

* Adhibentur in duellis duo saltem ex utrâque parte testes, qui aliquandò in locum partis suæ, qùm vulneratur aut occiditur, ipsi decertare coguntur. Qùm mitiora sunt duella, ad primam sanguinis effusionem dimicatur. At sæpè eâ conditione congrediuntur adversarii, ut non prius finem accipiat pugna, quàm alter interemptus fuerit. Nec raro evenit ut, qùm sclopetis res ageretur, alter irrito ictu illato, aut etiam liberè detorto, ab altero co-

minùs et sedato animo occisus fuerit, tantam ferocitatem infert pectori furiosa ultionis rabies!

* Non desunt tamen qui singularia certamina tueantur, illaque legitima esse contendant. Viget ista detestabilis opinio præcipuè inter milites, sæpèque inter viros probitate aliisque virtutibus civilibus commendatos. Atverò inter scriptores recentiores, sic habet D. Lerminier, agens de legibus pœnalibus : « Pour apprécier le duel, on doit « mettre en compte le respect de l'individualité humaine « qui, appelée à un combat tragique, n'a pu s'y refuser « sans perdre sa dignité vis-à-vis d'elle-même, et son « honneur vis-à-vis des autres. Flétrissons le duel quand « il n'est qu'un assassinat hideux et frivole qui trouble « nos réunions, nos spectacles et nos salons; mais que le « législateur sache bien que dans le duel lui-même, phi- « losophiquement considéré, il y a quelque chose de plus « grave que les petites satisfactions d'une vanité ridicule. « L'homme n'existe socialement que s'il est estimé de lui- « même et des autres; et il doit toujours retenir le droit de « venger lui-même ces outrages que la société ne nous « permet pas de pardonner. La loi ne saurait désarmer « à ce point l'individu; et, pour tout homme libre, ce « droit est inaliénable; il est comme l'épée du gentil- « homme qui ne le quittait jamais. »

* His positis, prætermisso sermone de singularibus certaminibus auctoritate publicà ob patriæ salutem initis, tum de iis quæ in usum venerant per modum ludi, tum et de duellis olim inter privatos auctoritate publicâ probatis, de iis tantùm dicemus, in quæ auctoritate privatâ congrediuntur.

THESIS.

§ V. *Nunquàm licet in singulare certamen auctoritate privatâ congredi.*

Probatur. Qui enim in singulare certamen congreditur, ulciscendi desiderio ducitur, necem alteri auctoritate privatâ inferre paratus est, in vitæ propriæ discrimen se temerè conjicit, levi persæpè, imò et aliquandò inhonestâ, semper autem insufficienti de causâ hæc omnia mala incurrit, læsum honorem non restituit, leges humanas divinasque perfringit, conscientiam stimulis implet, humanam divinamque vindictam incurrit; ergò, etc.

* § VI. *Fusior probatio.*

* Et verò nunquàm licet in singulare certamen auctoritate privatâ congredi; modò singularia certamina adversa sint veræ animi fortitudini, honestati, justitiæ, humanitati, obedientiæ legibus divinis humanisque præstandæ, demùmque rationi: atqui his omnibus adversantur singularia certamina privatâ auctoritate inita.

* 1° *Quidem adversantur veræ animi fortitudini.* De hujus autem naturâ audiamus præcipuè veteres quos in hoc negotio æquos fuisse æstimatores nemo non nescit. Vera est illa animi fortitudo quæ conjungitur officio, non quæ in inferendam injuriam impenditur. Non igitur duellum ob aditum periculum excusandum est, si plurimis officii legibus aliundè, ut reverà fit, adversatur. « Ea « animi elatio quæ cernitur in adeundis periculis et labo- « ribus sustinendis, inquit Tullius, si justitiâ vacat, pu- « gnatque non pro salute communi, sed pro suis com- « modis, in vitio est. Itaque probè definitur à Stoicis « fortitudo, cùm eam virtutem esse dicunt pugnantem pro « æquitate. » (*Cicero*, I, *De offic.* n° 62.) Quâ autem de

causâ cives et aliquandò amici duo alter in alterum gladium in pectus infixuri irruunt? Nempè ob verbum aliquandò incautum, neve ignaviam objiciant contemnendi sæpissimè homines. Nùm in tanto furore sita est animi fortitudo? Nonne econtrà « magni animi mansuetique est « moderatè ferre objecta crimina et contemptum : non « celeriter rapi in ultionem : nec facilè moveri ad iram : « sed moribus comem esse mitemque, ingenio quiete et « constanti? » (*Stob. Serm.* 19.) « Verba autem contu- « meliosa, inquit Seneca (l. III, *De irâ*, c. II.) alia ne- « gligenda, alia deridenda, alia donanda sunt. » Major quidem adest in condonandis quàm in ulciscendis injuriis animi fortitudo. « Non audiendi, inquit Cicero, (I, *De of- « fic.* 88.) qui graviter irascendum inimicis putant, idque « magnanimi et fortis viri esse censent. Nihil enim lau- « dabilius, nihil magno et præclaro viro dignius placabi- « litate atque clementiâ. » Et idem (*pro Marco*, I, 8.) : « Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam tem- « perare, si quis sciat; non ego cum summis viris com- « paro, sed simillimum Deo judico. » Sed, inquies, non ità judicant homines, et in eorum contemptum venit quicumque acceptâ injuriâ ultionem non reposcit, aut in singulare certamen vocatus venire detrectat. At nonne plùs ignaviæ quàm fortitudinis adest in eo qui falsâ et iniquâ vulgi opinione trahitur, et in crimen potiùs ruere paratus est, quàm aliquam inanis gloriæ jacturam facere? « Op- « primi in bonâ causâ melius est, quàm malè cedere. » (*Cicero*, I, *De leg.* n° 34.) « Multas illustrat fortuna dùm « vexat, ac virtus, cùm violata est, effulsit. » (*Senec. Ep.* 79.) « Qui enim ea mala quibus alii opprimuntur, « magno animo fert, ipsas miserias in gloriam vertit. » (*Senec. ad Helv.* c. XIII.) Nunquàm confugère illustris-

simi et fortitudine animi clarissimi veterum ad singularia certamina, ut acceptas injurias ulciscerentur. Sed apud barbaras gentes orta est ferox ista opinio magni animi esse inclementem se et conviciorum impatientem ostendere. Quos veræ fortitudinis potiores æstimatores habebimus an gentes politas et invictâ in periculis arduisque rebus aut etiam adversis animi constantiâ probatas, an verò rudes et propemodùm silvaticos populos. Ergò 1°, etc.

* 2° *Singularia certamina honestati adversantur.* Indecorum enim est sese ad iracundiam et ultionem adeò promptum ostendere; vulgi opinionum inanisque gloriæ famulum esse; famam officio anteferre animoque paratum esse ad patiendam virtutis potiùs quàm famæ jacturam; indicare se admodùm tenuis et incertæ probitatis esse, quùm timeatur ne ex hominum animis de eâ fidem tollat nebulonis cujuscumque convicium; propriam denique vulgare infamiam; id enim efficit singularis certaminis initi rumor, ut acceptæ injuriæ notitia magis diffundatur, non verò inusta deleatur dedecoris nota. Ergò, etc.

* 3° *Singularia certamina adversantur justitiæ.* Etenim non hic agitur de hominibus viventibus in statu naturæ, in quo quisque foret acceptæ injuriæ arbiter et ultor; sed de hominibus in statu societatis viventibus. Atqui, hoc posito, iniqua sunt non unicâ ex parte singularia certamina. Iniquum enim est sibi arrogare jus de propriâ causâ judicandi reposcendique ultionem injuriæ illatæ, jus enim illud ad societatem pertinet; iniquum est judicem à studio partium et à cupiditatibus alienum non esse; iniquum est privatum decernere pœnam quam nulla auctoritas competens infligendam statuit; iniquum est sontem mulctare pœnâ noxæ impari debitumque longè excedenti modum. Nùm enim tanta est culpa ut duorum homi-

num vita in discrimen conjiciatur? Iniquum est vindictam decernere quàm fortè sons fugiet, et quæ in ipsum insontem recidere potest; iniquum denique est propriam injuriam, non legem officii respicere, in repetendâ criminis ultione : atqui tot in punctis æquitas perfringitur, quotiès alter alterum in singulare certamen advocat, acceptam ulturus injuriam; ergò, etc.

* 4° *Singularia certamina adversantur humanitati.* Quid enim magis adversum pio huic sensui quo nos in cæteros homines propensos, benevolos, misericordes natura effecit, quàm alteri cruentam necem consultò inferre totamque familiam in luctum conjicere? Quot animo sollicitudines morsusque tanto crimine parantur! Quid discriminis adest inter eum qui alterum in singulari certamine occidit, et prædonem qui viatorem inter insidias interficit, nisi quia hic aliquam saltem utilitatem ex scelere refert, dùm prior nullum emolumentum ex patrato facinore percepturus est? Tantane humano cordi ferocitas! Et ipsi lupi non lupos unguibus lacerant! « Je les regarde (les duels) « comme le dernier degré de brutalité où les hommes « puissent parvenir. Celui qui va se battre de gaieté de « cœur n'est à mes yeux qu'une bête féroce qui s'efforce « d'en déchirer une autre; et s'il reste le moindre senti- « ment naturel dans leur âme, je trouve celui qui périt « moins à plaindre que le vainqueur. » (*Nouvelle Héloïse, lett.* 57.)

* 5° *Singularia certamina adversantur obedientiæ legibus divinis humanisque præstandæ.* Adversantur nempè 1° legibus civilibus quæ generatim homicidium prohibent, præsertimque regum nostrorum edictis quæ nunquàm ullo decreto abrogata fuerunt, sed potiùs auctoritatis silentio in desuetudinem venerunt. 2° Præceptis

« ipsiusmet Dei qui non solùm homicidium prohibet; sed « et sibi vindictam servat : « Mihi vindicta et ego retri- « buam » (*Rom.* c. XII, v. 19) : jubetque ut cæteros etiam inimicos diligamus, ipsis benefaciamus, nedùm ipsorum effundamus sanguinem. « Diligite inimicos vestros, be- « nefacite his qui oderunt vos; et orate pro persequen- « tibus et calumniantibus vos. » (*Matt.* c. V, v. 44.) « Au- « distis quia dictum est : oculum pro oculo, et dentem « pro dente. Ego autem dico vobis non resistere malo : sed « si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe « illi et alteram. » (*Matt.* c. V, v. 38, 39.) 3° Demùm adversatur præceptis Ecclesiæ quæ et ipsa gravissimis pœnis prohibet duellum quod Concilium tridentinum vocat « de- « testabilem usum, fabricante diabolo introductum, ut « cruentâ corporum morte animarum etiam perniciem « lucretur. » (*Sess.* XXV, c. XXIX, *De reform.*) Ergò, etc.

* 6° *Demùm singularia certamina adversantur rationi.* Meritò enim rationi adversum reputatur firmo pectore contra naturalem vitæ amorem eniti absque verâ virtute; ingrato nullamque voluptatem afferenti scelere sese commaculare; existimationem demùm publicam viâ inhonestâ inefficacique prosequi : porrò qui singularibus certaminibus injuriæ ultionem quærunt, hæc omnia peragunt. 1° Quidem enituntur contra naturalem vitæ amorem absque verâ virtute, ostendimus enim duellum scelus esse quod veræ animi fortitudini, honestati, justitiæ, humanitati, obedientiæque Deo et legibus civilibus debitæ adversatur. 2° Iidem ingrato nullamque voluptatem afferenti scelere sese commaculant; nullam enim veram animi voluptatem affert vindictæ furor; sed econtrà mordaces conscientiæ stimulos. 3° Demùm existimationem publicam inefficaci viâ prosequuntur. Vel enim obtrectatoris ma-

ligni sermones fidem obtinuerunt, vel non. Si fidem non obtinuerunt, inutile insanumque est ad duellum confugere ut restituatur honos nil maledicto læsus. Si econtrà fidem obtinuerunt, quid tunc evenit? Duelli rumor objectam infamiam pervulgat. Si obtrectator cadit non revocatis dictis, mors illius famam ablatam non restituit, cum obtrectatore obtrectatio non occiditur. Ponatur autem obtrectatorem malignos sermones revocare, quænam dabitur fides homini qui gladio ad fauces adjecto recantare cogitur? Ergò, etc.

§ VII. *Solvuntur objectiones.*

Objicies 1° Ad singulare certamen devenire aliquandò tenemur officiis erga nos ipsos implendis. Ergò duella sunt aliquandò licita.

Resp. Nego antecedens. Nunquàm officiis erga nos implendis possumus teneri ad scelus admittendum; ergò, etc.

Inst. 1° *cum domino Lerminier.* Suam amitteret dignitatem, in propriâ opinione, qui certamen singulare detrectaret. Ergò, etc.

Resp. Nego antecedens. Vel enim ille qui singulare certamen detrectat, existimat illud esse illegitimum, et ob id vocatus dimicare renuit; vel non existimat illud esse illegitimum, et ob ignaviam congredi non vult. Si ille certamen detrectat officii implendi studio, falsum est illum suam amittere dignitatem in propriâ opinione. Si autem pugnam fugit ob ignaviam, ille quidem in propriâ opinione dignitatem suam amittit, at non docemus detrectandum esse singulare certamen ob ignaviam, sed ob rationes quæ probant duellum scelus esse rationi et legibus divinis humanisque adversum. Ergò, etc.

Inst. 2° *cum eodem.* Non solùm dignitatem suam in

propriâ opinione amittit, qui certamen singulare detrectat; sed et in opinione cæterorum hominum; ergò, etc.

Resp. 1°. *Nego antecedens.* Ostendimus singularia certamina viam inefficacem esse ad auferendam labem famæ illatam. « Qu'y a-t-il de commun entre la gloire d'égorger « un homme et le témoignage d'une âme droite, et quelle « prise peut avoir une vaine opinion d'autrui sur l'honneur « véritable dont toutes les racines vont au fond du cœur? « Quoi! les vertus qu'on a réellement périssent-elles sous « les mensonges d'un calomniateur? Les injures d'un « homme ivre prouvent-elles qu'on les mérite, et l'hon- « neur du sage serait-il à la merci du premier brutal qu'il « peut rencontrer? » (*Nouvelle Héloïse, lettre* 57.)

Resp. 2°. *Nego consequentiam.* Etiamsi famæ jacturam faceret in opinione cæterorum hominum ille qui detrectat singulare certamen, non sequeretur illud abnuendum non esse; nullum enim scelus admittere fas est ut fama servetur. « Quand il serait vrai qu'on se fait mépriser en re- « fusant de se battre, quel mépris est plus à craindre, « celui des autres en faisant bien, ou le sien propre en « faisant mal? Croyez-moi, celui qui s'estime véritable- « ment lui-même est peu sensible à l'injuste mépris d'au- « trui, et ne craint que d'en être digne : car le bon et « l'honnête ne dépendent point du jugement des hommes, « mais de la nature des choses, et quand toute la terre ap- « prouverait l'action que vous allez faire, elle n'en serait « pas moins honteuse. » (*Ibid.*)

Inst. 3°. Qui in singulare certamen advocatus descendere non renuit, probat se animo fortem esse, et, si renueret, ignavus ab omnibus duceretur; ergò, etc.

Resp. 1°. *Nego antecedens.* Ostendimus veram animi fortitudinem non inveniri in eo qui venit ad singulare

certamen. Quomodò enim se fortem ostendit? Demonstrando nempè se mortem non reformidare. At non demonstrat se mortem non timere; omnium enim mentibus insitus est naturalis vitæ amor mortisque timor qui superari potest, vix autem unquàm depelli. Ostendit igitur ille tantùm se magis quorumdam dicta reformidare quàm officii et virtutis abnegationem. « Celui qui feint d'envi- « sager la mort sans effroi, ment. Tout homme craint de « mourir, c'est la grande loi des êtres sensibles, sans la- « quelle toute espèce mortelle serait bientôt détruite. « Cette crainte est un simple mouvement de la nature, « non-seulement indifférent, mais bon en lui-même et « conforme à l'ordre. Tout ce qui la rend honteuse et « blâmable, c'est qu'elle peut nous empêcher de bien « faire et de remplir nos devoirs. Si la lâcheté n'était ja- « mais un obstacle à la vertu, elle cesserait d'être un vice. « Quiconque est plus attaché à sa vie qu'à son devoir ne « saurait être solidement vertueux, j'en conviens. Mais « expliquez-moi, vous qui vous piquez de raison, quelle « espèce de mérite on peut trouver à braver la mort pour « commettre un crime? » (*Ibid.*) « Me direz-vous qu'un « duel témoigne qu'on a du cœur, et que cela suffit pour « effacer la honte ou le reproche de tous les autres vices? « Je vous demanderai quel honneur peut dicter une pa- « reille décision, et quelle raison peut la justifier? A ce « compte un fripon n'a qu'à se battre pour cesser d'être « un fripon; les discours d'un menteur deviennent des vé- « rités sitôt qu'ils sont soutenus à la pointe de l'épée, et « si l'on vous accusait d'avoir tué un homme, vous en « iriez tuer un second pour prouver que cela n'est pas « vrai? Ainsi, vertu, vice, honneur, infamie, vérité, men- « songe, tout peut tirer son être de l'événement d'un

« combat; une salle d'armes est le siége de toute justice; « il n'y a d'autre droit que la force, d'autre raison que « le meurtre; toute réparation due à ceux qu'on outrage « est de les tuer, et toute offense est également bien lavée « dans le sang de l'offenseur ou de l'offensé! Dites, si les « loups savaient raisonner, auraient-ils d'autres maxi- « mes? » (*Ibid.*)

Resp. 2°. *Nego consequentiam*, propter rationes jam allegatas; crimen admittendum non esse ut fama servetur. « Gardez-vous donc de confondre le nom sacré de « l'honneur avec ce préjugé féroce qui met toutes les ver- « tus à la pointe d'une épée et n'est propre qu'à faire de « braves scélérats. Que cette méthode puisse fournir si l'on « veut un supplément à la probité, partout où la probité « règne, son supplément n'est-il pas inutile? Et que penser « de celui qui s'expose à la mort pour s'exempter d'être « honnête homme? Ne voyez-vous pas que les crimes « que la honte et l'honneur n'ont point empêchés sont « couverts et multipliés par la fausse honte et la crainte « du blâme? C'est elle qui rend l'homme hypocrite et « menteur; c'est elle qui lui fait verser le sang d'un ami « pour un mot indiscret qu'il devrait oublier, pour un re- « proche mérité qu'il ne peut souffrir. » (*Ibid.*)

Inst. 4°. Multis incommodis obnoxius erit qui singulare certamen detrectaverit; ergò, etc.

Resp. 1°. *Nego antecedens.* Non tot incommodis plerùmque obnoxius erit, quot jactitare solent, licèt aliquandò, præsertìm inter milites, non parva sint.

Resp. 2°. *Nego consequentiam.* Nunquàm enim incommoda, quantacumque sint, scelere vitanda sunt, sed forti constantique animo toleranda.

« Mais quels sont au fond ces inconvénients? Les mur-

« mures des gens oisifs, des méchants, qui cherchent à « s'amuser des malheurs d'autrui, et voudraient avoir « toujours quelque histoire nouvelle à raconter. Voilà « vraiment un grand motif de s'entr'égorger. » (*Ibid.*)

Inst. 5°. At saltem duellum ad id utile est, ut obtrectator in posterum ad silentium cogatur. Ergò, etc.

Resp. 1°. *Transeat antecedens.* Fieri enim potest ut nihilominùs famam lædere non omittat obtrectator.

Resp. 2°. *Nego consequentiam.* Quid autem ex antecedente consequetur in gratiam duelli? Nùm rationi consentaneum est ultionem repetere, quæ publicum efficiet pervulgabitque convicium acceptum, multò magis quàm omnes maligni obtrectatoris susurri? Numquid iterùm scelus perpetrandum est ut silentium obtrectatori imponatur. Nonne denique certiùs occludentur obtrectatorum ora rectè et honestè in omnibus se gerendo, quàm ostendendo se adeò opinionis famulum et injuriarum impatientem? Ergò, etc.

Objicies 2°. Societatis utilitas postulat ut licita sint singularia certamina; ergò etc.

Resp. 1°. *Nego antecedens.* Societatis utilitas nequaquàm postulat ut cives sese ob convicium jugulent, et sese in propriâ causâ constituant judices et ultores; ergò, etc.

Resp. 2°. *Nego consequentiam.* Licitum enim non est quidquid expedit. Ergò, etc.

Inst. 1°. Societatis utilitas postulat ut obtrectatores quos legibus ipsa plectere nequit, duelli metu inhibeantur; ergò, etc.

Resp. *Nego antecedens.* Vel enim obtrectatio gravis est et publica, vel non. Si nec gravis est, nec publica, societatis utilitas non postulat illam duello vindicari. Si

gravis est et publica, res ad judices civiles deferri potest, prætereàque tanta non est ut debeat morte injuriam afferentis aut etiam sustinentis plecti. Ergò, etc.

Inst. 2°. Deferendo injuriam acceptam ad judices civiles, ipsa pervulgatur. Ergò satiùs est rem gladio conficere.

Resp. Nego consequentiam. Duellum non minùs dedecus illatum pervulgabit. Ergò, etc.

Inst. 3°. Fieri potest ut injuria satis publica sit ut rumor ejus serpat in publicum; non autem satis ut probetur ex formâ juris; ergò licet duello ultionem repetere.

Resp. Nego consequentiam. Non sequitur ad duellum confugiendum esse, propter omnes rationes quibus illud prorsùs illegitimum esse comprobavimus. Sequitur autem tantùm adesse incommoda quæ nullâ legitimâ viâ tolli possunt, fortiterque sunt toleranda. Nec mirum; talis enim est humana conditio ut multa nobis injucunda perpetienda sint. Quid autem meriti virtus haberet, si nullo labore comparanda foret? Ergò, etc.

Objicies 3°. Justitia postulat ut obtrectator puniatur; ergò, etc.

Resp. Nego consequentiam. Non indè sequitur duellum esse legitimum. Etsi enim castigari meritò debeat obtrectatoris malitia, attamen non singulis commissa est vindictæ cura : sed aut ad Deum reservatur jus vindictam sumendi, aut ad societatis rectores qui ejus in loco jus dicunt hominibus. Numquid injustitia unius alterius injustitiâ punienda est?

Inst. 1°. Si justitiam læderet ille qui obtrectatorem in duellum advocat, maximè vel quia auctoritatem non habet ad puniendam alterius injustitiam, vel quia justitiæ limites excedit obtrectatorem morte plectendo : atqui neutrâ ex parte justitia læditur; ergò, etc.

Resp. Nego minorem, quoad utramque partem. Patet ex dictis.

Inst. 2°. Quandò leges impotentes sunt ut injustitias civium cohibeant; tunc quisque in eodem statu constituitur quoad istud, ac si esset in statu naturæ : atqui in statu naturæ quisque judex est et ultor propriarum injuriarum; ergò, etc.

Resp. Nego majorem. Licèt leges civiles nequeant omnia delicta tollere omnesque injustitias cohibere, attamen quisque ad statum naturæ non redditur, nec ideò cuique restituitur facultas de propriis injuriis judicandi ultionemque repetendi; adessent enim nimis magna in eo admittendo incommoda. Nam quotiès aliquis existimaret aut legem impotentem fore, aut judices à vero aut à recto in ferendâ sententiâ declinâsse, tunc ille sese statui naturæ redditum putaret, et indè societatis perturbatio oriretur. Ergò, etc.

Inst. 3°. Justitiæ limites non excedit ille qui in singulare certamen alterum advocat : si enim alterius vitam in discrimen adducit, et ipse sese idem periculo offert; ergò, etc.

Resp. 1°. *Nego antecedens*, ex dictis.

Resp. 2°. *Ad probationem, nego consequentiam.* Ex duplici enim parte justitia læditur, nedùm restituatur, quùm duo homines pro causâ non satis gravi et auctoritate privatâ morti objiciuntur; atqui in casu duelli, nec tanta est injuria ut morte plectenda sit, nec privatis concessum est jus vitæ et necis in se aut in alios; ergò, etc.

Ex his omnibus sequitur omninò illicita esse singularia certamina. « Je conclus que vous ne sauriez ni faire ni « accepter un appel sans renoncer en même temps à la

« raison, à la vertu, à l'honneur. Retournez mes raisonnements comme il vous plaira, entassez de votre part sophisme sur sophisme; il se trouvera qu'un homme de courage n'est point un lâche, et qu'un homme de bien ne peut être un homme sans honneur. Or, je vous ai démontré, ce me semble, que l'homme de courage dédaigne le duel, et que l'homme de bien l'abhorre... Ton âme est encore innocente et saine, ne commence pas à la dépraver au péril de ta vie par un effort sans vertu, un crime sans plaisir, un point d'honneur sans raison. » (*Ibid.*)

PARAGRAPHUS II.

DE OFFICIIS QUÆ EX ALIQUO SOCIETATIS GENERE DUCUNT ORIGINEM.

Duplex præcipuum distinguitur societatis genus, nempè societas domestica, sive privata, et societas civilis, sive publica. Expendemus autem in hoc paragrapho, an homo sit ad societatem à naturâ destinatus, an ad societatem domesticam, demùmque undè potestas suprema principis qui societatem regit, ducat originem. Officia autem specialia eò libentiùs omittemus, quòd abundè exponuntur in diversis theologorum tractatibus, præsertìmque in tractatu de Decalogo. Itaque hunc paragraphum dividemus in tres numeros, nempè primum De societate generatìm; secundum De societate domesticâ; tertium De societate civili.

NUMERUS PRIMUS.

DE SOCIETATE GENERATIM.

§ I. Hujus numeri scopus. — * § II. Russæi opinio. — § III. Thesis. — * § IV. Alia argumenta. — § V. Solutio objectionum. — § VI. Corollaria.

§ I. *Hujus numeri scopus.* Operam præcipuam dabimus solvendæ huic quæstioni, an homo ad societatem fuerit à naturâ destinatus. Deindè per modum corollariorum quædam subjungemus de præcipuis civium officiis.

* § II. *Russæi opinio.* Russæus, præsertìm in opere cui titulus : *Discours sur l'origine et les fondements de l'inégalité parmi les hommes*, parte primâ, contendit hominem non fuisse à naturâ destinatum ad societatem, hanc econtrà adversari naturæ humanæ, ipsamque esse omnium malorum fontem et fomitem. Ut opinionem hanc inauditam adstruat, fabulosam hypothesim statûs naturæ excogitat variisque cavillationibus eam probare nititur.

* Supponit Russæus hominem his in terris primitùs positum, facultatibus naturalibus solummodò præditum; sed absque ullis dotibus aut supernaturalibus, aut acquisitis. Hanc hominis conditionem statum naturæ vocat. Nec pronuntiat quòd homo non fuerit anteà animal quoddam inferioris speciei, quod lapsu temporum perfectius effectum fuerit. Quidquid sit, homo in statu naturæ sibi solus sufficit, nec indiget societate cum cæteris ineundâ, plurimis maximisque difficultatibus à societate prohibetur, adeò ut vix excogitari possit quomodò tandem in societate convenerit. Hæc probare nititur Russæus, considerando hominem tum quoad necessitates physicas, tum quoad facultates morales.

* 1° Quoad necessitates physicas, perpaucæ adsunt, facillimèque possunt expleri. Factitiæ enim sunt plurimæ necessitates hodiernæ et illæ e societate artibusque ducunt originem. Omnes in statu naturæ viribus valent; intereunt enim qui infirmi nascuntur. Vires augentur firmanturque exercitatione quâ vita cuique adversùs feras tuenda est. Palato in gustu non erudito sufficiunt cibi obvii, poma silvestria aut glandes quæ fert ultrò inculta tellus. Artibus non indiget homo, ne iis quidem quæ maximè necessariæ habentur; easque vix excogitare posset; ut enim viribus corporeis viget; ità et torpet ingenio. Hominem natura non condidit ut meditationi et cogitationi vacaret. « J'ose « presque assurer, inquit J. J., que l'état de réflexion est « un état contre nature, et que l'homme qui médite est « un animal dépravé. » (P. 89.) Infans paternâ curâ non indiget, huic materna sufficit donec ipse alimenta sibi comparare valeat. Viro nulla cæterorum indigentia. Perpauci accidunt morbi, quùm ferè omnes oriantur ex societate, artibus, luxu et meditatione. Provecta diùque viridis senectus tandem conficitur, deficientibus absque ægrotatione viribus.

* 2° Facultatibus moralibus homo differt à brutis, ille enim animam habet spiritalem, quùm liber sit, prætereàque à brutis præcipuè discrepat, eò quòd perfici possit. Perfectibilitas autem humana omnibus miseriis quibus homo subjacet causam originemque præbet. Quamvìs homo perfici queat, ejus tamen perfectioni maxima impedimenta opposuit natura. Primum est quòd homo silvaticus providentiæ, curiositatis, imaginationis, cupiditatum expers, ad progrediendum non incitatur. Deindè adinventa, si quæ fiant, ad cæteros transmitti nequeunt, quùm vitam segregem omnes agant, absque ullo inter se

societatis consortio, et insuper præsertimque sermone careant. Cæteris adinventionibus præire debuit sermonis adinventio. At quot huic obstant impedimenta! Sermo ipse videtur necessarius fuisse, ut inveniretur sermo.

* Virtutis vitiique pariter expertes erant homines, quùm nullis inter se relationibus jungerentur. Virtutes vitiaque in societate nascuntur. Atverò quæri potest an melius sit hominem factum fuisse virtutibus colendis idoneum, simulque vitiis obnoxium, quùm multò plura inter homines vigeant vitia quàm virtutes. Homo non nascitur cæteris infensus, ut contendit Hobbesius; ille econtrà à naturâ mitis est. Nullus status paci servandæ potior, quàm status naturæ, minor enim adest cupiditatum et commodorum pugna. Homo silvaticus à malefaciendo potiùs ignorantiâ mali prohibetur, quàm virtutis notione aut legum præscriptis. Independentiam suam vindicandam non habet, vitam enim ab omni dependentiâ liberam agit, ex quo viribus validus effectus est. Ipsi inest commiserationis sensus quo proprius amor satis compescitur. Ipsi hanc regulam natura indidit : *Provide tibi cum damno cæterorum quàm minimo,* quæ minùs quidem perfecta est quàm ista recentiorum regula : *Erga cæteros tu eodem modo agas, ac ipse tu vis illos erga te agere;* sed quæ longè utilior est.

* Demùm quùm perfectibilitas cæteræque virtutes ad societatem spectantes quæ homini potentialiter inerant, in lucem ex se prodire nequeant, necesse fuit ut plurimæ causæ extrinsecæ fortuitò concurrerint, ut homo perficeretur, et à statu naturæ in societatem constitueretur. Ut causas illas excogitet et exponat, incassum desudat sophistes genevensis, in posteriori orationis suæ parte.

* Scilicet primùm diversæ necessitates physicæ homi-

nem coegerunt ut variis conatibus corpus exerceret. Deindè quùm in varias regiones discessissent homines, locorum tempestatumque diversitatibus adducti, varia sibi debuerunt conficere instrumenta victui comparando apta, aut hamos ut pisces caperent, aut arcus et sagittas quibus feras configerent. Pellibus nudum corpus adversùs hiemis frigora protexêre. Ignem ex fulmine aut ex aliquo vulcanio monte acceperunt.

* Intereà evolvitur humanus intellectus. Post sensationes quibus anteà tantùm instructus fuerat, quarumdam relationum perceptiones acquirit. Indè judicat cæteros homines iisdem ac se sensibus affici, paresque concipere rerum ideas. Suâ ipsiusmet experientiâ homo edoctus propriorum commodorum studium unicum esse singulis incitamentum ut agant, conjicit exindè quâ viâ sibi utendum sit ut e cæteris utilitatem et commoda percipiat.

* Hæc omnia fieri potuerunt absque vocibus articulatis. Gestibus sonisque inarticulatis junguntur voces articulatæ ex convento, cujus, inquit ipse Russæus, vix explicari potest institutio. Sic efformatæ sunt linguæ primitivæ.

* Exindè majores celerioresque succedunt progressus; nascitur societas domestica; incipit jus dominii; familiæ in gentem consociantur, adinveniuntur artes, quas inter duæ præcipuum locum tenent, nempè ars fabricandi metalla et ars colendi agros; augetur ex iis conditionum inæqualitas.

* Natis juribus, erumpunt mala, injustitiæ, lites, violentia, bella, tyrannica potestas, vixque ulla libertatis felicitatisque pristinæ vestigia supersunt. Quo ordine sibi succedant tàm lugendi eventus, qui gradus interpositi fuerint inter nascentem exiguamque auctoritatem magistratuum, et absolutam, arbitrariam tyrannicamque po-

testatem, narrat suo modo fabulator genevensis. Hunc autem longiùs non sequemur; hæc enim jam ad præsentem scopum nostrum non attinent: nunc tandem tempus adest ostendendi hominem ad societatem à naturâ destinatum fuisse.

THESIS.

§ III. *Homo ad societatem congenitus est.*

Argumentum primum, historicum.

Illa hypothesis rejicienda est, quæ contradicit omnibus historiæ monumentis: atqui hypothesis hominum pecudum more in silvis, absque ullo inter se societatis consortio viventium, contradicit omnibus historiæ monumentis. Omnes enim historicorum conscriptorum aut viatorum narrationes exhibent homines, etiam maximè barbaros, sermone præditos, præceptis morum numinisque cultu non carentes, et aliquâ inter se societate conjunctos. Sic Moyses, cui fides adhibenda est, saltem tanquàm veridico historiæ conscriptori, homines ab origine exhibet sermone utentes et inter se sociatos. Populorum antiquissimi, Assyrii, Ægyptii, etc., nunquàm perhibentur absque societate vixisse. Populi verò silvatici qui adinventi sunt sive priscis, sive recentioribus temporibus, non tamen sermone omnique prorsùs inter se societate carebant; ergò, etc.

Argumentum secundum, ex naturâ hominis.

Illud admittendum est, quod probant hominis conditio, facultates et propensiones: atqui tria hæc probant hominem esse ad societatem congenitum.

1° *Quidem hominis conditio.* Sive enim puer, sive adolescens, sive vir, sive senex, homo cæterorum auxiliis

indiget, ob varias tum corporis, tum animæ necessitates, ut cuique patet.

2° *Hominis facultates* id etiam requirunt, quippè quæ institutionis ope evolvuntur documentisque perficiuntur; quæ prætereà societati copulandæ aptissimæ sunt; societate autem sublatâ, prorsùs inutiles evadunt. Sic inutilis evaderet facultas varios animi sensus voce, vultu, gestibus, aliisque signis externis exprimendi.

3° Idem demonstrant *propensiones* omnibus ingenitæ. Nempè nobis tædium affert solitudo; dolorum lætitiæque causas in aliorum sinum effundimus; nobis famam comparandi inest maxima cupiditas; miseris compatimur, opem et solatium, naturâ impellente, præbemus, etc. Atqui hæc omnia probant nos esse in societatem ineundam naturâ propensos. Ergò, etc.

* § IV. *Alia argumenta.*

* *Argumentum tertium, ex existentiâ societatis.*

* Societas existit : atqui tamen societas nunquàm existere potuisset, si homo conditus fuisset qualis eum fingit Russæus. Homo enim ille belluis est inferior tum ratione corporis, tum ratione instinctùs quo carere videntur infantes, tum ratione intellectûs quem omninò sopitum supponit Russæus. Homo quidem perfectibilis est et hâc parte belluis præstat; sed tanta obstant perfectibilitati ejus impedimenta, ut nullo modo ex se progredi queat. Homo non incitatur ad quærendum statum perfectiorem, artes ille excogitare nequit, sermone caret, nec ille sermonem adinvenire potest; et, si illum adinvenisset, at saltem nunquàm potuisset illum edocere cæteros. Hæc omnia agnoscit docetque Russæus, tantaque copulandæ societati congerit impedimenta, ut deindè cogatur supponere fortuitum intellectuque majorem concursum plu-

rimarum causarum externarum, ad explicandum quomodò societas paulatìm efformata fuerit. Atqui fictio ista nón potest tollere impedimenta quæ societati obstant. Supponit enim Russæus homines ad progressum incitatos fuisse variis circumstantiis quæ tamen illos priùs non incitaverant; supponit homines proprio ingenio excogitâsse artes, adinvenisse sermonem, hunc deindè tradidisse cæteris, in societatem denique ineundam consensisse et convenisse. Atqui hæc omnia contradicunt iis quæ anteà supposuerat; ergò, etc.

* Et verò vel homo potuit e statu naturæ ad societatem transire, vel non. Si potuit, cur rem tanquàm impossibilem in priori parte orationis suæ exhibet Russæus? Si non potuit, cur rem tanquàm possibilem idem exhibet in posteriori orationis ejusdem parte?

* Præterea agnoscit Russæus necessarias fuisse causas externas ut homo in societatem coalesceret. Cur igitur non agnoscit hominem fuisse ab ipso creatore in statu societatis constitutum, quùm ex unâ parte status naturæ sit gratuita tantùm hypothesis; et ex alterâ necessaria fuerit causa externa ut efformaretur societas? Quare non agnoscitur actio causæ illius externæ ab ipsâ hominis origine, invocaturque hypothesis chimerica, quâ augerentur frustrà difficultates? Cur demùm supponitur Deum casui fortuito commisisse societatem copulandam, quasi potuisset sapiens providusque generis humani conditor operis sui curam negligere et abjicere, ut incerto et cæco nescio cui causarum fortuitarum concursui hominem permitteret?

* *Argumentum quartum, ex absurdis et inhonoris opinionis adversæ consectariis.*

* Sequeretur homines à naturâ destinatos fuisse ut in

silvis ferarum more vitam segregem ducerent; intellectum excolendum non esse, liberalibus disciplinis, scientiis, artibus, nullam impendendam esse curam, hominem qui meditatur esse animal depravatum; perfectibilitatem hominis hunc et pejorem et miseriorem efficere; hominem non conditum fuisse ut Deum agnosceret coleretque, ut virtutes sectaretur, vitia autem effugeret, ut demùm æternam consequeretur beatitudinem; homines nasci ab omni prorsùs dependentiâ liberos, naturæ adversari obedientiam qualemcumque; nullum esse jus naturale, nullum jus dominii, nisi ex hominum institutione : atqui hæc omnia consectaria quæ admittit Russæus adeò absurda sunt et recto sensui adversa, ut seriâ confutatione non indigeant.

* Et verò quid vetat societati valedicere, ab hominum consortio recedere, silvas repetere, glande vesci, inter feras ursosque commorari eum qui, dignitatis humanæ contemptor, se bestiis similem conditum fuisse existimat? Quanta humano cordi vecordia, ut ille quem Deus *minuit paulò minùs ab angelis et constituit super opera manuum suarum* (Ps. VIII, v. 6.), germanum se belluarum esse contendat, vitæ illarum consimilem vitam ducere, parem vitæ exitum consequi appetat! *Homo, quùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis!* (Ps. XLVIII, v. 21.)

§ IV. *Solutio objectionum.*

Objicies 1° Natura hominem condidit ut in eo statu viveret, in quo valetudine integrâ facilius certiùsque frueretur : atqui valetudini plurimùm nocet societas, favet autem status naturæ. Certissimis enim constat experimentis : 1° corpus humanum in statu solitudinis robustius

esse ac valentius; 2° ex societatis commercio, tanquàm ex pestifero fonte, infinitos propemodùm morbos scaturire; indè fit ut homines silvatici constanti valetudine fruantur, quia vitam agunt naturæ viciniorem; ergò, etc.

Resp. 1°. *Nego majorem.* Natura hominem non condidit tantùm ut corpus valetudine frueretur, sed et ut animæ facultates et virtutes excoleret Deoque serviret. Imò hic est præcipuus finis à naturâ intentus; illius enim partis perfectionem in primis intendit, quæ dignitate præstat, et proindè animæ perfectionem. Indè sequitur nos destinatos fuisse ut in eo statu viveremus, in quo magis excoluntur perficiunturque animæ facultates; non autem præcisè ut viveremus in statu qui valetudini servandæ et augendæ magis accommodatus est.

Resp. 2°. *Nego minorem.* Valetudini non ipsa societas nocet, sed pravitas hominum qui societate abutuntur. Reverà homines eâ mente societatis civilis fœdus inierunt, ut conjunctis viribus mutuæ felicitati efficaciùs allaborarent; aut potiùs eo consilio divina Providentia ad societatem nos destinavit. Quùm autem optima quæque pravis hominum affectibus corrumpi soleant, deinceps accidit ut homines, secum invicem colligati, non tantùm vitæ necessaria, sed ea etiam quæ vividiorem voluptatis sensum provocant, studiosiùs inquirerent. Hinc artes explendis cupiditatibus accommodatæ majori pretio habitæ sunt, quàm eæ quæ ad usus necessarios pertinerent. Indè emolliti animi; indè enervatæ corporis mentisque facultates; indè luxuriæ pestis tot morbos, tot calamitates, in genus humanum invexit. Nec tamen concludendum societatem civilem ex naturâ suâ humanæ valetudini nocere : exstiterunt enim, et hodiernis etiam temporibus existunt civi-

tates benè moratæ, e quibus exsulant quos deploramus societatis abusus.

Objicies. 2°. Societas omnibus cupiditatibus præbet originem, innumeris vitiis et sceleribus januam aperit; ergò homo ad societatem destinatus non est.

Resp. Nego antecedens. Cupiditates enim suam in ipso pectore humano sedem habent et originem; nobiscum nascuntur et adolescunt. Quâ rerum conditione semel positâ, et natura hominem non destinavit ad eum statum in quo cupiditatibus vacaret vitamque duceret se gregem, omnis vitii, sed et simul omnis virtutis expertem. At econtrà exiudè concludendum est naturam hominem ad eum statum destinasse, in quo ipsi plurimarum virtutum præberetur occasio. Reverà quùm homo sit liber, non potest ei præstari occasio virtutis colendæ, quin eo ipso vitii simul occasio eidem præbeatur. Debuit igitur provida natura homines in eo statu constituere, in quo cupiditates frenarentur, vitia cohiberentur, et ad virtutes sectandas quisque incitaretur. Jam verò manifestum est statum socialem in quo vigent leges, et pœnæ adversùs earum violatores sunt constitutæ, reprimendis cupiditatibus aptiorem ésse, et proindè naturæ hominis magis accommodatum, quàm statum naturalem in quo pariter existerent cupiditates nulloque freno continerentur. Quòd si cum cive genevensi fingatur status naturæ in quo neque ingenium suum disciplinis liberalibus excolunt homines, neque facultates morales evolvunt, nullam distinctam habent veri et falsi, justi et injusti notionem, nullum Creatori cultum exhibent; in præsentibus toti, nec præterita recordantur, nec futura prævident; denique in toto vitæ decursu brutis animantibus haut absimiles videntur; quis non agnoscat talem conditum non fuisse ho-

minem, illumque omnibus facultatibus, omnibus virtutibus et dignitate spoliari; ut tollantur vitia, facultates humanas non dirigi ad excolendas virtutes; sed ipsam virtutem tolli et annihilari omnes humanæ animæ facultates? Quis verò societatis incommodis ità moveatur ut turpissimam hanc brutorum animalium conditionem invideat?

Objicies. 3°. Societas juri naturali adversatur, ergò homo non est ad societatem natus.

Resp. Nego antecedens. Societas ad hoc instituta est ut econtrà jus naturale servetur. Ad hoc enim tendunt legislatorum decreta principumque auctoritas, ut cohibeant humanas cupiditates, quatenùs illæ juri naturali adversatur. Ergò, etc.

Inst. 1°. Ex jure naturali quisque ab omni auctoritate est independens : atqui huic absolutæ independentiæ adversatur societas; ergò ipsa adversatur juri naturali.

Resp. Nego majorem. Quod enim suadet ratio et providentiâ divinâ institutum fuit, non adversatur juri naturali : atqui talis est dependentia socialis, ut fusiùs in numero sequenti ostendemus. Ergò, etc.

Inst. 2°. Homines jure naturali sunt æquales; ergò et ab omni dependentiâ liberi. Ergò, etc.

Resp. Distinguo antecedens. Homines jure naturali sunt æquales, eo sensu quòd eamdem habeant naturam, originem et destinationem, *concedo antecedens :* eo sensu quòd contra hominis naturam sit ut alter ab altero pendeat; *nego antecedens.*

Itaque eo quidem sensu omnes homines sunt jure naturali æquales, quòd communem habeant naturam, originem et destinationem. Omnes enim acceperunt mentem intelligentiâ et voluntate præditam, omnes eumdem auc-

torem agnoscunt, omnes ad eamdem felicitatem destinati sunt. Undè fit ut genus humanum sit veluti ingens familia per totum orbem diffusa, cujus omnia membra ejusdem naturæ cognatione quasi fraternitatis vinculo colligantur.

Nequaquàm verò dici potest omnes homines jure naturali æquales esse, eo sensu quòd ipsorum natura non ferat ut alter alteri subjiciatur. Sunt enim apud homines legitimæ quædam causæ propter quas alter ab altero pendeat. 1° Ipsa nascendi conditio parentibus liberos submittit, idque omni tempore et loco natura docuit. Nec dicatur cum cive genevensi tandiù tantùm permanere liberorum dependentiam à parentibus, quandiù infantes eorum curâ indigent. Nos enim edocet rectus animi sensus liberos per totam vitam erga parentes reverentiam et plerùmque obedientiam servare debere. 2° Nullo modo explicari posset quomodò potuisset efformari societas, quomodò servaretur, quo fonte originem accepissent privatorum jura, nisi homo ipsâ naturâ edoctus fuisset auctoritatem regentis societatem alienaque jura agnoscere. Ergò, etc.

Objicies. 4°. Si homines ad societatem nati sunt, quisquis in solitudinem se recipit adversatur divinæ Providentiæ intentioni : atqui illud absurdum est, totque excellentibus et religiosis viris injuriosum, qui, ut Deum possiderent, urbes suosque deseruerunt. Ergò, etc.

Resp. Nego majorem. Sunt enim qui societatis hominumque consortium fugiunt rectâ rationabilique intentione ducti. Reverà contra divinæ Providentiæ intentionem peccaret quisquis sese ab omni prorsùs societate segregaret ut ferarum more silvestrem vitam ageret, secundùm Russæi placitum : ille enim triplici ex parte reprehendendus esset, quòd nempè Dei cultum negligeret, in cæ-

teros homines nihil utilitatis conferret naturæque humanæ injuriam inferret, sese ad bestiarum statum deprimendo. Porrò longè aliter sentiendum est de viris erga Deum piis qui religiosæ aut solitariæ, monachorum aut anachoretarum more, vitæ instituta amplectuntur. Ii enim ex eo vitæ genere perfectiùs certiùsque omnia officia quibus tenentur, tum erga Deum, tum erga proximum, tunc erga seipsos adimplent. Tum enim Dei cultui liberiùs vacant, abjectâ omni seculari curâ. Tum etiam humanæ societati civibusque multùm utilitatis conferunt. Non enim existimandum est societatem non indigere nisi auxiliis materialibus : verùm etiam et maximè indiget societas ut numen placabile reddatur precibus piacularibusque operibus quibus vacant homines pii à societate eo potissimùm fine segregati. Indiget deindè multùm societas ut à cupiditatibus abducantur homines adhortationibus et exemplis, et utrumque præstare solent viri religiosi. Demùm ipsi plurima auxilia omnis generis societati sæpissimè contulerunt, quùm nempè litteras scientiasque soli excolerent, quùm veterum libros asservarent manibusque conscriberent, quùm denique societati in quâlibet necessitate constitutæ paratissimi semper accurrerent. Tum demùm officia erga se ipsos adimplent, cupiditates enim coercendo, virtutes sectando, Deum colendo, naturæ humanæ majorem dignitatem addunt, omnesque animæ facultates perficiunt.

§ V. *Corollaria.*

Primum. Sequitur ex thesi hominem destinatum esse tum ad societatem domesticam, tum ad societatem civilem. Ad domesticam quidem, quùm infans nequeat vivere absque parentum auxilio, et insuper humani affectus in eam societatem nos impellant. Престереà ad societatem civilem destinatus est, tum ob propensiones naturæ humanæ,

tum eò quòd societas domestica stare non posset, nisi auctoritate legum et principium protegeretur.

Secundum. Quùm majus bonum minori sit anteferendum, sequitur privatam utilitatem publicæ utilitati postponendam esse. Quocircà singuli, quantùm necessitas postulabit, debent societatis domesticæ bono se addicere; et societatis publicæ saluti sese et ipsam societatem domesticam, si opus fuerit, devovere. Quantò magis clericus *omnia et seipsum superimpendere totum* debet pro communi Ecclesiæ Christi bono!

Tertium. Salutis tamen æternæ cura omittenda non est ut aliqua societati domesticæ aut civili aut Christianæ conferatur utilitas, tum quia salus animæ et utilitas societatis ejusdem naturæ non sunt, et præstat animæ salus quantocumque naturali bono; tum præsertim quia salus animæ non amittitur nisi perpetrando aliquid mali : porrò nullum unquàm malum peragere licet ut aliquid boni consequatur, quantumcumque sit bonum illud. Etenim *non sunt facienda mala ut eveniant bona.*

NUMERUS II.

DE SOCIETATE DOMESTICA.

§ I. Opiniones. — * § II. Fusior expositio. — § III. Thesis prima. — * § IV. Fusiùs probatur 1ª pars. — § V. Thesis secunda. — § VI. Thesis tertia. — § VII. Solvuntur objectiones. — § VIII. Corollaria.

§ I. *Opiniones.* Societas domestica complectitur societatem conjugalem, paternam et herilem. Non desunt autem recentioribus temporibus qui triplicem hanc societatem, et proindè omnem societatem domesticam solvant, ad restaurandam, ut opinantur, societatem civilem. Utopiæ istius propugnatores, inter quos numerantur Sansi-

moniani, Carolus Fourier, Robertus Owen aliique, Socialistarum nomen accipiunt.

* § II. *Fusior expositio.*

* Hæc sunt eorum placita.

* 1° Isti contendunt societatem domesticam nihil aliud esse præter liberum hominum institutum, et proindè illud mutationi esse obnoxium. Hanc societatem anterioribus seculis congruentem fuisse, eò quòd, ad eum societatis statum transeundo, homines reverà in melius progressi fuerant. Sed illos ab eâ jam percepisse quidquid hæc utilitatis conferre potest; nunc verò illam obstare humanitatis progressioni, et proindè ad aliquid perfectius assurgendum esse.

* 2° Societas domestica societati publicæ valdè est noxia, quamdiù enim aderit societas domestica, domestici affectus publicæ caritatis locum occupabunt. Prætereà, quot diversæ numerantur familiæ, tot adsunt in societate publicâ societates privatæ quibus suæ sunt opiniones, affectiones, consuetudines, agendirationes, sua bona, sua commoda : porrò exindè fit ut non omnes in commune placitum bonumque conspirent. Hinc solvenda est societas conjugalis simulque societas paterna, mulieres in promiscuo habendæ sunt, liberorum cura et educatio genitoribus non committenda, sed societatis publicæ rectoribus. Eadem longè antè eos docuerat Plato de republicâ scribens.

* 3° Non eâ tantùm parte societatem conjugalem impugnant; sed insuper eam reformandam esse docent eò quòd gravior sit nexus indissolubilis quo conjuges apud nos conjunguntur. Fieri enim potest ut refrigescat mutua inter eos caritas, ut detegantur pravitas aliqua indolis aut alia quædam vitia quibus intolerabile efficiatur matrimonii jugum. Quæ si locum habeant, fidem irrevocabili consensu

obligatam sequitur pœnitentia tarda et inutilis desperatioque, nisi concedatur conjugibus facultas sibi mutuò promissi fidem remittendi, et uterque pristinæ libertati restituatur.

* 4° Sublatâ societate conjugali, mulieribus in promiscuo datis, liberisque reipublicæ commissis, tollitur jus hæreditarium. Nullus enim tunc pater est qui proprios natos habeat. Reverà, ut jam in Ontologiâ diximus, somniati sunt Sansimoniani societatis institutum, in quo societatis rectores patris nomen auctoritatemque haberent, in quo munera cuique pro dotibus et merito distribuerentur rependerenturque bona pro labore. Exindè sequitur singulis tradenda fore bona usuario jure possidenda, non hæreditario transmittenda.

* 5° In societate conjugali qualis existit inter nos, uxoribus mariti imperant. At emancipatas esse uxores Sansimonianis placet, id est, eas maritis constitui juribus omninò pares. « Parmi nous, plus de priviléges de sexe et « de naissance : l'inférieur n'est plus l'esclave du supé- « rieur, ils sont associés; l'homme n'est plus le maître de « la femme, ils sont mariés; un peuple n'est plus le tribu- « taire d'un autre peuple, ils forment une seule famille; « car Dieu est tout ce qui est. » (*Religion saint-simonienne, communion générale*, p. 32; Paris, 1831.)

* 6° Tollitur et societas herilis in novo Socialistarum systemate. Quùm enim perfectam inducant æqualitatem quoad jura, nec ullam agnoscant superioritatem, præter ingenii viriumque excellentiam, sequitur illum duntaxat jure præesse, qui viribus aut ingenio prævalet. Porrò fieri potest ut famulus hero præstet; imò si herus famuli operâ indiget, ille igitur inferior est famulo, nedùm huic imperandi jus habeat. Nulli igitur ampliùs agnoscendi sunt

heri, nulli servi aut famuli; omnes verò pares sunt, et societate fraternâ conjuncti.

THESIS PRIMA.

§ III. *Societas conjugalis tolli nequit, et rerum naturæ maximè consentaneum est quòd ejus vinculum indissolubile sit.*

Probatur prima pars, scilicet societatem conjugalem tolli non posse. Tolli nequit societas conjugalis, modò ipsa non sit institutum humanum ducatque originem ex affectionibus naturæ humanæ, conjugibus sit necessaria, itemque liberis et societati civili : atqui talis est reverà societas conjugalis.

Ipsa namque invenitur apud omnes populos, et Deus hanc instituisse perhibetur in libris sacris; ipsa natura mutuam affectionem conjugibus indidit; positâ societate conjugali, conjuges sibi mutuam opem afferunt, physicis liberorum necessitatibus faciliùs occurrunt et educationi curam impendunt, arctioribusque vinculis reipublicæ devinciuntur; ergò, etc.

§ IV. *Fusiùs probatur* 1ª *pars.*

* Hæc autem paulò fusiùs sunt evolvenda, minorque probanda est per partes.

* 1° *Quidem societas conjugalis non est humanum institutum.* Ex historiâ sacrâ, Deus ipse matrimonii primum fuisse institutorem constat. Constat autem ex historiâ profanâ plerosque populos societatem conjugalem retinuisse. Si qui exhibentur populi quos legislatores à concubitu vago prohibuerunt, pauci numerantur, ipsi ad tempora mythologica plerumquè pertinent, et potiùs habendi sunt tanquàm degeneres à pristinæ societatis statu, quàm ab exordio soluti ab omni conjugali vinculo viventes. Atverò apud gentes antiquiores, illustriores et in omni scientia-

rum genere provectiores, ut Assyrios, Ægyptios, etc., semper viguit societas conjugalis : atqui hæc omnia probant matrimonium non institutum esse ab hominibus, sed ab ipso generis humani conditore. Institutum enim humanum non adeò universale apud antiquissimas gentes inveniretur; hujus instituti auctor, tempus, modus assignari possent; demùmque opinio adversariorum supponit homines primitùs in statu naturæ vixisse et indè ad statum societatis progressos fuisse, quod quidem monumentis historicis confirmari nequit, et rationi prætereà adversum est; ergò, etc.

* 2° *Societas conjugalis radicem habet in affectionibus naturæ humanæ.* Reverà naturæ humanæ congruum est conjuges mutuâ inter se affectione conjungi, patres matresque liberos vivido affectu diligere, liberosque vicissim mutuum amorem parentibus rependere : atqui tales esse nequeunt humanæ naturæ affectiones, quin simul societate conjugali homines inter se conjungantur. Ergò, etc.

* 3° *Conjugibus necessaria est societas conjugalis,* tum ut mutuam sibi præstent opem mutuumque inter vitæ hujus ærumnas solatium, tum ut humanæ conditionis servetur dignitas. Quid enim hominum dignitati magis inimicum, quàm pecudum more concubitu vago conjungi : et, ut Platoni placet, omnes matres in unum gregem colligi; custodes præpositos nutriendis infantibus hos ad matres tempore competenti simul adducere ut ad mammam admoveantur, eosdemque curare ne ullus natus à propriâ genitrice agnoscatur? Quid sensibus naturæ maternoque affectui magis adversum? Ergò, etc.

* 4° *Liberis etiam necessaria est societas conjugalis,* tum quia necessitatibus physicis natorum vix subvenire posset mater sola, absque conjugis auxilio, tum quia ne-

cessitatibus physicis adjunguntur necessitates morales : non enim solùm alendi, sed et instituendi sunt infantes, necesseque est ut uterque parens rei tanti momenti operam communem impendat, quod quidem fieri nequit, nisi societas conjugalis per multos annos perseveret, tum demùm quia non absque causâ utrique parenti prolis amorem natura indidit, sicque demonstrat à neutro deserendos esse natos. Ergò, etc.

* 5° *Demùm societati publicæ pariter necessaria est societas conjugalis.* Quid enim cives strictiori vinculo reipublicæ devinctos et pro communi salute se devovere paratos magis efficit quàm familiæ caritas? Quid magis incendit militantium animos quàm cogitatio quòd pro tuendâ re familiari, pro laribus et focis, pro uxoris liberorumque vitâ dimicatur? Quâ verò potiori ratione ad promovendum commune bonum inducuntur, quàm si noscant publicæ utilitati suam suæque familiæ utilitatem conjungi. Tollatur autem societas conjugalis, tollantur paterni in conjugem et in liberos affectus, nùm in rempublicam conferent caritatem curasque quas familiæ impendebant? Minimè quidem; sed sibi solis singuli providebunt, labori non incumbent, nisi quantùm oportuerit ut propriis necessitatibus occurrant; nec matres, nec infantes, nec senes, nec infirmos quoscumque alere suum esse ullus jam existimabit, et reipublicæ rectoribus violentiâ tyrannicâque potestate utendum erit ut cogantur cives ad præstandam opem his omnibus quorum nutriendorum cura reipublicæ commissa fuerit. Ergò, etc.

Probatur secunda pars, scilicet naturæ rerum maximè consentaneum esse quòd conjugale vinculum indissolubile sit. Illud enim postulat tum conjugum, tum liberorum utilitas.

1° *Quidem id postulat conjugum utilitas.* Datâ enim conjugibus facultate disjungendi fœderis conjugalis ex consensu mutuo, jam nulla superest via illos prohibendi à concubitu vago; ex licentiâ dissolvendi connubii nascitur hujus cogitatio desideriumque; quòd si unus e conjugibus separationi consensum præstare renuat, brevi consensus ille sævitiis aut aliis viis extorquebitur; intereà uterque ut sibi in posterum provideat peculium e re familiari conflat. Quid verò concordiæ bonoque conjugum magis adversatur? Ergò, etc.

2° *Id etiam postulat liberorum utilitas.* Cui enim liberorum cura, solutâ familiâ, committetur? Quis jam affectus parentum in natos, quùm ipsi nullâ ampliùs dilectione mutuâ teneantur? Quodnam virtutis exemplum accipient pueri e parentibus libidinibus deditis? Quid liberis miserabilius quàm illos alterutro aut utroque orbari parente, et orphanos esse, viventibus licèt genitoribus? Ergò, etc.

THESIS II.

§ V. *Viro natura commisit auctoritatem in uxorem, et utrique parenti auctoritatem in liberos.*

Probatur prima pars, scilicet viro naturam commisisse auctoritatem in uxorem. Vir enim viribus corporis et dotibus mentis præstat mulieri, ipse labore suo quæ familiæ necessaria sunt suggerit, illam animi fortitudine tuetur, ipse firmioris est indolis, prætereàque omnes populi consentiunt in agnoscendâ viri superioritate; ergò, etc.

Probatur secunda pars, scilicet utrique parenti naturam commisisse auctoritatem in liberos. Nam liberi indigent auctoritate paternâ; parentes enim pollent viribus, sapientiâ, prudentiâ, animi fortitudine, dùm econtrà

infantes infirmi sunt, experientiâ carent, levitate animi perpetuò moventur, nec se ipsos regere valent. Acceptorum deindè à parentibus beneficiorum memoria eos paternæ auctoritati subditos esse jubet, quandiù rationi non adversatur paternum imperium; ergò, etc.

THESIS III.

§ VI. *Famulatus non est æquitati adversum.*

Probatur. Æquitati enim non est adversum ut qui stipendia accipit, stipendium mereatur laborando et parendo stipendium danti. Ergò, etc.

§ VII. *Solvuntur objectiones.*

Objicies primò, contra primam thesim. Societas conjugalis est hominum institutum, ergò tolli potest.

Resp. Nego antecedens. Societas humana radicem habet in humanæ naturæ sensibus et affectibus; ergò, etc.

Inst. 1°. Homines primitùs vixerunt in statu naturæ ab omni lege connubii soluti; ergò societas conjugalis est humanum institutum.

Resp. Nego antecedens. Hypothesis enim ista nullo historiæ testimonio comprobatur. Ergò, etc.

Inst. 2°. Etiamsi homines nunquàm vixissent in statu naturæ, non sequitur tolli non posse societatem conjugalem; ergò, etc.

Resp. Nego antecedens. Sequitur enim societatem conjugalem ex ipsius naturæ voto oriri; atqui tolli nequit quod ipsa natura jubet; ergò, etc.

Inst. 3°. Modò servetur finis à naturâ intentus, mutari potest institutionum forma, ubi postulat humani generis progressio : atqui, sublatâ societate conjugali, servari potest finis à naturâ intentus, et humani generis progres-

sio reverà postulat ut tollatur societas conjugalis; ergò, etc.

Resp. 1°. *Transeat major;* non conceditur, ne sint institutiones adeò fundatæ in naturâ rerum, ut nullo quocumque majoris perfectionis prætextu tolli possint.

Resp. 2°. *Nego minorem, quoad utramque partem.* Sublatâ societate conjugali, non satisfit naturæ humanæ affectionibus; nec progressio vocari debet quod homines brutis viciniores efficit; ergò, etc.

Inst. 4°. Finis à naturâ intentus in societate conjugali est liberorum procreatio et educatio : atqui finis ille pariter obtineri potest, sublatâ societate conjugali; ergò, etc.

Resp. 1°. *Nego majorem.* Non solùm natura intendit in societate conjugali liberorum procreationem et educationem; sed etiam, ut in thesi exposuimus, hominis dignitatem, bonum conjugum et societatis publicæ; ergò, etc.

Resp. 2°. *Nego minorem.* Ostendimus enim etiam in thesi societatem conjugalem liberorum utilitati magis accommodatam esse; ergò, etc.

Inst. 5°. Perpetuò progredi debet genus humanum; ergò, etc.

Resp. 2°. *Distinguo antecedens.* In melius, *concedo;* in pejus, *nego.* Numquid oportet, ne genus humanum in eodem statu immoretur, ut moveatur contra naturam? Numquid refici potest humana natura? Nùm tollendi erunt omnes sensus humani et homo brutis similis efficiendus erit, sub progressionis prætextu? Non desperandum igitur quin aliquandò homines videamus aversùm, astacorum more euntes, aut pedibus manibusque incedentes, aut pectore reptantes : quid enim refert quorsùm moveatur hominum genus, modò homines stabiles non remaneant; ergò, etc.

Objicies secundò, contra eamdem thesim. Reipublicæ utilitati noxia est societas conjugalis; ergò, etc.

Resp. Nego antecedens, propter rationes in thesi nostrâ allegatas.

Inst. Postulat reipublicæ utilitas ut in commune placitum bonumque conspirent omnes : atqui quandiù remanebunt societates privatæ intra rempublicam, tot erunt sensus et commoda diversa quot societates privatæ; ergò, etc.

Resp. 1°. *Distinguo majorem.* Modò placitum commune sit rationi consentaneum et bonum reipublicæ illæsâ æquitate promoveatur, *concedo majorem; secùs, nego.* Nunquàm enim communi placito assentiendum est, nunquàm ipsius reipublicæ promovenda est utilitas, quidquam agendo contra rationis aut æquitatis leges; reipublicæ enim legibus præstant æterna recti et æqui placita, et, uti jam diximus, non sunt facienda mala ut eveniant bona. Numquid tyrannicam dominationem in ipso intellectu exerceri volunt? Ergò, etc.

Resp. 2°. *Nego minorem.* Ostendimus enim in thesi nostrâ nihil magis incitare cives ut reipublicæ opem præstent et in commune bonum quidquid in se est conferant, quàm si in id privatæ utilitatis consideratione ferantur. Homines enim accipiendi sunt quales eos natura comparavit. Non sunt constituendæ leges pro lunæ incolis, sed pro hominibus quales his in terris deprehenduntur. Porrò non inest hominum pectoribus tanta patriæ caritas ut semper sui omninò obliviscantur seque devoveant pro republicâ, nisi aliquid utilitatis propriæ indè se accepturos esse sperent. Sunt enim homines propriorum commodorum studiosi. Et verò inest hominibus patriæ caritas, sed patria non est res abstracta aut vox sonora tantùm, cæterùm verò

nomen sine re; patria non est duntaxat solum, sed quidquid hominis affectus detinet, parentes, uxor, liberi, penates, cives, amici, et ipsi avorum cineres. Hæc sunt quæ homines pios in patriam efficiunt, hæc sunt pro quibus eos se devovere paratos invenies. Utilitas communis, quid est nisi singulorum utilitas? Ne igitur objiciantur patria, respublica, bonum commune, magna certè nomina, sed sensu vacua, nisi privatorum utilitas communi utilitati conjuncta sit. Ergò, etc.

Objicies 3° *contra eamdem thesim.* Tolli debet connubii indissolubile vinculum; ergò, etc.

Resp. Nego antecedens, propter rationes in thesi allegatas.

Inst. 1°. Fieri potest ut conjugatos facti pœniteat et ipsi vitam miseram ducere cogantur, nisi solvatur connubium. Ergò, etc.

Resp. Nego consequentiam. Non enim institutum est connubii vinculum in gratiam conjugum tantùm, sed et propter hominis dignitatem liberorumque et societatis commodum; ergò, etc.

Inst. 2°. Non læditur æquitas quùm conjuges mutuo consensu matrimonium solvunt; ergò, etc.

Resp. 1°. *Distinguo antecedens.* Non læderetur æquitas, si neuter ad consentiendum adduceretur sævitiis physicis aut moralibus, *concedo antecedens.* Si vi physicâ aut morali ad consentiendum, ut plerumquè fiet, alter adducitur, *nego antecedens.*

Resp. 2°. *Quidquid sit de antecedente, nego consequentiam.* Ex dictis enim sequitur nec ob æquitatem solam inter conjuges servandam, nec ob solorum conjugum utilitatem indissolubile connubii vinculum institutum fuisse; ergò, etc.

Objicies 4° contra secundam thesim. Iniquum est uxorem subditam esse marito; ergò, etc.

Resp. Nego antecedens. Illud iniquum non est, quod ipsa natura instituit, quùm concesserit viro præstantiam virium. « La force n'engendre pas le droit, inquit de hâc « re agens Larroque; mais elle est de sa nature destinée « à protéger le droit et à le faire observer. Cela posé, il se- « rait impossible que Dieu instituât un droit auquel il « refuserait éternellement la force nécessaire pour se main- « tenir; c'est-à-dire, en d'autres termes, qu'il serait ab- « surde que le droit de commander ou au moins de n'o- « béir pas appartînt à celui des deux sexes qui se trouve « le plus faible, non point accidentellement, mais naturel- « lement; cela engendrerait une anarchie nécessaire; où « serait la sagesse du Créateur? Dans la société conjugale, « l'autorité appartient donc à l'homme. »

Instabis. Iniquum est illos qui ejusdem naturæ participes sunt non esse juribus æquales : atqui conjuges sunt ejusdem naturæ; ergò, etc.

Resp. 1°. *Nego majorem.* Iniquum non est quòd illi qui sunt ejusdem naturæ non sint juribus æquales. Principium enim istud, si admitteretur, omnem auctoritatem tolleret everteretque societatem. Si illi qui sunt ejusdem naturæ juribus pariter æquales esse debent, nullius jam superioris inter homines agnoscenda erit potestas; non tollenda erit solummodò auctoritas mariti, sed et magistratuum et principum, non enim cæteris hominibus naturâ præstant qui ipsis præpositi sunt. Sublatâ autem supremâ principum potestate, quis imperabit societati quâve auctoritate regetur? Necessariò solventur vincula quibus inter se consociantur homines redibitque anarchia. Ergò, etc.

Resp. 2°. *Dist. minorem.* Conjuges ejusdem sunt na-

turæ, id est, uterque particeps est humanæ naturæ, sed non eodem modo, *concedo minorem*; eodem prorsùs modo, *nego minorem*. Vir enim uxori corporis viribus, indole, ingenio, animi fortitudine præstat; ergò, etc.

Objicies 5° contra eamdem secundam thesim. Parentes jus non habent imperandi liberis; ergò, etc.

Nego antecedens. Auctoritas enim paterna ab ipsa naturâ oritur; ergò, etc.

Inst. 1°. Omnes homines sunt æquales, ergò liberi non sunt parentibus inferiores.

Resp. Dist. antecedens. Omnes homines sunt æquales naturâ, *concedo*; viribus corporis, dotibus ingenii, potestate, *nego antecedens*. Solutio patet ex dictis in responsione allatâ objectioni præcedenti. Ergò, etc.

Inst. 2°. Si cui potestati liberi subjiciendi sunt, non parentibus, sed reipublicæ subditi esse debent; ergò, etc.

Resp. Nego antecedens. Liberi subditi esse debent et reipublicæ et parentibus; reipublicæ in iis quæ utilitatem publicam spectant, parentibus verò in iis quæ ad rem domesticam pertinent. Ergò, etc.

Inst. 3°. Liberi ad rempublicam pertinent; ergò, etc.

Resp. Dist. antec. Liberi pertinent ad rempublicam simulque ad parentes, *concedo antecedens*; ad rempublicam tantummodò, *nego antecedens*. Solutio patet.

Objicies contra tertiam thesim. Iniquum est et indignum quòd homo de alterius hominis penuriâ, labore et industriâ negotietur; ergò tolli debet famulatus.

Resp. Nego antecedens. Iniquum et indignum non est quòd aliquis homo juxta alterius placitum laborem et operam impendat, eâ conditione quòd ab hero stipendium accipiet; ergò, etc.

Inst. 1°. Omnes homines sunt æquales; ergò iniquum est et indignum alterum alteri servire.

Resp. Distinguo antecedens. Omnes homines sunt æquales naturâ, *concedo antecedens;* conditione, *nego antecedens et consequentiam.* Patet non eamdem esse conditionem divitum ac pauperum : positâ autem conditionum inæqualitate, iniquum non est quòd pauper à divite accipiat victui necessaria, eâ conditione quòd laboraturus sit, juxta mercedem retribuentis placitum; ergò, etc.

Inst. 2°. Conditionum inæqualitas summa est injustitia; ergò, etc.

Resp. Nego antecedens. Conditionum inæqualitas ex naturâ rerum fluit. Etenim omnes homines non sunt viribus corporis et industriâ pares, non omnes rei domesticæ eamdem curam gerunt; alii parciores sunt; alii per luxuriam laboris fructum effundunt. Ille rem familiarem adauget, hic verò dissipat. Quocircà impossibile est quòd omnium æqualis remaneat conditio; ergò, etc.

§ VI. *Corollaria.* Primum sequitur ex his quæ præcedunt, religionem docere morum præcepta multò magis congrua humanæ conditioni et dignitati, quàm philosophorum utopias. Etenim religio servat et nobilitat humanæ naturæ affectus; pacem, concordiam fovet; felicitati non privatorum modò, sed et reipublicæ certiùs consulit, non solvendo, sed retinendo ordinem à naturâ institutum. Illa firmat superiorum auctoritatem, jubet ut inferiores subditi sint cuicumque potestati legitimæ, sed simul imperantium temperat auctoritatem; illos admonet se aliis præpositos non fuisse, nisi ut communem utilitatem promoveant, jubetque illos paratos esse ut, si necesse fuerit, se pro salute publicâ devoveant. Quid verò magìs conferre potest societatis bono, quàm talia documenta?

Secundum deducitur corollarium, nempè singulis, pro conditionis et societatis genere implenda esse diversa officia, de quibus audiendi sunt præsertìm theologi.

NUMERUS III.

DE SOCIETATE CIVILI.

§ I. Prænotanda. — * § II. Opinio Hobbesii. — * § III. Opinio J. J. Russæi. — * § IV. Opinio eorum qui societatis originem ex ratione aut ex Deo repetunt. — § V. Thesis I. — * § VI. Thesis II. — * § VII. Thesis III. — § VIII. Thesis IV. — § IX. Solutio objectionum.

§ I. *Prænotanda.* Expendemus in hoc numero undenàm repetenda sit origo societatis civilis : cæteras quæstiones omittemus. Jam ostendimus hominem natum esse ad societatem generatìm, sive domesticam, sive civilem. Porrò nulla societas civilis stare potest quin adsit jus civile quo firmentur civium possessiones et contractus, et insuper jus politicum quo deferatur alicui suprema potestas ad regendam societatem tuendaque privatorum jura. Jus civile complectitur præsertìm jus dominii et jus transferendi dominium ope contractuum. Jus verò politicùm complectitur jus imperandi, jus repetendi pœnas à sontibus, et jus belli pacisque. Quæstio est undenàm oriantur universa hæc jura simulque societas civilis.

Porrò quæstio hæc sub duplici respectu considerari potest, nempè quænam sit origo historica societatis civilis, quænam verò sit origo ejus logica. Quandò quæritur quænam sit origo historica societatis, sensus est : quisnam fuerit primitivus hominum status, quomodòve efformata fuerit prima hominum societas an e statu naturæ, an verò e societate domesticâ ad societatem civilem transierint homines, et quonam eventuum successu : quâ viâ summâ

rerum potiti fuerint primi societatis rectores, an jure paterno, an violentiâ, an populorum consensu, an positivo interventu Dei, an verò aliquâ aliâ causâ? Quandò autem quæritur quænam sit origo logica societatis, sensus est: quisnam sit fons jurium tum civilium, tum politicorum, aut, aliis verbis, quænam sit ratio cur sacrosancta sint aliena jura sive civilia, sive politica. Quadruplex autem ratio affertur, scilicet alii quodcumque jus e violentiâ deducunt; alii e libero consensu; alii e ratione; alii demùm ex aliquâ voluntate positivâ Dei.

Nobis videtur faciliùs solvi posse quæstionem logicam quàm quæstionem historicam de origine societatis civilis. Reverà ope intelligentiæ investigare possumus quænam sint principia quæ logicè ducunt ad diversa jura; sed eventuum historicorum à priori dignosci nequit successio, atverò ex testimoniis historicis. Porrò vix pauca supersunt priorum temporum monumenta, et indè dubia quibus prima latet societatum efformatio, simulque de eâ re opinionum diversitas. Sæpè sæpiùs tamen auctores utramque quæstionem non distinguunt, sicque dubium historicum in ipsam quæstionem logicam transfertur.

Longiùs nos abduceret expositio omnium systematum quæ excogitata sunt ut explicaretur hominum consociatio. Exponemus duntaxat systema Hobbesii, deindè brevem analysim operis inscripti: *Contrat social*, auctore J. J. Russæo, demùmque pauca subjungemus de opinione eorum qui societatis originem repetunt ex ratione aut ex Deo.

* § II. *Hobbesii opinio.* Vixit Hobbesius quùm, Angliâ perturbationibus miserrimè agitatâ, nulla esset principis auctoritas, rexque infelix Carolus primus, iniquâ ipsorum subditorum sententiâ damnatus, capite plexus esset. Facinus tantum execratus, populumque non secùs ac furen-

tem bestiam violentiâ domandum esse arbitratus, systema excogitavit quo, licèt admittat potestatem principum à populo oriri, principibus tamen despoticam auctoritatem contulit. Hujus auctoris placita leguntur præsertim in libro *De cive* et in libro *De imperio*.

* Hobbesius inter Sensualistas nomen habet. Agnoscit ille in intellectu humano tres facultates, sensum, imaginationem et rationem. Imaginatio nihil aliud est præter recordationem sensuum quos experti sumus; ratio autem non differt à ratiocinio conclusiones deducenti ex notionibus quæ aut e sensibus, aut ex imaginatione profluunt. Activitas non complectitur nisi opus, sive indigentiam (*le besoin*) et appetitum, sive desiderium. Voluntas nihil aliud est præter ultimum desiderium. Libertatem humanæ mentis reverà tollit Hobbesius, quanquàm ille hominem esse liberum prædicat; libertas enim quam admittit, non est nisi externa, ut superiùs dictum est. Omnes facultates animæ humanæ tendunt ad felicitatem, quæ est unicus finis hominis, quamque viâ quâlibet prosequi potest. Quibus positis, sic explicat societatis originem.

* 1° Status primitivus fuit status naturæ, in quo nulla pax, nullus hominum inter se consensus aderat, sed bellum omnium contra omnes. Hæc autem est ratio statûs illius belli universalis. Omnes homines sibi sunt naturâ infensi, non autem ad societatem nati, undè reprehendit definitionem quâ veteres dicebant hominem ζῶον πολιτικόν. Hinc homines in societatem non coierunt nisi per accidens, nec ob mutuam benevolentiam, sed ob metum. Namque omnes homines naturâ sunt æquales et ideò singuli in rebus omnibus æquale dominii jus habent. Quùmque, ex alterâ parte, summa et unica lex hominis sit ut ad finem suum, nempè felicitatem tendat, sequitur om-

nes et singulos pariter indigere rebus quæ aut ad felicitatem hominis, aut ad ejus conservationem, quæ maximum est bonum, utiles sunt. Singuli igitur viâ aptiori uti possunt ut tum conservationi, tum commodis suis consulant; legitimæ sunt quæcumque viæ, et cuique æstimandum relinquitur quænam sint viæ illæ aptiores. Hinc commodorum conflictus et bellum omnium contra omnes: hi enim in bellum ruunt ut cæteros spolient; illi verò ut vitam bonaque sua tueantur.

* 2° Quùm verò nihil magis felicitati et conservationi singulorum obsit, quàm istud bellum omnium contra omnes, tolerari non potuit status ille belli universalis. Homines ex eo emerserunt aut libenter, aut vi coacti. Libenter quidem, quùm inter se consociati sunt ex animo, ut sibi mutuam, quâ indigebant, opem ferrent. Vi autem coacti, quùm domitor aliquis eos subegit aut metu mortis, aut catenis quibus eos constrinxit. Legitimus fuit uterque modus. Quicumque summâ potentiâ physicâ in statu naturæ præditus est, potest jure agere quidquid libet.

* 3° Jus dominii in societate oritur ex cessione singulorum. Nempè quùm ex lege naturæ quisque jus dominii habeat in omnibus, perpetuus adesset jurium conflictus, et indè bellum perpetuum, sicque jus dominii viribus valentiori in statu naturæ remanet. Ut igitur tollatur bellum, necesse est ut quisque aliquid de jure suo cedat.

* 4° Admittit Hobbesius dominium inter cives transferri posse aut donatione, aut alio quocumque pacto; nec immeritò, quùm jam admiserit singulos de jure suo in omnibus aliquid cessisse ad ineundam societatem. Ut adsit pactum, oportet ut uterque paciscens consentiat. At valet pactum, etiamsi consensus vi extorqueretur, aut si alter

malâ fide pacisceretur, aut fidem datam non servaret.

* 5° Non infertur injuria, nisi quandò fides data violatur. Reverà, quùm Hobbesius in statu naturæ concedat singulis dominium in omnibus, et in societate jus civium oriatur ex cessione singulorum, sequitur injuriam non adesse in statu naturæ, sed in societate tantùm, hancque locum invenire eò quòd cessio promissa non servetur. Potest quidem detrimentum afferri, non autem fieri injuria illi quocum nulla pactio facta fuit.

* 6° Jus imperandi oritur vel ex violentiâ quâ primi hominum domitores infirmiores coegerunt ut sibi servirent, vel ex consensu civium qui confugerunt ad eos ut bella compescerent.

* 7° Imperantibus tribuit Hobbesius potentiam absolutam et absque ullis limitibus. Rationes affert quòd jus naturale violentiâ perpetuò infractum non valet bella compescere; nec pariter pacificorum civium coitio, qui nunquàm uno consilio de artibus viribusque advocandis consentient. Superest igitur ut cives omnia jura omnimodamque potentiam conferant unico homini vel conventui.

* 8° Confert Hobbesius imperantibus jus cogendi subditos, infligendo pœnas ut leges servent, sicque duplex gladius ipsis committitur, nempè gladius belli et gladius justitiæ. Eorumdem est ferre et promulgare leges; munera omnia tum civilia, tum bellica conferre; imò et inquisitioni suæ subjicere omnia documenta quæ civibus traduntur; demùmque personam imperantium non violabilem declarat Hobbesius.

* § III. *Opinio J. J. Russœi.* Ut hanc exponamus, diversum ordinem instituemus ab ordine illius operis inscripti : *Contrat social.*

* 1° Principium e quo fluit totum hujusce auctoris sys-

tema reponitur in libertate et æqualitate quæ sunt supremum hominis bonum.

* 2° Supponit civis genevensis, non secùs ac Hobbesius, primitivum hominis statum fuisse statum naturæ. Quo in statu omnes homines nascuntur liberi et juribus æquales; sed non alii aliis infensi, sed potiùs benevoli : quisque jus habet in rebus quantùm necessitas postulat aut vires sinunt.

* 3° Societas originem trahit ex pacto. Non enim societatis origo repetenda est ex inæqualitate naturali inter homines; omnes enim juribus æquales nascuntur, sæpissimèque fit ut qui cæteris præsunt nec viribus corporis nec ingenio præstent. Nec etiam repetenda est origo societatis ex violentiâ; violentia enim non potest homines in societatem cogere aut ullum jus conferre. Nec demùm repetenda est ex eo quòd homines se libertate abdicaverint; naturâ enim irrita est ista abdicatio. Superest igitur ut societas ducat originem ex pacto.

* 4° Pactum sociale tale esse debet ut efformetur societas quæ singulorum bona personasque tueatur; et quisque, sese omnibus adjungendo, sibi tamen uni pareat remaneatque non minùs liber quàm anteà fuerat. Res autem eo modo succedet, si singuli omnia sua jura seque totos communitati dedant. Ità enim fit ut quisque ab aliis tantùm recipiat quantùm ipse cessit sibique ipsi pareat, quùm auctoritas suprema remaneat in communitate cujus et ipse pars est. Quo pacto inito, statim adest societas quam veteres *civitatem*, recentiores *rempublicam* aut *corpus politicum* vocant. Corpus istud politicum dicitur *status* (*l'État*), quandò passivum est; *auctor supremus* (*le souverain*), quandò est activum; *potestas* (*puissance*), quandò cum cæteris rebus publicis confertur. Privati au-

tem collectivè sumpti dicuntur *populus; cives*, quandò considerantur tanquàm auctoritatis supremæ participes; demùmque *subjecti*, quantenùs legibus reipublicæ parere debent; quisque enim et subjectus est, et auctoritatis supremæ particeps.

* 5° Hæc de auctoritate supremâ docet. Auctoritas suprema in omnibus collectivè sumptis residet; ipsa est voluntas generalis universi populi. Auctoritas suprema semper est recta : « Le souverain, par cela seul qu'il est, est « toujours ce qu'il doit être. » (*Contrat social*, première partie, ch. VII.) Ipsa nunquàm errare potest; nam voluntas generalis semper bonum generale intendit; sed errat aliquandò de viis eligendis. Ipsa absoluta est; de personis bonisque omnibus membrorum statuere potest quidquid libet, modò limites pacti initi non excedat. Hæc non potest etiam erga alienos sese astringere ad quidquam agendum primitivo convento adversum, velut alterius potestati sese subjicere. Ipsa amitti nequit : possunt subditi per decretum communi consensu constitutum erga auctoritatem supremam obligari, nunquàm verò auctoritas suprema erga seipsam; nulla lex etiam fundamentalis, nec ipsum pactum sociale ligare potest corpus populi : illa non tenetur sponsorem pro se populo præstare; non enim à populo discrepat. Ipsa in alios nequit ullâ viâ transfundi; nulli demandari potest; ratio est quòd auctoritas suprema sita sit in communi voluntate quæ à nullo alio, sed à se ipsâ tantùm potest repræsentari : mandatarii nullum statutum ratum et immutabile ferre possunt, nisi populus ratum habeat. Ipsa jus habet cogendi privatos ut voluntati generali pareant, ex conditione tacitâ in pacto sociali inclusâ. Cogendo privatos ut pareant, cogit illos ut liberi sint. Ipsa jus habet vitæ et necis, ex consensu privatorum;

æquum enim est ut quicumque vitam servare vult cum vitæ aliorum discrimine, et ipse paratus sit vitam pro aliorum salute amittere. Præterea homicida quùm bellum gerat adversùs cives, ex lege belli interimi debet, non tanquàm civis, sed tanquàm hostis. Magistratuum est capite damnare; sed jus ignoscendi sontibus auctoritati supremæ reservatur, nec illud jus ab omni dubio expeditum est. Auctoritatis supremæ est ferre leges. Quùm verò singuli cives non sint satis perspicaces ut certò detegant quid magis expediat, utile est ut cura conscribendi decreta cuidam legislatori committatur. Legislator in republicà munus extraordinarium transitoriumque explet, ipse leges condit; sed populus, consentiendo, legibus vim et efficaciam confert. Objectum legum debet esse generale; omnis autem actus cujus objectum particulare est, populum non spectat, sed magistratus. Auctoritas demùm suprema dividi nequit, quùm ipsa sita sit in voluntate communi; dividuntur objecta ad quæ illa extenditur : sic distinguunt potestatem ferentem leges et potestatem exsequentem, potestatem imperandi tributa, etc. Hæc autem omnia non sunt ipsa auctoritas suprema.

* 6° De principibus sic habet J. J. Russæus. Non potest populus per se ipsum curare ut leges serventur; hujus enim non est operam impendere rebus particularibus; necesse igitur est ut adsint magistratus quibus cura hæc committatur. Corpus magistratuum medium tenet inter auctoritatem supremam et subditos. Corpus istud vocatur *gubernium*, aut *regimen* (*gouvernement*), aut *princeps*. Si tot essent magistratus quot cives, aut major pars civium magistratus essent, adesset regimen democraticum, sed non videtur unquàm exstitisse regimen purè democraticum. Si verò plures sunt magistratus, sed minores

numero quàm cives, tunc adest regimen aristocraticum. Si demùm unus tantùm sit magistratus, adest regimen monarchicum. Præter tres has guberniorum species, adesse possunt gubernia mixta. Sed quæcumque sit forma gubernii, potestatem non proprio nomine, sed nomine populi à quo demandatur, exercet princeps. Nullo pacto sese populus erga principem obligat, ipsi duntaxat committit mandatum quod pro nutu mutare, restringere, aut etiam omninò revocare potest. Nunquàm potest populus abalienare à se potestatem quam principi confert. Nihil aliud agere potest princeps, præter quàm observationem legum curare : semper populo manet jus ipsas condendi. Populus instituit principem. Quo autem modo populus instituere potest principem, quùm anteà dixerit Russæus populum ea agere non posse quæ objectum particulare spectant? Huic autem aut illi civi determinato principatum decernere est actus cujus objectum particulare est. Respondet auctor hanc esse miram corporis politici proprietatem, ut sese subitò et ad breve tempus in regimen democraticum immutet ut magistratus instituat.

* 7° De privatis consideratis tanquàm subjectis, spectari potest quid efficiat conditio eorum civilis tum relativè ad se ipsos, tum relativè ad alios cives, tum demùm relativè ad auctoritatem supremam. Relativè ad se ipsos, conditio eorum civilis, immutando conditionem eorum naturalem, eos reddit homines et intelligentiâ præditos, ex animalibus anteà stupidis. Quisque amittit libertatem naturalem et jus illimitatum ad omnia quibus indiget et assequi potest, ut obtineat libertatem civilem et dominium omnium quæ possidet. Relativè ad alios cives, fit cæteris omnibus æqualis, ex convento et jure, quamvis aut viribus aut ingenio illis cedat. Jus primùm occupantis sacratum fit om-

nibus civibus qui potiùs sacrum habent quod suum non est, quàm quod aliorum. Demùm relativè ad auctoritatem supremam, jam exposuimus quænam sit conditio privatorum, exponendo auctoritatis supremæ attributa. Relationes privatorum, relativè ad auctoritatem supremam, in eo nituntur principio, quòd quisque sit pars auctoris supremi simulque pars subjecti.

* 8° Nec religionem prætermittit civis genevensis. Hic apertè declarat religionem christianam noxiam esse bono reipublicæ, ipsam ad id solummodò esse aptam ut malos ignavosque cives efficiat. Loco religionis christianæ religionem civilem instituit, cujus neglectores capite plectendos jubet. « Il y a donc une profession de foi purement « civile dont il appartient au souverain de fixer les arti« cles, non pas précisément comme dogmes de religion, « mais comme sentiments de sociabilité, sans lesquels il « est impossible d'être bon citoyen ni sujet fidèle. Sans « pouvoir obliger personne à les croire, il peut bannir de « l'État quiconque ne les croit pas; il peut le bannir, non « comme impie, mais comme insociable, comme incapable « d'aimer sincèrement les lois, la justice, et d'immoler, « au besoin, sa vie à son devoir. Que si quelqu'un, après « avoir reconnu publiquement ces mêmes dogmes, se con« duit comme ne les croyant pas, *qu'il soit puni de mort;* « il a commis le plus grand des crimes, il a menti devant « les lois. » (*Contrat social,* liv. IV, chap. VIII.)

* 9° Plurimas observationes quas tradit passim J. J. Russæus de diversis rebus ad rempublicam spectantibus, omisimus, brevitatis causâ; notavimus tantùm sequentes.

* Quænam sit forma gubernii anteferenda dijudicandum est ex variis circumstantiis temporum, locorum et hominum. Ex se potius est regimen aristocraticum cujus

eligerentur membra. Pejus omnibus est regimen monarchicum quod in tyrannidem et publicæ libertatis extinctionem necessariò tendit. Sed inter varias regiminis monarchici species nullum pejus quàm illud quo hæreditario jure potestas regia transmittitur.

* Non expedit ut imperia ampla sint : in his enim perdifficile convenit populus. Ideò oportet ut dividantur in exiguas respublicas fœdere conjunctas.

* Cavendum etiam ne cives quidam ditiores fiant, ne fortè divitiis utantur ad emenda suffragia.

* Frequentes habendi sunt populi conventus. Quandiù adest populus congregatus, nulla est principis potestas, ubi enim adest ille cujus est suprema auctoritas, inutiles evadunt delegati.

* Nunquàm deleri potest voluntas generalis; sed adversùs illam prævalere possunt voluntates particulares.

* Quodcumque corpus politicum aliquandò dissolvendum est, et, à primo originis instanti, vergit in interitum. Nemo igitur sibi proponat instituendam rempublicam quæ perpetuò, sed quæ diutiùs perseveratura sit.

* Monemus denique J. J. Russæum per *democratiam*, *aristocratiam*, *principes* non omninò eadem intelligere quæ vulgò intelliguntur. Sed quùm auctoritatem supremam contra usitatum morem populo contulerit, oportuit ut voces à consueto sensu detorqueret.

* § IV. *Opinio eorum qui societatis originem ex ratione aut ex Deo repetunt.* Plurimi sunt qui docent ex ratione et naturâ rerum repetendam esse societatis originem. Porrò, quamvìs simul agnosceretur Deum velle institui societatem tanquàm rationi consentaneam, ipsum homini indidisse propensiones quibus ad societatem ineundam impellitur, et providentiâ suâ egisse ut efforma-

retur societas, demùmque Deum, iniquitatis ultorem, fidei pactorumque violatores in alterâ vitâ suppliciis addicturum fore, non sequeretur eum qui rem ità intelligeret, admittere positivum et specialem visibilemque Dei interventum in instituendâ quâlibet societate; sed et ipse agnoscit societatem ducere originem ex ratione et naturâ rerum. Qui banc opinionem tuentur dicunt aliquandò principes jure divino constitutos esse, intelligentes Deum, tanquàm rationis et omnis auctoritatis fontem, jubere ut principibus juxta leges institutis subditi pareant. Quam opinionem, quò faciliùs contemptui tradant pacti socialis propugnatores, exhibent sæpè tanquàm opinionem specialis et positivi interventûs quo Deus singulos principes institueret. Sed nullus inter nos eo modo sentit. Qui positivum visibilemque Dei interventum in regendâ societate admittunt, illum agnoscunt tantùm aut in ipso generis humani exordio et primitivâ hominum societate, aut in republicâ Judaicâ, cujus regimen erat theocraticum, aut demùm in aliquâ occasione extraordinariâ; non verò ubi agitur de singulis principibus constituendis, vel efformandis societatibus particularibus.

THESIS PRIMA.

§ V. *Origo historica societatis repetenda non est ex statu naturæ.*

Probatur. Reverà ostendimus suprà hominem congenitum esse ad societatem : porrò ex eâ thesi et omnibus argumentis quæ ad eam statuendam congessimus, sequitur homines nunquàm in statu naturæ vixisse; ergò, etc.

* THESIS II.

* § VI. *Origo logica societatis non repetenda est ex violentiâ, ut contendit Hobbesius.*

* *Probatur.* Illud enim systema rejiciendum est, quod 1° nititur hypothesibus falsis et absurdis, 2° cujus principium logicum notiones omninò distinctas confundit, 3° ad absurda ducit consectaria, 4° demùm explicare nequit varia jura quæ in societate vigent : atqui tale est Hobbesii systema.

* 1° *Quidem illud systema nititur hypothesibus falsis et absurdis.* Vidimus enim Hobbesium supponere omnes ideas à sensatione oriri; hominem non gaudere nisi fictâ libertate morali; finem hominis esse felicitatem duntaxat, nullo autem modo virtutem et officium; genus humanum societati à naturâ non fuisse destinatum; omnes jus æquale habere in omnibus rebus, quod quidem absurdum est, sequeretur enim nulla omninò esse jura, nullum enim est quodcumque jus cui jus aliud æquale opponitur; demùmque supponit Hobbesius homines nasci sibi infensos, invaluisse primùm bellum omnium contra omnes, e quibus sequeretur homines esse bestiis furentibus pejores; ergò 1° nititur systema Hobbesii hypothesibus falsis et absurdis.

* 2° *Principium logicum ejus systematis confundit notiones omninò distinctas.* Nempè confundit violentiam et jus, imbecillitatem et officium, quùm ille agnoscat illum jus possidendi aut imperandi habere, qui viribus valentior est, et debiliorem viribus cedere parereque debere. Nec mirum; quùm enim Hobbesius omnes notiones et ideas ex sensatione, non verò ex ratione repetat, sequitur illum nullas agnoscere ideas juris aut officii, hæ

etenim non e sensationibus, sed e ratione accipiuntur : atqui tamen reverà distinctæ sunt notiones violentiæ et juris, imbecillitatis et officii, ut cuique patet. Agnoscunt enim omnes qui ex recto animi sensu judicant, necessitatis tantùm, aut ad summum prudentiæ, nunquàm verò, officii esse violentiæ illatæ cedere; ergò 2°, etc.

* 3° *Systema Hobbesii ducit ad absurda consectaria.* Sequitur enim 1° ex ejus systemate legitimum esse quidquid facere valet aliquis, sive tollat bona quæ possident alii, sive in vincula conjiciat, sive sanguinem fundat, sive quodcumque facinus patraverit, quùm nulla lex alia agnoscatur præter legem valentioris. Nec consectarium illud negat Hobbesius, quùm econtrà confiteatur nemini inferri posse injuriam, nisi fides data frangatur : atqui illud consectarium absurdum est, ut patet; ergò, etc.

* Sequitur 2° nulla jura stabilia esse, et ipsa fieri posse contradictoria; si enim ille qui vim patitur possit aut vi, aut astutiâ oppressorem superare, jam ab omni jure liber evadit, et ipse econtrà jus habet imperandi domino : atqui illud absurdum est; ergò, etc. De hoc autem audiamus J. J. Russæum. « Supposons un instant ce prétendu « droit, je dis qu'il n'en résulte qu'un galimatias inex- « plicable ; car sitôt que c'est la force qui fait le droit, « l'effet change avec la cause : toute force qui surmonte « la première succède à son droit. Sitôt qu'on peut déso- « béir impunément, on le peut légitimement; et puisque « le plus fort a toujours raison, il ne s'agit que de faire « en sorte qu'on soit le plus fort. Or, qu'est-ce qu'un droit « qui périt quand la force cesse? S'il faut obéir par la « force, on n'a pas besoin d'obéir par devoir; et si l'on « n'est plus forcé d'obéir, on n'y est plus obligé. On voit « donc que ce mot de droit n'ajoute rien à la force; il ne

« signifie ici rien du tout. » (*Contrat social*, lib. I, ch. III.)

* 4° *Demùm systema Hobbesii explicare nequit varia jura quæ in societate vigent.* Non enim potest systema illud, inter cætera jura, explicare jus dominii, jus mutationis inter privatos, jus demùm quod princeps habet imperandi subditis.

* Explicare nequit 1° jus dominii quo gaudent privati in rebus quæ possident. Quùm enim supposuerit omnes jus æquale habere in omnibus omninò rebus hujusce terreni orbis, de quo quisque cedit ut tollatur bellum universale, sequitur jus dominii quo gaudent cives, oriri ex cessione ab aliis factâ, simulque nullum esse jus dominii apud cives, si nulla sit cessio e quâ originem trahit jus illud dominii : atqui nulla est cessio à cæteris facta, tum quia nihil privati cedere potuerunt, quùm nullum jus haberent, nullum autem jus habebant, quùm irrita sint jura quibus æqualia jura opponuntur : porrò juribus singulorum opponebantur jura æqualia cæterorum, quùm omnes jus æquale haberent in omnibus omninò rebus. Tum etiam cessio irrita est quia, quùm nullam officii legem agnoscat Hobbesius, fide datâ obligari non possunt privati, et quidquid dicat ille auctor, nulla fit injuria ab iis qui fidem fallunt, si nulla lex alia agnoscitur præter violentiam.

* Explicare nequit 2° jus mutationis inter privatos, propter easdem rationes; jus enim paciscendi et transferendi dominium supponit tum adesse jus dominii in eo qui dominium transferre vult, tum jus translatum sacrum esse et irrevocabile : porrò utraque deest conditio in systemate Hobbesii.

* Explicare demùm nequit 3° jus quod princeps habet imperandi subditis. Illud enim explicare tentat vel per vim principis, vel per consensum privatorum : atqui

neutra hæc causa conferre potest principi jus imperandi subditis. Non violentia, ut patet ex dictis; non consensus privatorum, quùm consensus fidesque data constituere non possint obligationem standi promissis, nisi agnoscatur lex aliqua superior, nempè lex officii quæ singulos ad fidem servandam obliget, quam quidem legem negat Hobbesius. Ergò, etc.

* THESIS III.

* § VII. *Origo logica societatis repetenda non est ex pacto sociali, ut contendit J. J. Russæus.*

* *Probatur.* Illud enim systema rejiciendum est, quod 1° nititur hypothesibus falsis et absurdis, 2° cujus principium logicum veræ juris notioni contradicit, 3° quod explicare nequit varia jura quæ in societate vigent, 4° quod demùm ad absurda ducit consectaria : atqui his vitiis non minùs laborat systema civis genevensis, quàm Hobbesii.

* 1° *Quidem illud systema nititur hypothesibus falsis et absurdis.* Etenim supponit J. J. Russæus exstitisse statum naturæ; societatis originem tribuit pacto quod ipse fictum esse fatetur; agnoscit omnes extra societatem jus habere in omnibus quibus indigent et quæ assequi possunt, ex quo sequeretur adesse posse jura opposita, locumque dari sæpè sæpiùs jurgiis rixisque, nempè quandò plures re eâdem indigent et eam assequi conantur, quamvìs bellum Hobbesii rejiciat; negat plurimas facultates quæ in homine existunt, scilicet omnes facultates et propensiones homini congenitas quæ illum ad societatem ineundam impellunt; supponit omnes homines nasci æquales, quod quidem falsum est, homines enim quùm nascantur in societate jam efformatâ, nascuntur inæquales conditione et juribus tum civilibus, tum politicis,

libertatem politicam exhibet tanquàm summam hominis felicitatem et finem ejus ultimum, quod etiam falsum est, homo enim natus est ut officia impleat; sed officia non adsunt nisi sint leges implendæ; leges autem esse nequeunt nisi adsit pro homine obligatio eas implendi, et proindè nisi libertas humana quibusdam limitibus circumscribatur; supponit libertatem hominis tolli, si alienæ voluntati parere teneamur; sed in eo errat, quùm nulla adesse possit libertas socialis, nisi alicui obedire teneamur; supponit demùm homines tum esse meliores quàm reipsà sunt, quandò rempublicam instituere vult, in quâ quisque semper paratus sit ut publica propriis commoda anteferat; tum eosdem esse pejores quàm reverà sunt, quandò exhibet omnes qui populis imperant, tanquàm propriis tantùm commodis inservientes, nullo autem modo curantes subditorum utilitatem; ergò primò nititur illud systema hypothesibus falsis et absurdis.

* 2° *Principium ejusdem logicum juris, hujus veræ notioni contradicit.* Nam juxta J. J. Russæum, principium logicum juris in voluntate generali situm est, lex est expressio voluntatis universalis, nulli quisquam parere tenetur nisi sibimetipsi, voluntas generalis semper est æqua : atqui hæc omnia contradicunt veræ notioni juris. Etenim sequitur jus non differre à voluntate generali, hanc supremam esse legem : atqui istud falsum est, sequeretur enim tolli omne discrimen essentiale inter vitium et virtutem, ut enim vitium fiat legitimum, satis est quòd illud jubeat voluntas generalis. Huic opinioni consona docent qui scribunt magna scelera commissa fuisse tempore perturbationis Gallicæ, non autem erràsse perturbatores. Sequeretur etiam jus esse perpetuò mutabile, hodiè fieri posse licitum quod heri nefas erat, hodiè paternam cædem esse

nefariam, cras verò eamdem posse fieri legitimam, mutatâ nempè voluntate generali. Sequeretur adhùc nullam esse veram obligationem; cur enim ego teneor voluntati generali parere, si nolo? Equidem cogi possum et plurimorum viribus opprimi, cujus autem criminis reus ero? Quâ lege teneor velle quod cæteri volunt? Nùm quia æquum est me voluntati generali, seu legibus parere, si volo commoda ex societate et legibus accipere? Ergò jus ex æquitate naturali repetendum est; non verò ex solâ voluntate generali, quæ, si suprema lex esset, sequeretur adhùc violentiam esse substituendam juri ut subditi legibus parere cogerentur, sicque tyrannidi vicinissima est libertas ultra debitos limites extensa; ergò 2°, etc.

* 3° *Systema pacti socialis explicare nequit varia jura quæ in societate vigent.* Nam primò explicare non valet jus dominii. Reverà, juxta notionem vulgatam, jus dominii acquiri potest in omnibus rebus, modò non obstent aliena jura aut leges justæ : atqui systema pacti socialis explicare nequit illud jus; conceditur enim jus dominii tantùm in rebus quibus quisque indiget, et quas sibi labore suo proprias effecit. Ait etiam J. J. Russæus quemque potiùs abstinere à tollendo quod suum non est, quàm sacrum habere quod est alienum, ex quo sequitur quemque civem agnoscere jus suum indigentiâ suâ suoque labore esse limitatum, sed nullum agnoscere jus alienum, undè sequeretur me res aliorum tollere posse absque furto, si fortè his indigerem : atqui illud absonum est à verâ notione dominii; ergò, etc.

* Nec secundò valet explicare jus mutationis. Cur enim fidei datæ stabo, si nullâ aliâ lege ac voluntate generali teneor servare fidem? Possum equidem viribus plurimorum cogi, at, ipso fatente J. J. Russæo adversùs Hobbe-

sium argumentante, nunquàm violentia juri substitui potest; ergò, etc.

* Nec demùm tertiò explicare potest jus imperandi. Quâ enim ratione populo confertur ab illo scriptore auctoritas suprema? Nempè refellendo varias hypotheses quæ originem potestatis politicæ ducunt aut ex violentiâ, aut ex jure belli, aut ex servitute, aut ex societate domesticâ, quarum quidem nulla explicare potest originem potestatis politicæ, si nulla lex homini superior agnoscatur; sed prætermittit civis genevensis originem ductam ex ratione et naturâ rerum. Et verò nonne absonum est à recto sensu et communi hominum sentiendi modo docere nullum nisi sibimetipsi parere debere? Quid erit illa auctoritas suprema concessa populo ope pacti quod nullâ superiori lege ex ratione et naturâ rerum petitâ fulcitur? Ergò, etc.

* 4° *Hinc sequuntur absurda, consectaria,* nempè systema illud ducere simul tum ad tyrannicam dominationem, tum ad anarchiam.

* Ducit quidem 1° ad tyrannicam dominationem : 1° enim juxta J. J. Russæum tanquàm tyrannica habenda erit dominatio quæ alicui contra ejus voluntatem imponitur : atqui, in ejus systemate, auctoritas suprema populi dominationem suam plurimis invitis imponit. Nam 1° dominatio populi imponitur his omnibus qui nati sunt post initum pactum sociale. Quo autem jure potuerunt patres pro liberis nascendis pacisci? 2° Nunquàm unanimi ore consentire potest totus populus in idem placitum, reverà pueris non datur locus in legibus constituendis, jus idem vulgò denegatur mulieribus, infirmi, senes, absentes non possunt forum adire et ad legem constituendam nutu concurrere : sed et cives qui jus suffragii obtinent, nun-

quàm ità inter se concordant, ut uno omnium consensu lex sanciatur; adest igitur tantùm ad summum majoritas quæ minoritati suam voluntatem absque ullo jure imponit. 3° Et ipsi cives qui legi constituendæ assensum præbuerunt, tyrannicæ dominationi subjiciuntur, nam si cras voluntatem mutent, attamen parere coguntur voluntati jam non suæ. Deindè verò, homines sumendi sunt prout sunt : porrò nonne sæpissimè eveniet ut factio aliqua artibus et fallaciis majoritatem obtineat, sicque minoritati pars major civium reverà pareat, nedùm propriæ aut publicæ voluntatis placita sequatur.

* 2° Non autem tyrannica adest dominatio solùm eò quò lex imponatur privatis invitis, sed et eò quòd violentià cogantur parere huic auctoritati illegitimæ. « Afin « donc que le pacte social ne soit pas un vain formulaire, « il renferme tacitement cet engagement, qui seul peut « donner de la force aux autres : que quiconque refusera « d'obéir à la volonté générale, y sera contraint par tout « le corps. » (*Contrat social*, liv. Ier, chap. VII.) Frustrà addit Russæus, ut vim illatam fuco occultet, sic privatum cogi ut liber sit; quâ enim libertate liber erit? Non naturali quæ ab omni præscripto et vi expedita est. Non civili quæ nullum limitem agnoscit præter legem ; porrò vis contra legem in hoc casu infertur, quùm lex nulla sit relativè ad eum qui non consentit.

* 3° Tyrannica demùm admittitur dominatio, eò quòd auctoritas populi extendatur etiam ad objecta quæ ab omni prorsùs auctoritate humanâ independentia sunt. Nam quùm lex, juxta civem genevensem, definiatur expressio voluntatis generalis, sequetur me lege teneri ad committenda crimina adversùs rectitudinem naturalem et conscientiam, si voluntati generali libuerit ea imperare ; sequetur

me liberum non esse profiteri religionem quam veriorem judico, sed religionem tantùm plebis-consulto decretam, imò et libertatis illimitatæ prædicator iste doctrinarum inquisitionem præscribit, et morte plectendum jubet quicumque cultum civilem non observat. « Qu'il soit puni de mort; il « a commis le plus grand des crimes, il a menti devant « les lois. » (*Contrat social*, liv. IV, chap. VIII.) Ergò, etc.

* Ducit et 2° ad anarchiam, eò quòd 1° supponatur jus et obligationem non oriri e principio superiori voluntati generali : ex hoc autem sequitur omnes societates quæ nunc existunt illegitimè constitutas esse, et à fundamentis restaurandas, non enim suprema auctoritas voluntati generali tribuitur : omnia imperia in exiguas respublicas dividenda esse, ut faciliùs obtineatur consensus unanimis in idem placitum; nec eâ viâ hunc finem assequendum fore; sed dissolvendam esse societatem et singulos in independentiâ absolutâ relinquendos esse; tot enim sunt capita quot sensus, et fieri potest ut ne duo quidem perfectè concordes inveniantur; minoritatem nullâ lege teneri ut majoritati populi pareat; privatos qui non legi consenserunt, jus habere vi repellendi vim sibi illatam ut ad parendum cogantur, hinc discordiæ, factiones, seditiones, bella civilia, nulla pax interiùs, nulla exteriùs hostibus formido incussa, artes neglectæ, scientiæ oblivioni traditæ, commercium ad nihilum redactum, odia inter cives, societas vitæ sublata, anarchia demùm et omnium malorum cumulus.

* Ducit etiam ad anarchiam, eò quòd 2° principes qui populis imperant, nullâ auctoritate propriâ gaudeant; à populo demandati, ejus nomine decreta ferunt; nihil statuere possunt, nisi populus ratum habeat; possunt, quo-

tiès populo libuerit, e solio jure dejici, hinc guberniorum quotidianæ mutationes et omnia pericula et incommoda quæ guberniorum eversionem comitari solent. Ergò, etc.

THESIS IV.

§ VIII. *Origo logica societatis repetenda est ex ratione et naturâ rerum.*

Probatur. Nulla colligari potest societas, nisi adsint jura et officia, tum civium inter se, tum ipsorum erga principes, tum principum erga subditos, debent cives quibusdam juribus gaudere, pacta inita inter se servare, principibus parere; debent principes potestatem supremam in bonum publicum, non in tyrannidem vertere : debent quæcumque jura firma·esse et stabilia, alioquin perturbationibus et anarchiæ janua aperiretur : atqui hæc omnia præstari non poterunt, nisi societatis origo logica repetatur ex ratione et naturâ rerum. Nam, ut hæc omnia obtineantur, oportet ut adsit lex aliqua pactis et conventis firmior, omni auctoritate humanâ superior, quæ jubeat cives stare promissis, privatos subditos esse principibus, principes justa decernere, cum modestiâ imperare : atqui nulla inveniri potest lex hujus modi, nisl ipsa ex ratione et naturâ rerum repetatur ; ergò, etc.

§ IX. *Solvuntur objectiones.*

* *Objicies* 1°. Status primitivus humani generis est bellum omnium contra omnes; ergò, etc.

* *Resp. Nego antecedens.* Propter omnes rationes tum historicas, tum logicas à nobis allegatas; ergò, etc.

* *Inst.* 1°. Omnes homines sunt naturâ æquales : atqui ex æqualitate hâc sequitur bellum omnium contra omnes; ergò, etc.

* *Resp. Nego majorem.* Omnes homines, spectati rela-

tivè ad naturam humanam, non sunt æquales viribus physicis nec ingenio; considerati verò relativè ad societatem, non sunt æquales juribus et conditione : atqui omnes homines in societate nati sunt, quùm societas sit status naturalis et primitivus hominum; ergò, etc.

* *Inst.* 2°. Omnes homines æquale jus habent ad felicitatem; ergò, etc.

* *Resp. Nego antecedens.* Felicitas ad quam homo destinatus est, non est felicitas physica in præsenti vitâ quærenda, sed felicitas quæ sit legitima virtutis merces, in alterâ vitâ pro merito retribuenda : atqui æqualia non sunt singulorum merita; ergò nec singulorum æquale est jus ad felicitatem.

* *Objicies* 2°. Jus naturale explicare non potest societatis originem; ergò recurrendum est ad hypothesim Hobbesii.

* *Resp.* 1°. *Nego antecedens.* Jus naturale explicare potest societatis originem; nam jus naturale nititur ratione et naturâ rerum; ergò, etc.

* *Resp.* 2°. *Nego consequentiam.* Etiamsi enim jus naturale non posset explicare originem societatis, non ideò recurrendum esset ad hypothesim Hobbesii; constat enim ex thesi nostrâ, hanc infeliciter solvere problema de origine societatis; ergò, etc.

* *Inst.* Jus naturale compescere non valet violentiam privatorum; ergò, etc.

* *Resp. Distinguo antec.* Jus naturale non valet compescere violentiam privatorum, si nulla sit auctoritas civilis quæ pœnis improbos à violentiâ deterreat, *concedo antec.* Si adsit auctoritas civilis quæ pœnis improborum malitiam compescat, *nego antec.* Porrò non negamus necessariam esse auctoritatem quæ jus et potestatem habeat vim improborum vi legum pœnarumque compescendi;

sed longè differt vis legum ratione innixa à violentiâ cæcâ quæ in sententiâ Hobbesii tanquàm suprema lex agnoscitur. Ergò, etc.

* *Objicies* 3°. Debemus servare promissa etiam vi obtenta; ergò per violentiam solam explicari potest origo logica societatis.

* *Resp. Nego antec.* Nullam fidem, etiam libenter datam servare tenemur, nisi sit aliqua lex pactis superior quæ nos ad fidem servandam obliget: atqui lex illa inveniri nequit, nisi ex ratione et naturâ rerum repetatur; ergò, etc.

* *Objicies* 4°. Multi principes potestatem violentiâ adepti sunt; ergò violentia potest originem præbere juribus politicis.

* *Resp. Nego consequentiam.* Principes qui supremam potestatem violentiâ adepti sunt, jus suum ex violentiâ non trahunt, sed ex ratione quæ docet potiùs obediendum esse principi qui summâ rerum potitur, quam societatem civilem perturbare, maximè si nulla adsit spes potestatem violentiâ adeptam dejiciendi; ergò, etc.

* *Objicies* 5°. Lex, ut sit æqua, debet esse expressio voluntatis generalis; ergò, etc.

* *Nego antecedens.* Lex, ut sit æqua, debet econtrà rationi esse consentanea; ergò, etc.

* *Inst.* 1°. Nullus potest alienæ voluntati subjici; ergò, etc.

* *Distinguo antec.* Quandò voluntas aliorum rationi adversatur, *concedo antec.* Quandò non adversatur rationi, *nego antec.* Solutio patet.

Inst. 2°. Homo non potest libertati suæ renuntiare; ergò, etc.

* *Nego antec.* Nempè quandò ratio id postulat; ergò, etc.

* *Inst.* 3°. Libertas est facultas humana : atqui homo non potest renuntiare suis facultatibus; ergò, etc.

* *Resp. Dist. minorem.* Homo non potest renuntiare facultatibus suis, id est, illas e mente tollere, *concedo minorem.* Non potest ab earum exercitio abstinere, *nego minorem.* Solutio patet.

* *Objicies* 6°. Plurimæ exstiterunt existuntque respublicæ in quibus populus supremâ gaudet auctoritate, quin tamen adsit anarchia; ergò admitti potest systema J. J. Russæi, quin tantum malum timendum habeamus.

* *Resp. Nego consequentiam.* Multùm enim adest discriminis inter illas respublicas et rempublicam quam fingit J. J. Russæus. Duo tantùm discriminis capita notabimus. Primum quidem et maximum est, quòd in cæteris rebus publicis quæ olim exstiterunt aut nunc existunt, agnoscitur lex pacto sociali superior, nempè lex officiorum ipsâ ratione et rerum naturâ innixorum. Secundum verò est, quòd qui auctoritatem supremam in his rebus publicis exercent, non sunt ad nutum populi quocumque tempore et quâcumque de causâ revocabiles. Porrò duo hæc discrimina non sunt parvipendenda, quùm systema J. J. Russæi impugnaverimus præcipuè ex duplici hoc vitio. Ergò, etc.

ARTICULUS III.

DE OFFICIIS ERGA NOS IPSOS.

Duplex erit paragraphus. In priori agemus De fundamento officiorum erga nosmetipsos : in posteriori autem De officiis specialibus erga nos ipsos.

* PARAGRAPHUS PRIMUS.

* DE FUNDAMENTO OFFICIORUM ERGA NOS IPSOS.

* § I. Opiniones. — * § II. Thesis.

* § I. *Opiniones.* 1° Plurimi fundamentum officiorum erga nos ipsos repetunt ex amore nostrî. Officia quidem erga nos ipsos ex amore nostrî fluunt. Atverò quærendane est causa superior quæ amorem nostri legitimum efficiat; an verò dicendum est amorem nostrî supremam esse legem? Porrò ii de quibus nunc loquimur, non agnoscunt legem superiorem quàm ipsum amorem nostrî, vocanturque Egoistæ.

* 2° Alii existimant econtrà vitiosum esse quidquid utilitatis causâ agitur, aut saltem illud merito carere, eò quòd virtus non adsit, nisi in eo qui se devovet.

* 3° Alii verò philosophi nulla agnoscunt officia erga nos ipsos implenda; sed officia tantùm erga Deum et erga societatem, ità ut, si extra societatem positi essemus, nullo teneremur officio nisi erga Deum. Sic habet dominus Ozaneaux : « Si l'homme devait toujours être seul, « s'il n'était pas appelé à prendre rang dans la société de « ses semblables, on ne pourrait lui prescrire aucun de- « voir : tout au plus aurait-il à remplir quelque obligation « envers son Créateur, en supposant qu'il parvînt à le « connaître. Quant à ses facultés, elles s'exerceraient par « le fait, mais aucune loi n'en règlerait l'exercice. On n'a « pas besoin de dire à l'homme : Fais ton bonheur : il est « ridicule de lui dire : C'est ton devoir d'être heureux. »

* Primam et secundam opinionem jam exposuimus confutavimusque, in secundâ parte hujusce Ethicæ, in quâ ostendimus tum omnem amorem nostrî non esse vi-

tiosum, tum principium omnium officiorum ex ratione et essentiâ rerum repetendum esse. Ex his sequitur officia erga nos ipsos eodem fundamento inniti, et indè jam confutatam esse tertiam opinionem. His quæ de primâ et secundâ opinione diximus nihil addendum esse putamus; sed thesis speciali ultimam opinionem refellere juvat.

* THESIS.

* § II. *Fundamentum officiorum nostrorum repètendum non est tantùm ex eo quòd in societate vivamus, sed habemus officia erga nos, in quocumque statu implenda.*

* *Probatur.* Si omnia officia quæ implenda habemus, originem ducerent ex eo quòd in societate vivamus, maximè quia nulla nobis officia implenda sunt, præter justitiam et beneficentiam; nec oportet ut jubeamur esse felices : tales enim sunt rationes quas allegat auctor quem impugnamus : atqui non valent istæ rationes.

* 1° Quidem alia officia à nobis implenda ratio jubet, præter justitiam et beneficentiam. Jubet enim ratio ut fortes simus adversùs dolores cæterosque casus, temperanter bonis hujus vitæ utamur, cum prudentiâ provideamus nobis utilia; et si non teneretur officia justitiæ et beneficentiæ implere, at saltem benevolentiam erga cæteros homines servare deberet etiam ille qui e societate segregatus, nullam ampliùs spem haberet inter homines redeundi; ergò, etc.

* 2° Non quidem necessarium est ut jubeamur esse felices, naturâ enim ad quærendam felicitatem impellimur : at necesse est ut jubeamur finem ultimum non in felicitate, sed in virtute reponere, ità ut priùs officium implendum intendamus, felicitatem verò consequendam tanquàm virtutis comitem aut mercedem ; ergò, etc.

* Et verò homo in societate vivens habet quædam officia implenda, ex adversariorum confesso, quæ nulla tamen essent, nisi homo quædam officia implenda etiam erga se ipsum haberet. Sic agnoscunt ii quorum opinionem impugnamus, quemque debere dignitatem humanam servare, nec sinere se tyrannicis jussis adduci ad agendas res homine indignas : atqui illud admittere nequeunt, nisi supponant adesse officia erga nos ipsos implenda : frustrà enim allegarent nos ad id teneri ex beneficentiâ erga cæteros homines, ut et ipsi à tyrannicâ potestate liberentur; nam, ut prætermittam quæ dicenda essent de rebellione adversùs tyrannicam dominationem, saltem agnoscere coguntur adesse dignitatem humanam quam nunquàm à nobis tolli sinendum est, quùm et debeamus impedire ne à cæteris tollatur. Ergò, etc.

PARAGRAPHUS II.

DE OFFICIIS SPECIALIBUS ERGA NOS IPSOS.

§ I. Officiorum erga nos ipsos distinctio. — § II. Paragraphi hujus divisio.

§ I. *Officiorum erga nos ipsos distinctio.* Officia erga nos implenda aut animam aut corpus spectant, ità tamen ut animæ bona primo loco ponantur.

Quoad animam, omnibus anteponenda est æterna salus. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Cupiditates igitur debellandæ sunt et coercendæ. Deindè verò excolendæ sunt animi dotes facultatesque, quantùm sua cuique conditio aut postulat, aut sinit.

Corporis etiam cura prudens agenda est, ità ut ipsi non

concedatur nimius rerum superfluarum usus, sed nec necessariarum subtrahatur.

§ II. *Paragraphi divisio.* Ut absolvamus hunc paragraphum, cætera omittentes, agemus tantùm, primò de scientiarum artiumque utilitate, contra J. J. Russæum, qui eas homini noxias esse contendit naturæque humanæ voto adversas : deindè verò de suicidio. Duplex itaque aderit numerus.

NUMERUS PRIMUS.

DE SCIENTIARUM ARTIUMQUE UTILITATE.

§ I. Opinio J. J. Russæi. — § II. Thesis. — * § III. Fusior probatio. — § IV. Objectionum solutio.

§ I. *Opinio J. J. Russæi.* Non in unico loco scientias et artes respuit J. J. Russæus. Nempè conscripsit orationem quæ præmium in academiâ divionensi obtinuit, anno 1770, cujus finis est ut ostendat scientiarum restitutionem plurimùm nocuisse societati. In aliâ oratione, de inæqualitate conditionum, contendit naturæ votum esse ut homo facultatibus intellectualibus non utatur, et hominem qui meditatur esse animal depravatum. « J'ose « presque assurer que l'état de réflexion est un état « contre nature, et que l'homme qui médite est un ani- « mal dépravé. » (*Discours sur l'origine et les fondements de l'inégalité parmi les hommes,* première partie, p. 89.) Sæpè prædicat ignorantiam unicam esse viam quâ possit error præcaveri : et omnia mala quibus homines laborant originem ducere ex scientiis, artibus et societate. In opere ejusdem percelebri cui titulus *Émile,* vult discipulum suum silvaticorum more educari. Quùm autem Emilius posteà inter homines societate conjunctos vitam agere debeat, quasdam scientias comparare debet;

sed maximè artem quamdam illiberalem. Sic totus est ille auctor, ut ingenuarum disciplinarum deprimat meritum, quo licèt unico sit, si tamen aliquo habendus est, honore dignus.

THESIS.

§ II. *Scientiæ et artes per se ipsas hominem pejorem non efficiunt, nec respuendæ sunt ut noxiæ; sed econtrà excolendæ sunt et fovendæ.*

Probatur. Res ità est, modò scientiæ et artes laudabiles sint et bonæ ex parte objecti, nec semper fiant noxiæ, hominemve pejorem efficiant, sed aliquandò tantùm et per accidens : atqui res ità est. 1° Quidem laudabiles sunt scientiæ et artes, et bonæ ex parte objecti. Nam objectum scientiarum artiumque sunt tum veritates diversæ, tum ea quæ commovere possunt affectus quibus ad virtutem homo accenditur, tum res e quibus aliquid utilitatis percipere possumus ad satisfaciendum corporis nostri necessitatibus : atqui hæc omnia bona esse patet. 2° Scientiæ et artes non semper hominem pejorem efficiunt; adsunt enim tum privati, tum populi scientiis, litteris artibusque dediti, qui profectò multò meliores sunt quàm homines silvatici aut bonarum disciplinarum ignari, nedùm ipsis pejores sint. Ergò, etc.

* § III. *Fusior probatio.* Reverà constat nihil stulto et ignaro homine ignobilius esse, nihil pejus, præsertim si, ut non rarò fit, ignorantiæ superbia conjungatur. Quot vigent apud barbaras gentes infandi usus! Quid homine indignum magis quàm perpetua inter se agere bella, ut fert quorumdam populorum usus, occisi hostis calvariâ tanquàm poculo ad bibendum uti, imò et apud aliquos carne captivorum tostâ vesci? Scientiæ verò et artes inge-

nuæ leniunt mores et ex se tendunt ad intimam pacificamque societatem inter homines copulandam.

* 3° Non negamus tamen scientias et artes in malum finem posse detorqueri, easque subministrare pessimo cuiquam maxima adjumenta ut vias perpetrandi facinora quæ meditatur excogitet : at rebus optimis abutuntur homines, et, quò res magis habent meriti, eò majora incommoda trahit earum abusus. Atverò numquid tollendæ sunt res optimæ ad præcavendos abusus? Tollantur ergo societas, religio, intelligentia, libertas, tollantur omnes humanæ mentis facultates, ipsumque deleatur genus humanum. Quin econtrà maneant hæc omnia, maneant scientiæ et artes, tollantur tantùm perversæ hominum cupiditates. Ergò, etc.

* Et verò illa opinio inter paradoxa computanda est, quam amplexus est illius auctor ut novitate sententiæ in se animos converteret, cui semper in agendo contradixit, quamque invalidis argumentis innixam esse ipse scripto confessus est : atqui talis est opinio J.-J. Russæi quâ adversùs scientias et artes invehitur. 1° Quidem hanc amplexus est ut novitate sententiæ in se animos converteret. Ferunt enim illum priùs conscripsisse orationem ut ostenderet econtrà scientiarum artiumque utilitatem et meritum. Quùm verò admonuisset eum amicus, fore ut omnes qui de præmio in academiâ divionensi concertarent, eamdem opinionem tuerentur, ipsique suasisset ut se e vulgo excerperet à communi omnium sententiâ recedendo, tunc Russæus conscripsit orationem adversùs scientias et artes quæ superest, et quæ reverà præmium obtinuit. 2° Huic tamen sententiæ in agendo ex tunc perpetuò contradixit. Ab eo enim tempore, quamvis debuisset inter barbaras gentes aut inter feras silvarum reverti, si voluis-

set agendirationem consentaneam esse doctrinæ, econtrà totam operam in libros conscribendos convertit. « Je ne « puis m'empêcher de réfléchir sur les bizarreries de ma « destinée; elle en a qui n'ont été que pour moi... J'avais « passé ma jeunesse dans une heureuse obscurité... Une « misérable question d'académie, m'agitant l'esprit mal- « gré moi, me jeta dans un métier pour lequel je n'étais « point fait; un succès inattendu m'y montra des attraits « qui me séduisirent... Je me sentis engagé dans la car- « rière, presque sans y avoir pensé. Je me trouvai devenu, « pour ainsi dire, auteur à l'âge où l'on cesse de l'être, « et homme de lettres par mon mépris même pour cet « état. » (*Lettre à l'archevêque de Paris, sub initio.*)
3° Ipse posteà scripto confessus est opinionem suam invalidis argumentis esse innixam. « Cet ouvrage, « plein de chaleur et de force, manque absolument « de logique et d'ordre; de tous ceux qui sont sortis de « ma plume, c'est le plus faible de raisonnement et le « plus pauvre de nombre et d'harmonie. » (*Confess.*) Ergò, etc.

§ IV. *Solvuntur objectiones.*

Objicies. Ex scientiis et artibus innumera prodière mala, nempè valetudinis imminutio, libertatis naturalis amissio, cupiditatum incitamenta, morum corruptela, societatis perturbatio, errorum ampla seges, veritatis religionisque eversio; ergò, etc.

Resp. Distinguo antecedens. Ex scientiis et artibus per abusum, *concedo antecedens :* per se et ex earum naturâ, *nego antecedens et consequentiam.* Ut enim ostendimus in nostrâ thesi, scientiæ et artes ex se et ex parte objecti bonæ sunt; nec ex iis pravi sequuntur effectus, nisi ob cupiditates hominum qui optimis quibusque rebus abuti

solent in malum. Numquid verò res optimæ tollendæ sunt, propter earum abusum? Ergò, etc.

Inst. 1°. Majora sunt incommoda quæ afferunt scientiæ et artes, quàm ut retinendæ sint et fovendæ; ergò, etc.

Resp. Nego antecedens. Non enim æquum est abusus alicujus rei augere, et eos tantùm considerare, prætermissis bonis quæ ex eâdem re accipiuntur. Porrò non mala tantùm scientiæ et artes afferunt; sed innumera multòque majora bona, quæ enumerare haud utile judicamus; ergò, etc.

Inst. 2°. Constat exemplo Ægyptiorum, Græcorum Romanorumque, populos ab avitis virtutibus eò magis recedere, quò provectiores sunt apud ipsos scientiæ et artes; ergò, etc.

Resp. Nego antecedens. Nec Itali tempore Leonis X; nec Galli, regnantibus Carolo I, Ludovico IX, Francisco I, Ludovico XIV; nec Moscovitæ, imperante Petro I, nec aliæ gentes apud quas floruerunt artes et litteræ, ideò à priscâ virtute recesserunt. Nec etiam veteres illi populi Ægyptii, Græci, Romani in exitium ruerunt ex quo scientiis artibusque dederunt operam : sed eorum ruinæ fuerunt plurimæ aliæ causæ. Econtrà constat experientiâ artes, præsertìm ingenuas, litteras scientiasque concidere, quotiès in ruinam sublabuntur antiqui mores, dùm, florentibus litteris, et mores et res imperii in melius proficiunt. Periclis tempore summum gloriæ obtinuerunt Græci. Antè Augusti tempora ab avitis moribus recesserat gens Romana. Longo tempore apud Ægyptios floruerant artes, antè quàm eorum imperium deleretur. Ergò, etc.

Resp. 2°. *Nego consequentiam.* Etiamsi scientiarum et artium provectioni conjuncta fuisset morum corruptio,

iterùm respondemus id abusui, non rei ipsi adscribendum esse; ergò, etc.

Inst. 3°. Veteres Persæ, Lacedæmones, Scythæ, Romani, Germani, etc., fuerunt invincibiles quandiù scientias ignorarunt aut neglexerunt; ergò, etc.

Resp. Nego consequentiam. Quid enim exindè sequitur? Nùm indè probatur virtutis bellicæ defectionem scientiis et artibus tribuendam esse?

Et verò etiamsi defectionis istius virtutis bellicæ causa scientiis et artibus adscribenda foret, nùmquid sequeretur malas esse scientias et artes? Etenim virtus bellica non est unica virtus à populis excolenda; quin potiùs vitium est animi ferocia, si sola sit. Necesse est mitescere populorum istorum mores, virtutesque alias, adjuvantibus scientiis et artibus, excoli. Ergò, etc.

Inst. 4°. Multò difficiliùs reguntur populi exculti quàm inculti, impossibileque esset philosophorum litteratorumque gentem gubernare; ergò sapientis principis est philosophos litteratosque viros e republicâ expellere, ut olim Spartæ Romæque factum est.

Resp. Distinguo antecedens. Multò difficiliùs populi exculti quàm inculti reguntur, id est, difficiliùs tyrannicæ dominationis jugum patiuntur, *concedo antecedens :* id est, difficiliùs temperatæ auctoritati subjiciuntur, *subdistinguo :* quandò jam corrupti sunt, *concedo :* quandò nondùm sunt corrupti, *nego antecedens et consequentiam.* Solutio patet. Non tamen contendimus omnes homines philosophos litteratosque debere esse. Nam, licèt scientiæ et artes ingenuæ ex se bonæ sint et utiles, non tamen expedit ut his omnes operam impendant; negligerentur enim artes mechanicæ, agrorum cultura aliæque artes quæ et ipsæ valdè sunt societati utiles : sed nec om-

ninò respuendæ sunt scientiæ; in omnibus verò modus servandus est.

NUMERUS II.

DE SUICIDIO.

§ I. Opiniones. — § II. Thesis. — * § III. Paulò fusiùs probatur minor per partes. — § IV. Objectionum solutio. — § V. Corollaria.

§ I. *Opiniones*. Apud veteres tum Græcos, tum Romanos, voluntaria suî occisio tanquàm fortitudinis actus habebatur. Omnes scholæ philosophicæ suicidium laudibus extulerunt, aut saltem non improbârunt, præter Socratis et Platonis scholam. Non mirum quòd Epicurei, qui voluptatem tanquàm unicum hominis finem prædicabant, vitam miseriis gravem propriâ manu auferre permiserint, sed et ipsi Stoici qui sapientis esse docent adversa patienter tolerare, nec dolori cedere, voluntariam suî occisionem licitam esse judicaverunt. Non defuêre tamen inter veteres qui agnoscerent majore animi fortitudine opus esse ad toleranda vitæ hujus infortunia, quàm ad finem ipsis vitæque simul afferendum. Sic habet, inter cæteros, Martialis poeta :

> Rebus in adversis facile est contemnere vitam :
> Fortiter ille facit qui miser esse potest.

Plurima sunt exempla virorum feminarumque illustrium qui apud veteres sibi ipsis cruentas intulerunt manus. Eo mortis genere interierunt Annibal, Cato, Brutus, Cleopatra. Pernotum est etiam uxoris Pæti exemplum. Hic, imperante Claudio, damnatus capite ob concitatam seditionem, ad mortem sibi inferendam ab Arriâ uxore incitatus, quùm palleret, hæc arreptum pugionem sibi in pectore prior defixit, educensque e vulnere ferrum,

conjugique offerens : Accipe, inquit, Pæte, non dolet. Pætum puduit à muliere vinci, sibique ipsi vitam ferro abstulit. Arriæ factum epigrammatis occasionem Martiali poetæ præbuit.

Nostris autem temporibus sæpenumerò accidunt suicidia. Horum causa indè venit præcipuè quòd in dies minuitur fides alterius vitæ, quòdque plures scriptores suicidium licitum esse contendunt, aut etiam laudant, tanquàm fortitudinis actum. Inter præcipuos auctores qui suicidium approbant, numerantur generatim Materialistæ, velut auctor libri inscripti : *Système de la nature*; et plures Spiritualistæ, Monstesquieu, *Lettres persanes*; J. J. Russæus in opere cui titulus : *Nouvelle Héloïse*; et in alio : *Lettre à Voltaire*; et recentioribus temporibus domina de Staël, *De l'influence des passions sur le bonheur des individus et des nations*. Sententiam autem hanc emendàrunt hi tres ultimi scriptores, scilicet Montesquieu, *Esprit des lois*, liv. XIV, chap. XII; J. J. Russæus in eodem opere, *Nouvelle Héloïse*, in quo sæpè oppositas sententias tuetur, et domina de Staël, in opere cui titulus : *Réflexions sur le suicide*.

Suicidium exhibent præfati auctores, velut actum fortitudinis aut saltem tanquàm actum moraliter indifferentem, sed nobis aliquandò valdè utilem, quem nec Deus, nec societas reprehendere possunt tanquàm malum. Equidem fateor aliquandò res eò venire ut vix probari queat aliquid detrimenti societatem ex voluntariâ nostri occisione accipere, aut nos præcepto amoris erga nos ipsos teneri ad vitam inter ærumnas producendam, nisi ratio habeatur dogmatum christianorum de nostrâ dependentiâ erga Deum, de alterâ vitâ, de merito dolorum patienter toleratorum, et de reversibilitate meritorum. Qui igitur

doctrinæ religiosæ auxilium non advocaret, vix ille, ut opinor, ostendere posset illegitimum esse suicidium quocumque in casu. Admissis autem dogmatibus christianis, patet omninò vitiosam esse suî ipsius occisionem.

THESIS.

§ II. *Illicitum est sibi propriâ manu et auctoritate privatâ necem inferre.*

Probatur. Illud reverà illicitum est, quod malum est tum in se, tum in causâ, tum in affectibus : atqui tale est suicidium propriâ auctoritate; in se enim consideratum, subtrahit hominem experimento cui Deus illum subjecit et cujus solus arbiter est; consideratum in causâ, inhonestum est, causa enim hæc est desperatio; consideratum denique in affectibus, suicidam æternarum pœnarum reum efficit; ergò, etc.

* § III. *Paulò autem fusiùs comprobanda est minor per partes.*

* 1° *Quidem suicidium malum est in se.* Illud enim malum est in se, quod lege divinâ naturali prohibetur : atqui suicidium lege divinâ naturali prohibetur. Illa enim lex naturæ agnoscenda est, cujus existentia sensu quodam et ratione demonstratur : atqui talis est lex quæ nobis ipsis vitam eripere vetat. 1° Quidem hujus legis existentia sensu quodam probatur; Deus enim imis cordibus vitæ amorem insculpendo, ostendit suæ voluntatis esse quòd vitam servemus sospitem. Nonne furens et insanus judicandus est ab omnibus ille qui sibi cruentam necem infert manu propriâ? 2° Ejusdem legis existentia ratione probatur. Res ità est, modò homo his in terris à Deo positus fuerit non ut bonis deliciisque terrestribus

fruatur, sed ad finem moralem destinatus, nempè ut, sectando virtutes, æternam in alterâ vitâ mercedem consequatur, sicque vitam præsentem Deus homini contulerit ut virtutis ejus capiat experimentum ; modò insuper Deus sit arbiter experimenti hujus et mensuræ virtutem quam quisque implere debet : his enim admissis, sequitur hominem non debere injussu Dei e vitâ antè præfinitum tempus migrare : atqui hoc utrumque certum est, tum hominem destinatum esse ad alteram vitam, benè vitæ hujus præsentis utendo promerendam, ut constat ex hominis facultatum, legis naturalis existentiæ, immortalitatis animæ consideratione; tum Deum esse experimenti capiendi mensuræque virtutis implendæ arbitrum. Illius enim est stadii decurrendi spatium cursûsque conditiones præscribere, qui coronas et curriculi præmia liberaliter proposuit. Hinc egregiè Tullius : « Piis omnibus retinen- « dus est animus in custodiâ corporis, nec injussu ejus à « quo ille nobis est datus, ex hominum vitâ migrandum « est, ne munus humanum assignatum à Deo fugisse vi- « deamur. » (*In Somnio Scipionis.*) Ergò 1°, etc.

* 2°. *Suicidium malum est in causâ.* Malum enim est in causâ quidquid fit aut propter superbiam et inanis gloriæ cupiditatem, aut propter libidines deceptas, aut propter divinæ Providentiæ diffidentiam, aut demùm propter animi pusillanimitatem et ignaviam : atqui nullam aliam causam habent suicidia, nisi adfuerit amentia. Sic propter inanis gloriæ cupiditatem sibi violentas manus intulerunt Lucretia, Cato, Brutus aliique; propter libidines deceptas multi perditis moribus juvenes et mulierculæ, multi ludo dediti, amissâ fortunâ, multi mercatores, rebus eventu calamitoso eversis, multi, crimine perpetrato, non valentes conscientiæ stimulos aut infamiam suam ferre,

aut justitiæ humanæ suppliciis se subducere volentes; propter divinæ Providentiæ diffidentiam, multi viri absque debitâ in Deum religione et fiduciâ in bonitatem ejus quæ neminem unquàm auxilium supernum deprecantem patietur malis vires superantibus obrui; demùmque propter ignaviam et animi pusillanimitatem, omnes isti qui vitæ doloribus annihilatione sui finem imponere intendunt. Ergò 2°, etc.

* 3°. *Demùm suicidium malum est in suis effectibus.* Sive illud consideretur relativè ad nos, sive relativè ad alios. Relativè ad nos, suicidio salutis æternæ jacturam facimus, quidquid dicant suicidii propugnatores; Deus enim vanis sophistarum cavillationibus non capitur, aderitque judex integer et iratus ultor auctoritatis suæ contemptui habitæ præceptique sui neglecti. Nùm silentio prætermittet tantum facinus, ille qui reddendam esse verbi otiosi rationem docet? Si quis autem alterius vitæ fidem non habet, cogitet se nec esse certum quòd nulla nos post hujus ævi dies maneat criminum ultio; ad summum enim de futurâ sorte dubium adesse potest in mente incredulorum. Quanta verò insania se in tantum discrimen conjicere? Cogitet insuper se bonis hujus vitæ non secùs ac malis renuntiare, quùm sæpè tantæ non sint calamitates nostræ ut nequeant seriùs ociùsve aliquo solatio levari. Cogitet demùm infamiam suo nomini inustam, quantamcumque enim fortitudinem ostentent sui occisores, semper rectus populi sensus malesanum hunc furorem debito contemptu habet. Relativè ad alios homines, multa et mala sequuntur, nempè parentum amicorumque insanabilis afflictio; rei familiaris eversio; uxoris, liberorum derelictio; pravum cæteris hominibus exemplum datum; officiorum omnium societati debitorum omissio; nullus est

enim qui nequeat, saltem patienter tolerando dolores, societati utilem se præbere tum subministrando patientiæ exemplum, tum etiam doloribus obtinendo à Deo summè misericordi ut bona cæteris hominibus largiatur. « Écoute-« moi, jeune insensé, tu m'es cher; j'ai pitié de tes erreurs; « s'il te reste au fond du cœur le moindre sentiment de « vertu, viens, que je t'apprenne à aimer la vie. Chaque « fois que tu seras tenté d'en sortir, dis en toi-même : Que « je fasse encore une bonne action avant que de mourir. « Puis, va chercher quelque indigent à secourir, quelque « infortuné à consoler, quelque opprimé à défendre...... « Si cette considération te retient aujourd'hui, elle te re-« tiendra encore demain, après-demain, toute ta vie. » (*Nouvelle Héloïse*, t. II, *lett.* 2e.)

§ IV. *Solvuntur objectiones.*

Objicies 1°. Suicidium non est legi naturali adversum; ergò, etc.

Resp. Nego ant. Propter rationes in thesi nostrâ allegatas.

Inst. 1°. Vita est munus quod à Deo accepi tanquam beneficium; ergò possum munus illud restituere quùm jam desiit esse beneficium.

Resp. Nego antecedens. Vita non est munus à Deo largitum duntaxat tanquàm beneficium, sed et tanquàm experimentum virtutis. Quo autem posito, non possum datori munus restituere, etiamsi beneficium esse desinat. Ergò, etc.

Inst. 2°. Non est contra votum naturæ quòd totum corpus membri alicujus abscissione servem; ergò à pari nec est contra ejusdem votum quod felicitati animæ amissione corporis provideam.

Resp. Nego paritatem et consequentiam. Crure aut

brachio amputato, homine autem superstite, perseverat probatio virtutis; hæc autem cum vitâ finem accipit. Homo non positus est his in terris ut felicitate tantùm fruatur, sed et propter ordinem moralem à divinâ Providentiâ institutum, cui se, antè tempus præfinitum, suî occisione subtrahit; ergò, etc.

Inst. 3°. Mala intolerabilia quibus obruor indicant Providentiam divinam mihi permittere ut stationem meam deseram; ergò ordini à Providentiâ divinâ instituto me non subtraho.

Resp. Nego ant. Adversa enim fortuna fortiter tolerata virtutem probat, adauget merita. Hæc igitur indicium est voluntatis divinæ esse quòd cum patientiâ tolerentur hujus vitæ mala, nedùm indicet stationem nostram posse deseri. Non enim prætermittendum est nos positos fuisse à Deo his in terris ad exercitium virtutis quæ multis adversitatibus probanda est, antè quàm præmium æternum consequamur. Ergò, etc.

Inst. 4°. Non me subtraho ordini à divinâ Providentiâ instituto; semper enim, sive vivus sive mortuus, in ejus potestate sum; abjicio corpus quo impedior, dùm mandata ejus liberiùs exequi volo; ergò, etc.

Resp. Nego ant. Qui se occidit, sese subtrahit ordini à divinâ Providentiâ instituto, se enim subtrahit probationi. Non quidem totum se subtrahit Deo, anima enim corpori superstes in manus Dei incidit, et dignam stationis desertæ, injussu divino, pœnam recipit. Frustrà allegatur hunc corpus abjicere quò faciliùs mandata divina exequatur : falsum enim est plerosque suî occisores sese interimere quò Deo liberiùs serviant, quùm econtrà causis nefariis ad illud crimen ducantur, aut saltem ut se à calamitate eximant. Et si fortè quis eo fine sese interi-

meret quò Deo liberiùs serviret, nihilominùs actus ejus pravus esset; non enim Deo serviendum est aliter ac vult. Ergò, etc.

Inst. 5°. Religio revelata nullo modo vetat suicidium; ergò, etc.

Resp. 1°. *Nego ant.* Religio revelata vetat homicidium, *non occides*, ergò vetat et suicidium.

Resp. 2°. *Nego consequentiam.* Etiamsi religio revelata non ipsis verbis suicidium prohiberet, nihilominùs malum esset, quùm adversetur legi naturali; ergò, etc.

Inst. 6°. Præceptum *non occides,* non vetat quin occidantur homines, justâ de causâ, nempè aut in bello, aut in pœnam scelerum, etc.; ergò præceptum illud non probat suicidium esse vetitum.

Resp. Nego consequentiam. Suicidium auctoritate privatâ commissum non habet legitimam causam; ergò, etc.

Objicies. 2° Qui se interimit, non peccat in societatem; ergò, etc.

Resp. 1°. *Nego antec.* Nam officia sua societati denegat, malum cæteris præbet exemplum, proximis molestiam affert; ergò, etc.

Resp. 2°. *Nego consequentiam.* Etiamsi homo occisor sui non peccaret in societatem, nihilominùs maneret nostra thesis; repetimus enim præcipuam probationem nostram ex eo quòd vita sit homini concessa ad colendas virtutes æternamque mercedem promerendam; ergò, etc.

Inst. 1°. Societas eo pacto nititur, quòd privati erga eam tenebuntur, modò exindè percipiant commoda; ergò in societatem non peccat qui eam derelinquit, quùm jam ab eâ nihil sperari potest commodi.

Resp. Nego antecedens. Societas nec eo pacto nec ullo

innititur, sed ratione et naturâ rerum. Et verò etiamsi pacto aliquo erga societatem essemus devincti, falsum tamen esset nos ampliùs eo non obligari quandò commoda ex societate non sperantur, tum quia invalidum est quodcumque pactum lege officii non innixum, tum quia sequeretur neminem teneri ad se devovendum pro salute publicâ; quid enim commodi ampliùs à societate sperare potest ille cui moriendum est pro societatis utilitate? Ergò, etc.

Inst. 2°. Aliquandò sumus adeò miseri ut nullam ampliùs possimus societati utilitatem conferre; ergò tunc non peccamus contra societatem per voluntariam nostri occisionem.

Resp. 1°. *Nego antecedens.* Nullus est adeò miser qui nequeat societati præstare exemplum adversæ fortunæ fortiter toleratæ; nullus qui nequeat precibus patientiâque intra dolores divinum auxilium societati impetrare; ergò, etc.

Resp. 2°. *Nego consequentiam.* Nam etiamsi nequeam ullam ampliùs societati utilitatem conferre, non ideò possum cæteris tristitiam afferre et pravum desperationis ferocitatisque exemplum præbere; ergò, etc.

Inst. 3°. At saltem sese occidere licitum est illi qui insanabili contagiosoque morbo laborans, cæteris molestiam periculumque affert; ergò saltem ille non peccat in societatem.

Resp. Nego antecedens. Non enim prohibemus suicidium solummodò ob societatis utilitatem, sed et maximè eò quòd divinæ Providentiæ ordini adversetur. Et verò ille non potest propriâ auctoritate sibi necem inferre, si nec ipsa societas possit jubere ut interimatur : atqui nec ipsa societas jubere potest ut interimatur; societas enim

nequit insontem morte plectere ut aliquod periculum effugiat : non sunt facienda mala ut eveniant bona ; ergò, etc.

Objicies 3°. Vita mihi molesta est; ergò eam mihimet auferre possum.

Resp. Nego consequentiam. Sequeretur omnia crimina pari ratione excusanda fore, si licitum foret quidquid utile est ad tollendam molestiam quâ afficimur. Et verò vita nobis concessa non fuit propter jucunditatem tantùm, sed maximè propter probationem virtutis; ergò, etc.

Inst. Naturâ licitum mihi est quidquid mihi utilitatem confert, secluso cæterorum damno; ergò licitum est suicidium.

Resp. 1°. *Nego antecedens.* Falsum omninò est mihi licitum esse quidquid mihi utilitatem confert, secluso cæterorum damno; sequeretur enim unicam esse virtutem, nempè justitiam; sequeretur licitum esse omittere quæcumque Deo nobisque ipsis debentur; sequeretur licita esse omnia flagitia quæ cæteris non nocent. Econtrà adsunt officia ex ratione et essentiâ rerum orta; adest lex naturalis ab omnibus servanda; et illud tantum licitum haberi debet, quod lege morali non prohibetur; ergò, etc.

Resp. 2°. *Nego consequentiam.* Admisso antecedente, non sequeretur licitum esse suicidium, illud enim cæteris nocet, ut suprà ostendimus; ergò, etc.

Objicies 4°. Suicidium non est actus ignaviæ, sed fortitudinis; ergò, etc.

Resp. Nego antecedens. Suicidium non est actus fortitudinis; vera enim fortitudo non illa est quæ impenditur ad crimen committendum. Non dico tamen suicidium semper esse actum ignaviæ; fieri enim potest ut ex

aliâ causâ procedat; sed non ideò bonum dicendum est. Ergò, etc.

Inst. 1°. Arria, Eponina, Lucretia, Brutus, Cassius, Cato et alii qui se ipsos interemerunt, non erant ignavi; ergò suicidium non est actus ignaviæ.

Resp. Transeat antecedens, distinguo consequens. Ergò suicidium non semper ignaviæ tanquàm causæ tribuendum est, *concedo consequens et consequentiam :* nunquàm, *nego consequens et consequentiam.* Solutio patet.

Ad antecedens dixi *transeat*, eò quòd necesse non sit ut expendamus an isti ignavi fuerint necne. Quamvìs enim fortitudinis non dubia specimina ostenderint, dùm viverent, nullo modo sequitur eos non ductos fuisse ignaviâ et malorum morte pejorum timore, ad interficiendos semetipsos. Sed quidquid sit, nullo modo sequitur nullos qui se occidunt ignavos esse.

Inst. 2°. Qui se subtrahit malo quod vitare potest, non ideò ignavus dicendus est; ergò suicidium ignaviæ tribuendum non est.

Resp. Dist. antecedens. Qui se subtrahit malo quod vitare potest, non ideò ignavus dicendus est, quandò nullâ lege ad illud ferendum tenetur, *concedo antecedens :* quandò tenetur ad illud tolerandum, *nego antecedens et consequentiam.* Fateor nullum crimen adesse quùm vitamus malum quod vitare possumus, quandò nullâ lege ad illud perferendum tenemur, verbi gratiâ, quandò advocamus medicum ut sanitati restituamur. Sed quandò lex aliqua jubet ut toleremus illud malum, tunc fortitudine opus est, meritòque ignavus habetur qui tunc malum istud fugit. Porrò tenemur vitam etiam miseram servare; ut enim pluriès jam diximus, sibi Deus proposuit ut nos

inter adversa probaret, quid enim meriti haberet virtus illius cui cuncta feliciter semper succederent? Virum autem probum virtutisque inter calamitates tenacem, miramur summisque laudibus et remuneratione dignum prædicamus. Quemadmodùm aurum igne, ità et virtus casibus adversis probatur. Ergò, etc.

§ V. *Corollaria*. Primum. Quùm illicitum sit necem sibi propriâ manu inferre ut calamitas aliqua vitetur, ità et illicitum est vitam alteri eripere ut finis ejus miseriis imponatur, etiamsi ipse enixè rogaret sibi vitam auferri. Reverà non potest hic alteri conferre jus quod ipse non habet. Peccat igitur quicumque eâ intentione ductus occidit miserum. Nam, ut actus aliquis crimin evacet, non satis est quòd finis quem sibi proponit agens sit laudabilis; sed et necesse est ut actus ipse sit ex parte objecti circumstantiarumque legitimus. Sic crimine absolvi nequit armiger Saulis qui hunc regem ipsius jussu interemit, ne vivus adhùc in manus hostium incideret.

Secundum. Disputant philosophi, præsertìmque theologi, de suicidio quod indirectum vocant, an sit pariter illicitum. Distinguunt nempè duplex suicidii genus : directum, de quo hucusquè locuti sumus, quandò scilicet ipsa interfectio nostri intenditur; indirectum verò, quandò non ipsa nex, sed alius intenditur finis e quo mors nostra secutura est. Porrò quidam suicidium indirectum, non secùs ac directum culpant.

Nobis autem videtur omne suicidium indirectum illicitum non esse; non enim eædem adsunt rationes ut prohibeatur; sed huic applicanda esse principia quæ tradunt theologi de *voluntario indirecto* generatìm. Attendendum est scilicet ad naturam actùs ponendi, tum ad gravitatem effectùs boni qui speratur, tum etiam ad gravitatem pravi

effectùs pariter consecuturi. De quibusdam casibus specialibus mentem nostram aperiemus.

Licitumne est ad cicutam damnatum venenum propinare, generatìmque potestne capite damnatus ipse confectoris vices implere, si id ferat sententia judicis? Nobis videtur rem esse ex ejus parte licitam; tunc enim non adest suicidium propriâ autoritate commissum; mors injusta non est; causa est legitima, nempè obedientia præstita sententiæ ab auctoritate legitimâ latæ. Quemadmodùm autem homicidii reus non est confector qui morte sontem plectit, nec ipse criminandus est homo damnatus morte qui ipse sententiam exequeretur. Si enim reus non posset cicutam haurire, nonne pariter deberet ad locum supplicii non procedere, sed totis viribus contra se trahentes reniti; nullus enim ultrò cooperari debet actui quem producere ipse legitimè nequit.

Dùm Albam-Græcam (Belgrade) obsideret Mahumes II, quùm miles quidam e Turcorum exercitu signum bicorne suorum in unâ ex urbis turribus defixisset, factum conspiciens miles quidam Christianus, timensque ne cives urbem jam expugnatam existimarent remissiùsque oppugnatores propellerent, totis viribus enixus est ut signum istud prosterneret. Quùm verò non valeret viribus Turcum superare, hunc amplexatum tenens, se simul cum hoste et signo à turri præcipitem dejecit interemptusque est. Quid de tali actu sentiendum est? Quid etiam sentiendum de Samsone, qui sub ruinâ templi à se dejecti oppressus interiit cum plurimis Philistæorum; pariter et de Eleazaro Judæo qui, ut suis victoriam assereret, subjectus elephanti regis Antiochi Eupatoris, bestiæ pectori ensem infixit, ipseque ejus mole obrutus mortuus est? Mihi quidem videtur hos omnes summâ laude dignos

esse, quòd vitam propriam pro communi salute amittere non dubitaverint. Hic adest actus veræ fortitudinis, mors accipitur, non sibi infertur, nec in tàm egregiis facinoribus videre queo ignobilem suî occisionem, impellente turpi desperatione.

Anno salutis 1827, dùm nostri bellarent pro Græcorum liberatione et independentiâ, accidit ut navim quam vocabant Sagam (*La Magicienne*), cui autem præerat Bisso, juvenis animi virtute commendandus, imparatam oppugnarent duæ prædatoriæ naves quas sexaginta prædones conscenderant. E quindecim nautis aut militibus qui tunc fortuito eventu in navi gallicâ tantùm aderant, jam novem cæsi fuerant. Tùm Bisso, accepto vulnere, navim ad pugnam invalidiorem esse conspiciens, ut integram servaret vexilli patrii gloriam, simulque ne navis suæ fidei commissa in piratarum manus incideret, jubet paucos socios superstites ad terram omnes enatare; ipse verò, scintillam bellico pulveri admovens, navim comminuit, et morte haud ingloriâ vitæ finem accipit. Quid verò de tali genere mortis opinandum est? Meo quidem judicio, nec hic adest suicidium quale prohibitum esse docuimus. Præclarus enim ille juvenis mortem sibi inferre directè non intendebat, aderatque causa satis gravis ut morti non dubiæ occurreret. Non probarem verò eum qui, ut vexilli patrii gloriam servaret, magnam hominum copiam eodem modo occideret; tunc enim bonum effectum malus superaret. Sed duces sic in arcto positi non semper suî satis compotes remanent, nec satis relinquitur temporis ut maturius consilium ineant, possuntque eâ consideratione à culpâ eximi.

* ETHICÆ

PARS QUARTA HISTORICA ET CRITICA.

* In tria capita partem hanc dividemus. In primo agemus De systematibus quæ Ethicæ impossibilitatem secum trahunt; in secundo autem De systematibus quæ falsam de Ethicâ doctrinam continent; in tertio demùm De vero Ethicæ systemate.

* CAPUT PRIMUM.

* DE SYSTEMATIBUS QUÆ AD ETHICÆ IMPOSSIBILITATEM DUCUNT.

* Quatuor numerari possunt systemata quæ ad impossibilitatem Ethicæ ducunt, nempè systemata Scepticorum, systemata Fatalistarum, systemata Pantheistarum, et systemata Quietistarum. Quatuor igitur erunt articuli.

* ARTICULUS PRIMUS.

* DE SYSTEMATIBUS SCEPTICORUM.

* § I. Sceptici generatim. — * § II. Kantius. Principia ejus ethicæ, ex ratione practicâ. — * § III. Quomodò ope Ethicæ dubium speculativum propellere nitatur. — * § IV. Dominus de Lamennais.

* § I. *Sceptici generatìm.* Quùm sceptici omnem veritatem tollant, debent et ipsi omnes veritates morales tol-

lere. Si omnia dubia sunt, dubiæ fiunt morales hominis facultates, dubia fit ejus libertas, et ipsa Ethica nullâ lege certâ potest voluntatem humanam constringere.

* Duæ autem sunt scepticismi species, nempè scepticismus subjectivus, et scepticismus objectivus, ut exposuimus in Logicâ. In utroque autem solvitur quæcumque morum regula.

* Non existimandum autem est scepticos omnes nullam agnoscere legem moralem. Quemadmodùm enim eorum systemati non consonat eorumdem agendiratio, ubi agitur de rebus physicis, ità nec plurium agendiratio et opinio de rebus moralibus cum scepticismo consonant.

* § II. *Kantius. Principia ejus ethicæ, ex ratione practicâ.* Sic, ut de celebriori tantùm sceptico exemplum sumamus, Kantius, qui docuerat nullam objectivam veritatem posse à ratione speculativâ certò apprehendi, ex ratione quam practicam vocat, Ethicæ regulas instituit. Scilicet agnoscit Kantius adesse veritates alias speculativas, alias practicas : priores innotescunt ope rationis speculativæ, posteriores ope rationis practicæ. Eo autem modo Ethicæ principia instituit, in opere cui titulus : *Critice rationis practicæ.* In eo opere expendit primùm absolutè quænam sint conditiones determinationis legitimæ, in agente libertate prædito, nihil in præsenti curans an reverà existant agentes libertate præditi, an non. Ab ideâ igitur causæ, seu, ut voce apud eum magis usitatâ utar, à *conceptu* causæ incipit, expendens quid in eo includatur. Docet conceptum causæ includere conceptum entis sibi ipsi finem suum imponentis, id est, liberi : si enim ex se ipso non moveretur, ab alio igitur impelleretur, et proindè liber non esset. Conceptus causæ includit prætereà conceptum entis præditi intelligentiâ : vana

enim esset in eâ potestas sese determinandi, nisi intelligeret quem finem sibi proponendum haberet. Ex conceptu causæ liberæ sequitur id quod eam movet ad sese determinandum, non posse cogendo impellere; tolleretur enim libertas causæ. Ex necessitate autem accipiendi ex intelligentiâ determinationis incitamentum, sequitur incitamento huic tribuendam esse vim movendi causam. Id autem quod simul causam movet eamque liberam relinquit, non potest esse nisi res quæ obligat statim ut intelligitur, id est lex, seu officium quod novâ et exquisitâ voce nominat imperativum categoricum, *l'impératif catégorique*.

* Nunc verò expendens conceptum legis et officii, agnoscit legem quæ obligationem parit dirigi non posse nisi ad causam liberam et intelligentiâ præditam, ità ut conceptus causæ includatur in conceptu legis et officii, non secùs ac vicissìm conceptum legis et officii vidimus in conceptu causæ inclusum.

* Non solùm autem conditio legis est ut sit obligatoria, sed et ut sit universalis. Quùm enim conceptus legis obligationem parientis includatur in conceptu causæ generatim consideratæ, idem de quâlibet causâ dicendum est.

* Ex hoc sequitur expendendum esse an id quod nos determinat tum obligationem pariat, tum hanc pariat universalem, si velimus agnoscere an adsit officium. Porrò agens plerumquè versatur inter plurimas circumstantias quæ in ejus determinationem suo quæque modo influunt, ex quibus autem ad id ultimatè devenit : indulge voluptati, aut utilitati, aut officium imple, aut aliquid aliud ejus modi. Porrò istarum circumstantiarum collectio partem materialem rationis moventis efformat; ultima autem sententia partem formalem, hæcque est verè ratio deter-

minans. De hâc igitur utrumque quærendum est, an obliget, an et obligationem universalem pariat.

* Sequitur ex iis quæ præcedunt, causas liberas, si quæ sint, ut bonum agant, debere sese determinare secundùm legem officii.

* Libertas autem, juxta Kantium, eâ conditione exercetur quòd agens incitamentis legi oppositis simul trahatur, adeò ut adsit lucta inter hæc et officium. Si enim agens solâ lege officii moveretur, non verò quasi libraretur inter rationes oppositas, non posset non officio cedere. Quùm verò causa libera cupiditati, non rationi obsequitur, eo ipso libertatem amittit : ea enim libertatis natura est ut causa cedat legi obligatoriæ, non autem incitamento quod obligationem nullam parit. Quandò causa cedit legi non suæ, adest *heteronomia*, causaque à Kantio dicitur *heteronoma* ; quandò autem legi propriæ obsequitur causa, hæc *autonoma* est, seu adest *autonomia*.

* § III. *Quomodò ope Ethicæ dubium speculativum propellere nitatur.* Hoc autem mirum est et præcipuum, quòd Kantius ex his principiis defectum rationis speculativæ suppleri dubiumque objectivum propelli existimet. Memoriæ revocandum est Kantium, ut exposuimus in Logicâ, docere de omnibus objectivè dubitandum esse ex ratione speculativâ, nos tantùm certos esse de iis quæ intra nos aguntur, et indè non haberi nisi certitudinem subjectivam. At saltem certus est se existere, et se causam liberam esse : hæc enim testatur conscientia quæ, quùm sit facultas subjectiva, certitudinem afferre agnoscitur. Sibi igitur saltem uni competunt quæcumque de causâ liberâ statuit ope rationis practicæ. Sed et animadvertit se ex eâdem ratione accipere, præter conceptus superiùs memoratos, simul et conceptum meriti et demeriti,

juxta quem agnoscit felicitatem à virtute disjungi non posse. Quùm verò se non sentiat perfectè beatum in præsenti vitâ, quamvis sit virtutis cultor, exindè immortalitatem animæ concludit. Frustrà autem futuram vitam speraret, nisi existeret causa provida, bona, æqua, potens, quæ valeret virtuti infelici debitam mercedem rependere; hæc igitur causa, sive Deus, existit. Itaque restituuntur ope rationis practicæ veritates istæ de quibus, ex ratione speculativâ, nec affirmandum, nec negandum erat illas esse opinioni subjectivæ concordes.

* Non immorabimur in expendendis singulis Kantii placitis. Id tantùm animadvertemus, scilicet eum sibi illudere, ut agnoscunt omnes, etiam discipuli, quùm scepticismum speculativum ratione practicâ èvadere existimat. Conceptus enim omnes quibus causam, libertatem, officium, legem, etc., demonstrat, ejusdem sunt naturæ ac conceptus qui existentiam Dei spectant; non enim magis à conscientiâ accipiuntur, sed e ratione purâ deducuntur pariter. Undè ratio cui conceptus causæ et officii tribuuntur, malè practica dicitur; ii enim conceptus verè speculativi sunt. Itaque Kantio objiciemus istud cui nihil reponendum videtur : vel conceptus speculativi certitudinem ultrà subjectivam habent, vel non. Si habent, cur ergo rationis speculativæ conceptus negas esse objectivè certos, quùm agitur de existentiâ Dei demonstrandâ? Si non habent; cur nunc contendis ex iis tandem obtineri certitudinem objectivam existentiæ Dei? Nunquàm enim conclusio potest præstare præmissis. Concludas demùm systema Kantii Ethicam impossibilem relinquere ob ejus scepticismum.

* § IV. *Dominus de Lamennais.* Potest etiam dominus de Lamennais annumerari inter scepticos ex quorum sys-

temate sequitur impossibilem esse Ethicam, saltem naturalem. Hanc ille sequelam non repellit; contendit enim nullam veritatem certò cognosci posse ope solius rationis humanæ, impossibilemque esse idcircò legem naturalem. Loco autem legis naturalis legem revelatam admittit.

* ARTICULUS II.

* DE SYSTEMATIBUS FATALISTARUM.

* Systemata Fatalistarum ducunt etiam ad negandam possibilitatem Ethicæ. Sublatâ enim libertate hominis, ille jam actus suos regere nequit, inutilesque evadunt omnes regulæ Ethices. Hinc Fatalistæ nequeunt legem moralem agnoscere, nisi ipsi sibi contradicant. Porrò non rarò in id vitii incidunt. Sic inferiùs exponemus systema Hobbesii, quanquàm auctor ille, falsam libertatis notionem afferendo, rem, servato tantùm nomine, tollit. De cæteris Fatalistarum systematibus nil addendum esse existimavimus his quæ superiùs diximus in primâ parte hujusce Ethicæ.

* ARTICULUS III.

* DE SYSTEMATIBUS PANTHEISTARUM.

* § I. Systemata Pantheistarum generatìm. — * § II. Spinosa. — * § III. Quid sit homo in systemate Spinosæ. — * § IV. An homo liber sit. — * § V. Gravissima Spinosæ contradictio. — * § VI. Omnis Ethica ad scientiam reducitur. — * § VII. Regulæ Ethices, juxta Spinosam. — * § VIII. De immortalitate animæ. — * § IX. Critices. — * § X. P. Leroux.

* § I. *Systemata Pantheistarum generatìm.* Sequitur et ex systematibus Pantheistarum legem moralem esse ex

omni parte impossibilem, nempè ex parte objecti, ex parte præcepti, et ex parte subjecti. Ex parte objecti : in iis enim systematibus, nec error, nec vitium adesse possunt. Quidquid enim evenit, quùm sit entis necessarii et summè perfecti necessaria evolutio, semper et verum et bonum est. Nullum igitur adest discrimen inter verum et falsum, inter vitium et virtutem; et proindè objecto caret lex moralis. Hæc insuper impossibilis est ex parte præcepti. Nullum enim existere potest præceptum, nisi adsit superior aliquis et inferior. Porrò, quùm Deus sit quidquid existit, et quidquid existit sit Deus, patet nec ullum esse inferiorem, nec ullum superiorem. Demùm impossibilis est lex moralis ex parte subjecti in systemate Pantheistarum, tum quia nullus est inferior, et proindè nullum est subjectum legis; tum quia, etsi diceretur entia particularia, seu potiùs modificationes substantiæ unicæ esse huic inferiores, at saltem liberæ non sunt, quid enim liberum esse potest in eo quod est entis necessarii necessaria evolutio? Quicumque igitur agendirationem opinioni Pantheistarum consonam esse vellet, deberet nec vitium, nec virtutem curare, omnibusque posset libidinibus indulgere, quùm in opinione Pantheistarum omnia quæ eveniunt sint æquè bona : deberet etiam in perfecto quietismo remanere et sese eventibus, prout succedunt, committere, quùm omnia eveniant necessariò, nec activitate liberâ homo præditus sit ad avertendos aut adducendos quoscumque eventus. At plerumquè non sibi constant Pantheistæ; sic de Ethicâ scripserunt Spinosa et P. Leroux, de quibus mox, et Fichte, de quo paulò inferiùs agetur. Secum magis concordes inveniuntur philosophi indi, de quorum quietismo agemus in proximè sequenti articulo. In præsenti autem exponemus tantùm systemata moralia Spinosæ et P. Leroux.

* § II. *Spinosa.* Jam exposuimus in Theodiceâ qualis fuerit Spinosæ pantheismus, nunc exponendum occurrit quomodò ex pantheismo ad regulas morum transeat, et quasnam morum regulas proponat. Quæ sequuntur excerpta sunt ex ejus opere inscripto : *Ethica.*

* § III. *Quid sit homo in systemate Spinosæ.* Ut intelligatur quid sit homo, juxta Spinosam, res paulò altiùs repetenda est.

* Dei essentia, juxta Spinosam, est existentia; ipse simplex est et indivisibilis et unica omnium quæ conspiciuntur substantia universalis. Quùm Deus sit infinitus, habet ideò attributa infinita numero et magnitudine; sed duo tantùm nobis manifestantur, nempè cogitatio et extensio. Duo ista attributa sibi respondent. Scilicet cogitatio adesse nequit absque objecto; objectum verò cogitationis sunt omnes motus qui in extensione eveniunt. Tot igitur sunt cogitationes speciales, quot motus in extensione. Prætereà cogitatio suî conscientiam habere potest. Cogitationis et extensionis varii sunt modi : modi autem cogitationis sunt variæ mentes; et modi extensionis sunt varia corpora. Varii modi duorum istorum attributorum ab iisdem discrepant, non secùs ac attributa Dei discrepant ab ipso Deo, quamvìs ipsa sint modi divini et attributa divina. Scilicet Deus est existentia absolutè infinita : attributa autem Dei non sunt infinita ex omni parte; quùm enim plura sint, singula sibi apponunt limites; sed unumquodque in suo tantùm genere infinitum est : ipsa igitur finita sunt relativè ad Deum, et ideò ab ipso discrepant. Pariter modi finiti sunt relativè ad attributa et ad Deum. Sit corpus aliquod, cera, verbi gratiâ, quæ commune habet cum cæteris corporibus quòd sit extensa. Sed extensio non constituit ceram; sequere

tur enim ceram esse quidquid extensum est. Cera igitur non est quælibet extensio, sed modus aliquis extensionis, et modus ille ab ipsâ extensione differt. Mentes pariter sunt modi cogitationis et ab ipsâ cogitatione discrepant. Mentes enim id commune habent quòd cogitent; sed hæc vel ista mens non est cogitatio; sequeretur enim mentem hanc esse quiquid cogitat. Hæc itaque non est nisi modus cogitationis ab ipsâ cogitatione discrepans. Idem de singulis mentibus dicendum. Itaque, juxta Spinosam, quodlibet corpus est pars aliqua extensionis divinæ, et quælibet mens est pars aliqua cogitationis divinæ; sed utraque non est Deus. Extensio et cogitatio divinæ sunt veluti duo flumina quæ parallelo et æquali cursu fluunt; singula corpora sunt collectio quorumdam fluctuum prioris fluminis; singulæ mentes sunt pariter collectio quorumdam fluctuum alterius fluminis : singuli autem fluctus sunt totidem partes corporis aut cogitationes particulares. Hinc patet mentem non esse nisi collectionem plurium cogitationum. Homo autem est collectio plurium fluctuum cogitationis, cui respondet collectio plurium fluctuum extensionis; cogitatio enim, ut diximus, extensioni respondet. Homo res est unica duplicem respectum habens. In homine adest duplò major realitas quàm in corpore aut in mente; duos enim modos in se continet. Sed e memoriâ non excidat duos illos modos esse modos divinos tum extensionis, tum cogitationis. Homo tamen non est Deus, quùm modi divini ab attributis divinis et ab ipso Deo discrepent.

* § IV. *An homo liber sit.* Ut agnoscamus an homo liber sit nunc in systemate Spinosæ, considerandum est quâ lege sibi succedant modi divini, quùm hominis cogitationes aut motus non sint nisi fluctus cogitationis et

extensionis, sive modi divini. Porrò docet Spinosa ens necessarium, id est Deum, non posse evolvi et agere, nisi juxta leges necessarias suæ naturæ. Agnoscit igitur Spinosa Deum liberum non esse eo sensu quo vulgò libertas intelligitur, sed eo sensu quòd à nullo alio cogatur; at verò ab ipsâ naturâ suâ ad agendum determinatur. Homo autem ne eâ quidem libertate gaudet; cogitationes enim mentis ejus et motus corporis à causâ externâ producuntur. Quemadmodùm enim fluctus ab alio fluctu propellitur, ità et cogitationes mentis humanæ corporisque motus ab antecedenti cogitatione aut motu ducunt originem, sicque semper retrocedendo, donec tandem ad Deum deveniatur. Quùmque Deus qui primam impulsionem communicat, agat juxta leges naturæ suæ necessariæ, sequitur necessariò evenire quidquid evenit, hominisque cogitationes et motus non ab ipso homine, sed à causâ æternâ oriri. Prætereà quùm mens humana non sit nisi collectio plurium cogitationum sibi succedentium, tota simul non existit, et proindè non potest esse causa cogitationum suarum, effectus enim esset causâ prior.

* § V. *Gravissima Spinosæ contradictio.* Ex his sequitur hominem esse actuum suorum impotentem, et proindè Ethicam esse omninò impossibilem. Quocircà non potest Spinosa Ethicæ leges homini præcribere, quasi liber esset, nisi sibi apertè contradicat. Porrò in hanc contradictionem reipsà incidit, quinimò totum ejus systema pantheismi deprehenditur in libro quod de Ethicâ scripsit. Adeò aperta est gravissima hæc Spinosæ contradictio, ut ejus laudatores confiteri cogantur sibi nullam excusationis causam occurrisse, quamvis ad aliquam detegendam diù desudaverint. Quidquid sit, docet quæ sequuntur.

* § VI. *Omnis Ethica ad scientiam reducitur.* Homo,

ut diximus, est una res duplicem respectum habens; attamen de unico disserit Spinosa in parte morali sui systematis, nempè de animâ. Ethica, juxta eumdem, investigandum habet quibusnam legibus crescant decrescantve viæ quibus augentur aut minuuntur existentia, realitas, perfectio et felicitas animæ. Scientiâ autem hæc augentur, sicque tota Ethica ad scientiam reducitur. Reverà quùm anima sit collectio cogitationum, et ideò cognitionum, augentur existentia, realitas et perfectio animæ, quò plures habentur cognitiones, eæque lucidiores. Quùm verò felicitas in eo sita sit quòd desideria expleantur, et desiderium animæ sit ut existentiam suam augeat, sequitur et augeri ejus felicitatem eâdem ratione quâ augetur ejusdem existentia. Scientia igitur via est augendi existentiam, realitatem, perfectionem et felicitatem animæ. Itaque scientia est finis moralis ad quem tendere debet homo, regulæ ad comparandam scientiam constituunt leges morales, sicque tota Ethica ad scientiam reducitur, scientiaque est unica virtus.

* § VII. *Regulæ Ethices, juxta Spinosam.* Agnoscit Spinosa desideria, seu potiùs desiderium unicum et passiones. Deus, quùm essentia sua sit existentia, desiderium necessarium unicumque habet, nempè ut existere perseveret. Pariter anima humana, quæ est emanatio divina, unicum desiderium habet, nempè ut perseveret in eo quod existentiam suam constituit, scilicet cognitionem. Causæ autem exteriores, sive faveant, sive noceant, id tamen efficiunt ut denique cognitio nostra limitibus coerceatur; istæ enim minuunt numerum cognitionum nostrarum easque reddunt inadæquatas et confusas. Hinc desiderio nostro repugnant causæ istæ, commoventque intra nos gaudium, aut amorem, aut spem, si favent;

tristitiam econtrà, aversionem, timorem, si nocent. Motus istos passiones vocat Spinosa, eo quòd passivi simus in istis motibus, quùm causis exterioribus excitentur.

* Punctum itaque in eo situm est quòd augeantur cognitiones, sive ideæ nostræ simulque reddantur adæquatæ et distinctæ, sicque regulæ Ethices in regulas Logicæ recidunt. Exponenda itaque est theoria idearum quam excogitavit Spinosa.

* Objecta idearum sunt, ut diximus, motus corporis : hos vocat affectiones. Quò majores sunt numero in corpore affectiones, eò ampliùs augentur numero ideæ mentis. Ideæ quæ repræsentant affectiones corporis sunt essentialiter inadæquatæ; ut enim haberetur idea adæquata alicujus affectionis corporis nostri, oporteret ut haberetur idea ipsius corporis, tum et causæ quæ in eo hanc affectionem, sive motum hunc, produxit. At verò et corpus ipsum, et causæ exteriores, non cognoscuntur nisi ope harumce affectionum : ideæ igitur quæ affectiones istas repræsentant, sunt essentialiter inadæquatæ et confusæ.

* Præter ideas quæ immediatè ab affectionibus corporis veniunt, agnoscit ideas quæ à recordatione ducunt originem. Nempè motus corporis non citò quiescunt; sed impressio orta à causâ aliquâ externâ, producit in corpore modificationem aliquam aliquandiù perseverantem, partesque corporis affectæ faciliùs posteà eâdem affectione commoventur. Præterà affectiones novæ corporis possunt præteritas quibuscum analogiam habent, rursùs excitare. Ea est memoria e quâ ideæ etiam plurimæ ducunt originem.

* Ideæ, sive immediatè ab affectionibus corporis, sive à recordatione veniant, particulares sunt, ipsæ veniunt

ex fluctu actionum externarum quæ nos ad percipiendum determinant, et, ut diximus, illæ sunt inadæquatæ et confusæ.

* At habemus ideas adæquatas et distinctas quandò internè determinamur ad intelligendum convenientiam aut disconvenientiam rerum, contemplando simul plures ex his ideis, sicque assurgendo ad ideas generales. Quid enim causæ est cur ideæ affectionum corporis inadæquatæ sint et confusæ? Nempè quòd, quùm repræsentent objecta particularia quibus adjuncta sunt plurimæ circumstantiæ, multa ex his nos fugiunt, sicque ideæ hujus generis sunt inadæquatæ et confusæ. Quùm verò habentur plurimæ ideæ particulares et illæ inter se conferuntur ut retineatur quod omnibus commune est, tunc tollitur quod est particulare et quod ideam inadæquatam et confusam efficit. Conferendo autem secum ideas generales, tunc generaliores adipiscimur, sicque magis ac magis adæquata et clara evadit cognitio.

* Indè triplicem cognitionis gradum distinguit Spinosa. Primus est in quo cognitio coalescit tantùm ex ideis particularibus, quales immediatè oriuntur ab affectionibus corporis. Vix ultrà hunc gradum vulgus progreditur, et indè ideæ confusæ, passiones, infelicitas majoris partis hominum. In secundo gradu, cognitio componitur ex ideis generalibus quæ particularibus viciniores sunt: jam verò aliqua habetur notio attributorum. Denique in tertio gradu, mens assurgit ad ideas generalissimas et ad eam quæ summa est, nempè ideam absolutam et universalem ipsius Dei. Gradus ille perpaucorum est sapientium qui toti sunt ut meditationi vacent.

* Quùm idea Dei sit generalissima, aliquid ex hâc ideâ adest in omnibus cæteris ideis, sicque quandiù non ha-

betur idea Dei, semper cæteræ ideæ aliquid obscuri et inadæquati præ se ferunt, undè idea Dei complet et claras efficit omnes alias ideas. Hinc idea Dei est summa lux, summa cognitio, summa realitas, summa perfectio summaque felicitas hominis.

* § VIII. *De immortalitate animæ.* Quùm nulla sit idea absque objecto, illudque admittat Spinosa, sequitur, pereunte objecto idearum, perire ideas. Quùm verò mens humana sit collectio idearum sibi succedentium, sequitur et illam perire, pereuntibus ideis. Atqui ideæ quæ repræsentant affectiones corporis pereunt; perit enim corpus. Itaque pereunt et animæ eorum qui non curârunt ultra ideas particulares assurgere; supersunt verò animæ eorum qui ad ideas generales, maximè ad ideam Dei pervenerunt, æternæque fiunt et immortales, quemadmodùm et æternæ immortalesque sunt ideæ generales. Porrò à nobis pendet quòd avertamus cogitationem nostram ab objectis particularibus, scilicet à corpore, eamque convertamus ad ideas generales.

* § IX. *Critices.* Non immorabimur ad confutandum systema à recto et communi sensu adeò alienum. Non tempus et operam absumemus in ostendendis tum æquivocationibus quibus innititur; tum allegatis incertis quæ pro indubitatis asseruntur; tum præcipuè abstractionibus quas pro realitatibus sumit iste auctor. Animadvertemus tantùm systema illud falso inniti principio, in se contradictorium esse, et in consectariis absurdissimum. Nititur quidem falso principio, nempè pantheismo quem in Theodiceâ abundè confutavimus. Deindè contradictorium est in se, quùm tollat libertatem humanam posteàque regulas morales proponat. Demùmque absurdissimum est in suis consectariis, ut ex superiùs expositis apertè constat.

* § X. *P. Leroux.* De ejus opinione idem dicendum est ac de quocumque systemate pantheistico generatim. Huic autem specialia sunt quæ sequuntur. Simul ille prædicat et utilitatis privatæ abnegationem, et ipsam hanc utilitatem privatam. Scilicet, juxta eum, futurum est ut aliquandò per quamdam metempsychosim redituri simus ad vitam postquàm defuncti fuerimus. Abneganda igitur nunc est privata utilitas, ut promoveatur generis humani perfectio, bonum commune humanitatis solum considerare debemus, ipsi fructum abnegationis nostri posteà percepturi; eò enim majoribus commodis fruemur, quò perfectius erit genus humanum quùm posteà vitæ fuerimus redditi.

* ARTICULUS IV.

* SYSTEMATA QUIETISTARUM.

* § I. Scopus hujusce articuli. — * § II. Quietismus indicus. — * § III. Quibus modis perfecta quies obtinenda sit. — * § IV. Perfectæ quietis effectus. — * § V. Quietismi hujus consectaria. — * § VI. Quietistæ recentiores inter christianos. — * § VII. Molinos. — * § VIII. Domina Guyon. — * § IX. Fenelonius. — * § X. Ascetismi christianorum à quietismo præsertim indico discrimen.

* § I. *Scopus hujusce articuli.* Exponenda suscipimus systemata Quietistarum indorum, et systemata damnata quorumdam Quietistarum christianorum, ut ostendamus quantum adsit differentiæ inter ista quietismi systemata et opinionem Christianorum qui sanam de scientiâ mysticâ doctrinam tradunt. Id autem haud inutile erit. Hodiè enim philosophi nullo modo ista Quietistarum systemata à vero nostrorum anachoretarum aut monachorum

ascetismo secernunt, ut vitam asceticam odibilem efficiant pariter ac quietismum. Ut faciliùs vera systemata cum falsis confundant, omnia unico nomine systematum mysticorum designant. Ità inter cæteros Th. Jouffroy (*Cours de droit naturel*, t. I, cinquième leçon, *Système mystique*). Datur autem locus quietismum expendendi in præsenti capite; sequitur enim ex quietismo tolli regulas Ethicæ.

* § II. *Quietismus indicus.* Omnia systemata philosophica Indorum quietismum docent, quidquid de reliquo sentiant, sive pantheismum, sive deismum, sive etiam atheismum prædicent. Hæc omnibus communis est ratio, quòd quietismum tradant tanquàm viam effugiendi transmigrationes varias quæ manent animam humanam solutam à corpore : admittunt enim metempsychosim. Scilicet in tres ordines possunt homines distribui : perversi suppliciis inferni post mortem traduntur; imperfecti varias subeunt transmigrationes, donec à levibus culpis sint purgati; perfecti verò in sinum Dei supremi redeunt, etiam dùm vivunt, juxta Pantheistas, aut fiunt omnipotentes, in aliis systematibus, nec variis transmigrationibus sunt obnoxii. Perfectio autem in quietismo absoluto consistit. Qui perfectioni student, vocantur *Sannyasi* et *Yogui*.

* Inter cujuslibet systematis philosophici asseclas adsunt qui perfectioni student, quique Yogui nominantur : at præsertim adsunt inter discipulos cujusdam philosophi cui nomen *Patandjali*. Quis fuerit ille Patandjali dubitant peritiores. De eo, non secùs ac de præcipuis scholarum philosophicarum magistris, narrantur plurimæ fabulæ. Juxta quosdam, Patandjali fuit unus e septem patriarchis Indorum qui ab ipsis vocantur *Richis* aut

Mounis. Juxta alios, idem esset Deus in unâ e suis incarnationibus quas multiplices esse agnoscunt Indi.

* Quisquis fuerit Patandjali, huic tribuitur liber quidam inter sacros non reputatus, magnâ tamen veneratione apud Indos habitus, cui nomen *Yoga-Sastra,* in quo, negando Providentiam, docet deismum simulque quietismum. Quietismum pariter docent, et eadem, ut ad quietismum perveniantur, præscribunt libri sacri, nempè libri quibus nomina *Oupnekat* et *Oupanichats,* quorum prior posterioris est compendium, posterior autem partem dogmaticam et moralem Vedarum continet.

* § III. *Quibus modis perfecta quies obtinenda sit.* Plures sunt modi assequendi quietem absolutam et perfectionem. Adeò ridiculæ sunt et absurdæ istæ rationes, ut eas me referre pudeat : referam tamen, ut pateat quàm malâ fide dominus Jouffroy Quietistis Indiæ similes exhibeat ascetas christianos.

* Homo quietis perfectæ cupidus solus recedat in loco in quo nullus audiatur sonitus; in se recipiat omnia membra, quasi testudo; accuratè occludat omnes aperturas corporis, ne quis exeat e quinque ventis qui in eo includuntur. Quapropter calcibus adsidens rectus, cruribus in morem crucis inter se commissis, utroque pollice aures obstruat, labia inter digitulum et digitum annularem utriusque manûs comprimat, indicibus autem claudat oculos, medios autem digitos naribus hinc et indè applicet. Corpore sic composito, dùm unam narim digito comprimit, liberam relinquat alteram quâ trahat auram, quàm majori vi et quàm longiori tempore valuerit. Hanc deindè occludens, alterâ reddat halitum, quanto pariter nisu et tempore poterit.

* Aliàs, servato eodem situ corporis, inter unamquam-

que halitùs attractionem et redditionem, octoginta vicibus pronuntiatur vox *oum;* duodecies, inter inspirandum, cæteris vicibus verò, inter exspirandum. Vox ista *oum,* tribus litteris constans, symbolum exhibet trinitatis indicæ; prima littera Brahmam exhibet, secunda Vichnoum (*Vichnou*), tertia Sivam. Quicumque ritum hunc per tres menses servat, quarto angelos videt; quinto omnes eorum dotes obtinet; sexto demùm fit Entis supremi forma.

* Alius ritus, nec minùs efficax ut omne amoliatur periculum numenque conspiciatur, in eo consistit quòd, corpore eodem modo composito, oculi dirigantur in nasi primoris acumen, in eoque fixi detineantur, intereàque pronuntietur vox *oum.*

* Adest et efficacior adhùc via, nempè ut cognoscatur venula quæ sita est in extremâ parte nasi, inter duas nares. Qui eam adæquatè novit, usquè ad Ens supremum Para-Brahm sese intulit, effectusque est ejus forma. (*Oupnekat*, t. II, p. 274, 359, 363, 197, 277, *aliisque.*)

* Sunt qui vertigine membra rotant, ut ad extasim perveniant. Eo facto perturbatur cerebrum, caligant oculi, intereàque suæ individualitatis conscientiam amittentes, per aliquantulum temporis intra universalem substantiam iterùm recipiuntur, audiunturque clamitantes : *Ego sum Brahma.*

* At plerumquè immobiles manere satagunt, etiam per plures annos. Sunt quibus cibi in os introducendi sunt; sunt et qui tandiù absque motu permanent, ut posteà moveri jam ampliùs nequeant, rigentibus membris ex inertiâ longiori. De his vix credibilia narrantur, quædam vera, quædam verò apertè falsa. Poema quoddam indicum loquitur de uno ex Yoguis qui tandiù immobilis per-

manserat, ut genua essent in humo defixa et abdita : circumcircà creverant diversæ plantæ; inter capillos intertexta erat hedera in quâ nidos posuerant volucres.

* § IV. *Perfectæ quietis effectus.* Tantæ inertiæ digna merces habetur. Qui pantheistæ sunt, hâc se intra ens universale iterùm recipi existimant. Omnes autem, sive pantheistæ sint, sive non sint, omnipotentiam hâc viâ se assequi putant. Ubi aliquis Yogui ad perfectam inertiam devenit, tunc potest extremâ parte duorum digitorum solem lunamque simul contingere, et quodcumque libet operari. Imò ipsis Diis valentior efficitur. Narrantur, in pluribus ex eorum poematibus, plura numina indica pessimè mulctata à quibusdam ex Yoguis. Hi sunt qui apud Indos artem magicam exercent.

* § V. *Quietismi hujus consectaria.* Consectaria ad praxim spectantia quæ e quietismo profluunt, admittuntur ab indicis philosophis, nempè virtutem vitiumque fieri indifferentia pro eo qui ad perfectionem istam devenit; justitiam amitti non posse; opera omninò inutilia esse, imò et perfectioni repugnare.

* § VI. *Quietistæ recentiores inter Christianos.* His positis expendendum est an meritò dominus Jouffroy unicâ eâdemque sententiâ omnes ascetas christianos cum Quietistis indicis sub mysticorum nomine proscripserit. Fatemur adfuisse inter Christianos, hæreticos veteres, nempè Gnosticos, Beguardos aliosque quorum systemata multùm similitudinis habebant cum Indorum ineptiis impurisque earum consectariis. Adfuerunt et, non ità anterioribus seculis, scriptores mystici qui damnabilem quietismum docuerunt, nempè imprimis Molinos qui consectaria quietismi admittebat. Quoddam etiam quietismi genus apud nos à dominâ Guyon et ab illustrissimo Fenelonio

traditum fuisse nemo nescit. Sed ab his omnibus dijudicandum non est qualis sit ascetismus christianus, quùm econtrà omnes isti errores ab Ecclesiâ solemniter damnati fuerint. Hereticos prætermittentes, loquemur tantùm de his tribus scriptoribus mysticis.

* § VII. *Molinos*. Molinos erat presbyter e gente Hispanorum. Hic, exeunte seculo decimo septimo, quietismum docuit in Italiâ. Perfectio, juxta hunc, consistit, etiam ex hâc vitâ, in actu non interrupto contemplationis et amoris Dei. Actus ille amoris eminenter continet actus cæterarum quarumlibet virtutum. Hic actus, semel productus, semper perseverat, etiam intra somnum, modò expressè non revocetur, undè sequitur necesse non esse quòd perfecti illum iterùm producant. In eo statu mens in absolutâ inertiâ coram Deo manere debet, non secùs ac corpus absque animâ. Nihil jam animam Deo conjunctam ab eo retrahere valet, et ideò non curandum quid in corpore agatur. Ex his sequitur tum bonorum operum inutilitatem, quùm actus amoris eminenter contineat actus omnium aliarum virtutum; tum justitiam amitti non posse, quùm actus ille perseveret, nisi expressè revocetur; tùm demùm hominem perfectum posse flagitiis immergi, quùm ipsi curandum nullo modo sit quid in corpore aut etiam in parte inferiori animæ peragatur. Hæc omnia consectaria admiserat Molinos. Hunc damnavit Innocentius XI, decreto dato die 20 novembris, anno autem 1687. Molinos, doctrinâ suâ publicè Romæ ejuratâ, in carcere extremum diem obiit, insigna christianæ pietatis signa præbens, die 29 decembris anni 1696.

* § VIII. *Domina Guyon*. Licèt hæc non admiserit consectaria flagitiosa quietismi Molinosi, scriptis tamen docuit quietismum cujus principia multum affinitatis ha-

bent cum principiis hujus presbyteri. Hæc nempè pariter admittit perfectionem consistere, etiam ex hâc vitâ, in actu non interrupto contemplationis et amoris, qui, semel productus, semper perseverat, nisi expressè revocetur. Hinc sequitur, et hæc sequela ab eâ videtur admitti, animam quæ perfectionem adepta est, jam non teneri ad actus explicitos à caritate distinctos, et tollendos esse omnes actus e propriâ industriâ venientes, tanquàm perfectæ in Deo quieti repugnantes. In hoc statu perfectionis, anima debet esse indifferens omnibus rebus quæ vel animam, vel corpus, vel bona temporalia, vel æterna spectant. In statu contemplationis, rejiciendæ sunt omnes ideæ distinctæ, etiam attributorum Dei et mysteriorum Christi Domini. Licèt doctrinam hanc jure reprehenderint Episcopi, videtur tamen dominam Guyon peccasse potiùs verbis, quàm sensu et mente. Constat saltem hanc semper fuisse integram moribus, et rectâ intentione ducta fuisse videtur.

* § IX. *Fenelonius*. Quùm domina Guyon sese cum Fenelonio amicitiâ junxisset, quietismum ex eâ accepit perillustris ille vir. Sententiam suam docuit in libro nimis celebri cui titulus : *Maximes des Saints*. Pius ille Archiepiscopus confutat, tanquàm in hâc vitâ impossibilem, actum non interruptum contemplationis et amoris, simulque cæteros errores qui ex hoc falso principio sequuntur ; opinionemque suam totam in his quatuor punctis contineri declarat, nempè : 1° omnes vias interioris vitæ tendere ad amorem purum, id est, ab omni propriæ utilitatis consideratione absolutum ; 2° finem probationum quæ non raró eveniunt in vitâ interiori, esse animæ purgationem ; 3° contemplationem, etiam illam quæ maximè sublimis est, nihil aliud esse præter exercitium quietum

hujus puri amoris; 4° demùm statum perfectissimum quem scriptores mystici vocant *vitam unitivam* aut *statum passivum,* esse perfectam puritatem et habitualem statum hujus amoris. Hæc quidem vera sunt, nec reprehendenda, quamvis Bossuetio aliter visum fuerit. At verò, in conscribendo opere, non semper usus est sermone satis castigato, ex quo factum est ut contineatur in ejus libro quietismus minùs rigidus, quem nullo modo intendebat, cujus principium fundamentale est status habitualis puri amoris, in quo nullus locus desiderio mercedis et pœnarum timori relinquitur. Indè exorta est magna Bossuetium inter et Fenelonium controversia. A summo Pontifice damnatus est liber Fenelonii solemni decreto, cui cum humilitate omni laude dignâ paruit ex animo pius Archiepiscopus cameracensis.

* § X. *Ascetismi Christianorum à quietismo præsertim indico discrimen.* Ex his quæ exposuimus, patet quantùm à quietismo indico discrepet ascetismus etiam vitiosus Christianorum. Quùm autem Th. Jouffroy loquatur præcipuè de ascetismo monachorum generatim, speciatim verò eorum qui Thebaïdem olim incoluerunt et de sancto Simeone Stylitâ, constabit ex his quæ subjungimus, quantam his calumniam instruat quùm illos Quietistis indis pares exhibet.

* Discrepant utrique : 1° dogmatibus quæ profitentur. Quietistæ indi sunt Polytheistæ, aut Pantheistæ, aut Deistæ, aut etiam Athei, veluti Kapilæ discipuli, omnibusque et absurdissimis superstitionibus imbuti. Monachi et anachoretæ christiani econtrà verum et unicum Deum confitentur sanèque de cæteris sapiunt.

* Discrepant : 2°, eò quòd non eodem modo perfectionem intelligant. Falsò enim allegat Th. Jouffroy scriptorum

mysticorum et ascetarum christianorum, non secùs ac Indorum perfectionem in eo sitam esse quòd omnem activitatem humanam tollant et in contemplatione penitùs otiosâ et omnimodâ inertiâ corporis desideant. Hæc quidem est notio perfectionis quam tradunt philosophi indi. Existimant autem mystici et ascetæ christiani perfectionem consistere in eo quòd Deus super omnia diligatur, ità tamen ut non excludatur proximi dilectio; quùm econtrà, juxta Christum Dominum, in his duobus mandatis contineantur tota lex et cuncta prophetarum documenta.

* Discrepant : 3° eò quòd diversam viam assequendæ perfectionis doceant. Philosophi indi inertiam absolutam præcipiunt ut ad summum perfectionis gradum deveniatur, vidimusque quibusnam viis immobiles fieri conentur. Inertia eorum est omnimoda facultatum corporis et animæ annihilatio propriæque individualitatis amissio.

* Econtrà 1° quoad operum inutilitatem, damnavit Ecclesia omnes scriptores mysticos e quorum systematibus sequeretur inutilia evadere bona opera, nec ipsi illustrissimo Fenelonio pepercit, quamvis illud consectarium à mente ejus esset prorsùs alienum. Ascetæ qui Thebaïdem incoluerunt, nunquàm omnimodam inertiam tradiderunt tanquàm viam assequendæ perfectionis. Nam inter eos alii in monasteriis vitam agebant communem, alii ab omni prorsùs societate segreges vitam eremiticam ducebant; nulli autem erant prorsùs inertes. Mos erat in monasteriis ut omnes, inter decantandos psalmos, manibus operarentur. Illi igitur corpore inertes non erant nec mente, quùm animo intùs versarent tum veritates, tum affectus pios quos magno in numero exprimunt hymni sacri. Nec inertes erant anachoretæ. Non ità quidem assiduè manibus operabantur, quamvis ab omni opere manuum rarò vacaverint.

Sic sanctus Paulus, primus eremitarum, palmarum folia intertexebat, sibique ex his tunicam effinxerat, quam sanctus Antonius post ejus mortem secum retulit.

* 2° Quoad naturam contemplationis, etsi huic tantùm vacassent, non ideò habendi essent tanquàm omninò inertes, nisi pariter dicatur inertem esse quemlibet virum scientiæ adipiscendæ studiosum qui, neglectis cæteris omnibus, totus se meditationi tradit. Veterum ascetarum contemplatio in eo consistit quòd mens à rebus creatis retrahatur, quò faciliùs omnes facultates ad Deum considerandum diligendumque applicentur. Non adest ergò inertia facultatum humanarum; sed illæ convertuntur in objectum diversum ab objectis creatis visibilibus et transitoriis, ut intentæ defigantur in ipso rerum omnium Creatore et Domino quantùm sinit humana infirmitas. Agnoscitur reverà aliquandò contemplationem rerum divinarum ad extasim usquè pervenire; quid autem indè concludere poterit dominus Jouffroy? Non solùm in extasi anima adhùc activa est, quùm etiam et præcipuè tunc Deum intelligentiâ et affectu intentiùs apprehendat; sed et etiamsi verum esset, quod negamus, animam tunc otiosam esse, quid juvat? Docent enim veri mystici exstasim statum esse supernaturalem ad quem non possumus industriâ nostrâ assurgere, sed in quem Deus ipse quos vult inducit; hunc insuper statum nec perfectionem constituere, nec illum esse necessarium ut ad perfectionem deveniamus; sed, tum in statu exstatico, tum extra statum hunc perfectionem semper esse in dilectione Dei et proximi positam. At verò, adeò vera contemplatio immeritò otiosa reputatur, ut Ecclesia damnaverit errores eorum qui docuerunt viro perfecto abstinendum esse à considerandis singulatim attributis Dei mysteriisque beatissimæ passio-

nis Christi Redemptoris aliisque religionis christianæ veritatibus.

* 3° Quoad vitam solitariam, quùm Deus non oculis corporis conspiciatur, sed intelligentiâ tantùm et internâ dilectione cordis apprehendatur, ideò ab exterioribus rebus se recipiebant monachi et eremitæ, ut ad meditationem rerum divinarum toti se absque impedimento conferrent. Attamen non ità solitudinis amatores erant ut ad homines reverti renuerent quotiès aut Dei honos, aut proximi utilitas id postulabat. Nec existimant mystici et ascetæ hoc vitæ genus ab omni hominum societate segregis habendum esse tanquàm perfectionem constituens, sed tantùm tanquàm viam faciliorem assequendæ perfectionis. Perfectio enim in dilectione Dei et proximi tota est. Undè existimant omnes Christianos quos divina Providentia non eduxit ex hominum societate, posse tamen perfectionem adipisci, licèt pluribus difficultatibus sint impediti. Sic non solùm inter monachos inveniuntur viri sancti et perfecti; sed et in omnibus hominum ordinibus, ab humili servitute ad sublimem regum et imperatorum dignitatem. Omnibus enim dixit Christus : *Estote vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est* (Matth. c. 5, v. 48.), omnibusque possibile est ut proximum non minùs quàm seipsos, Deumque super omnes et super omnia diligant.

* Sanctus Simeon Stylites cujus præsertìm mirandum vitæ genus dictis impetunt hodierni philosophi, iisdem rationibus ab omni reprehensione vindicatur. Nec ille Indorum more quietismum professus est. Adeò ab ejus mente aliena erat operum inutilitas, ut perpetuò castigaverit corpus operibus pœnitentiæ, et, quùm ad eum undiquè concurrerent turbæ imò et quædam gens tota simul

ad eum venisset, omnes hortabatur ut virtutes maximè vulgares sectarentur, justitiam servarent, ab usurâ, à juramentis abstinerent, in ecclesiis frequentes adessent, multùmque et assiduè orarent pro se ipsis et generatim pro omnibus hominibus.

* Nec ejus contemplatio tollebat facultates animæ; quùm econtrà eos plurimùm extollat divinarum rerum meditatio. Huic etiam cultum externum addebat, videbatur enim identidem genua flectens, corpus inclinans, manus et oculos inter orandum ad cœlos attollens, interdùmque sacro-sanctâ Eucharistiâ reficiebatur.

* Hoc demùm vitæ genus tam stupendum non sine divino consilio amplexus fuerat, ut tota ejus agendiratio demonstrat. Reverà adeò parùm obstinatè suo proposito adhærebat, ut, quùm Episcopi et Abbates vicinæ regionis jussissent eum de columnâ suâ descendere singularemque hanc vivendi rationem deserere, statim et absque objectione ad vulgarem vitæ speciem redire paratissimum se præbuerit. Quâ ex obediendi facilitate agnoverunt Episcopi et Abbates illum motu divino hoc vitæ genus elegisse, jusseruntque eum in sancto proposito permanere. Rem miraculis comprobavit Deus; multa enim ab eo patrata narrantur. Quod autem omnibus miraculis majus itemque melius est, ad Deum verbis et exemplo convertebat innumeras turbas quæ ad eum undiquè concurrebant; resque eò magis miranda est, quòd, quùm à pueritiâ pastor fuisset ovium, illitteratus erat et artis dicendi haud peritus. Ad eum audiendum venerunt non solùm plebei homines; sed et Arabiæ principes, Persarum reges et ipsi Imperatores Romani. Ad religionem christianam convertit totam gentem Lazarum qui è Colchide migraverant ut eum audirent. Hæc autem omnia testati sunt plu-

res scriptores ejus ævi fideque dignissimi. Quid autem paritatis adest inter hunc sanctum Christi discipulum et Yoguos Indorum?

* Affert etiam dominus Jouffroy factum cujusdam monachi ex Thebaide quem superior jusserat per multos dies aquam, magnâ operâ e longinquo allatam, baculo ex arido ligno, inter arenas erecto, affundere; in eoque sibi videtur deprehendere insigne ascetarum epigramma ad ostendendam inanitatem omnis humani operis, et non dubium indicium quòd inertiam omnimodam docerent. At auctor ille non rectè factum istud intellexit. Nam eo, non inertia, sed obedientia absque murmuratione docetur; siquidem narratur Deum fecisse post diuturnum tempus ut lignum istud aridum viresceret radicesque in humum mitteret, ad remunerandam monachi hujus obedientiam. Quidquid sit de miraculo, patet tamen non in gratiam inertiæ, sed econtrà perfectæ obedientiæ narratum fuisse istud.

* Discrepant 4° philosophi Indi et scriptores mystici in assignandis effectibus perfectionis acquisitæ. Juxta Indos vir perfectus fit ex hàc vitâ omnipotens; potest duobus extremis digitis solem lunamque simul contingere multaque alia mira ejusdem generis operari. Juxta scriptores mysticos et ascetas, perfectionis acquisitæ remuneratio in alterâ vitâ rependitur. Aliquandò miraculorum donum viris perfectis Deus concedit, sed donum miraculorum non consequitur necessariò perfectionem : imò et non semper perfectionem probat, siquidem imperfectis, quin et scelestis hominibus, qualis fuit Judas proditor, aliquandò conceditur. Potestas autem operandi miracula non est ea absurda et ridicula potestas quam sibi concessam esse jactitant Indorum Yogui.

* Discrepant demùm 5° Quietistæ et veri Mystici, quoad consectaria. Sequitur ex principiis Quietistarum viro qui perfectionem assecutus est, inutilia evadere bona opera; hunc non posse justitiam amittere; corpus ejus partemque animæ inferiorem posse flagitiis impugnari quin pars animæ superior inquinetur. Docent econtrà scriptores mystici nullum esse statum perfectionis e quo decidere homo non possit, lugendaque hujus rei exempla afferunt; semper ac semper bonis operibus incumbendum esse, et flagitia, et quidquid peccatum etiam leve est, à corpore et à parte inferiori animæ, non secùs ac à superiori propellenda esse.

* His paulò fusiùs immorati sumus; postulabat enim rei gravitas. Deflendum sanè est quòd tot criminationibus tamque malâ fide impetatur undiquè divina Christi religio, totque sint quibus fucum faciunt artificiosa incredulorum scripta.

---

* CAPUT II.

* DE SYSTEMATIBUS QUÆ FALSAM DE ETHICA DOCTRINAM CONTINENT.

* Diximus in præcedenti capite de systematibus quæ tollunt legis moralis possibilitatem. Nunc agemus de systematibus quæ, licèt aliquam legem moralem agnoscant, sed aut falsam, aut veram aliquo tamen vitio deformatam, de moribus informandis principia tradunt à vero et à recto aliena. Tres autem sunt horum systematum præcipuæ species, nempè 1° systemata eorum qui discrimen inter vitium et virtutem repetunt ex utilitate; 2° eorum qui idem discrimen trahunt ex sensibilitatis affectibus; 3° demùm eorum qui officium repetunt ex ratione, sed illud

ità intelligunt ut tendant ad excludendum quidquid ad utilitatem refertur. Tres igitur erunt articuli.

* ARTICULUS PRIMUS.

* SYSTEMATA EORUM QUI DISCRIMEN INTER VITIUM ET VIRTUTEM REPETUNT EX UTILITATE.

* § I. Articuli scopus. — * § II. Aristippus, quis fuerit. — * § III. Aristippi ethica. — * § IV. Epicurus, quis fuerit. — * § V. Epicuri ethica. — * § VI. Hobbesius, quis fuerit. — * § VII. Hobbesii doctrina. — * § VIII. Benthamius, quis fuerit. — * § IX. Benthamii sententia. — * § X. Conclusio.

* § I. *Articuli scopus*. Nunc vulgò Egoistæ vocantur qui discrimen inter vitium et virtutem repetunt ex utilitate præsertim privatâ. De quatuor philosophis hujus generis agemus, quorum duo, Aristippus nempè et Epicurus, ad veteres Græcorum scholas pertinent; duo autem recentiores sunt, Hobbesius scilicet et Benthamius.

* § II. *Aristippus, quis fuerit*. Aristippus, ex urbe Africæ Cyrene oriundus, discipulus fuit Socratis, et ipse posteà auctor sectæ quæ ex ejus urbe patriâ Cyrenaica dicta fuit. De ejus educatione nihil habent Græci, superbi barbarorum contemptores; à parente censu notabili eleganter fuisse educatum, ingenio verò optimo emicuisse certum est. Multùm studiosus fuit disciplinæ Socraticæ excipiendæ. Scholam primùm instituit Athenis; locum autem deindè commutavit ut se subduceret reprehensionibus Socraticorum et ipsius Socratis, quibus displicebat quòd munditiei et cultûs atque decoris amantior esset, postulante quoque occasione splendidus, et voluptatem ubique in ore ferret acerrimèque defenderet, didactrum denique à discipulis acciperet. In Æginâ igitur insulâ phi-

tus est, subindè tamen Athenas excurrens. Tum in Asiam abiit, et naufragium passus atque à Persis captus; citò tamen disputationibus eminuit. Tandem in aulam Dionysii Syracusas delatus est, ubi adulando luxuque et voluptatibus diffluendo potandoque famæ disciplinæ Socraticæ plurimùm nocuisse à veteribus passim traditur. Redux in Græciam Athenas iterùm petiit. Reliqua ejus vitæ tempora ignorantur. Non supersunt hujus philosophi scripta.

* § III. *Aristippi ethica.* De Aristippi placitis ritè dispicere difficile est. Multa enim disciupuli innovârunt, multa cum epicureis dogmatibus confuderunt scriptores. Scitur eum fuisse voluptati deditissimum eumque turpiter hæsisse in Laidis, scorti nobilis, amoribus, veteres referunt. Agendirationi doctrina consentanea fuit : ethica Aristippi est ethica voluptatis.

* Docuit verum et falsum dijudicanda esse ex affectionibus, id est, ex sensu doloris et voluptatis. Quùm verò omnes non sint eodem gradu sensibilitate prædití, et sua quemque voluptas trahat, ut fert adagium, ex eo principio sequitur omnibus non eadem esse vera, non eadem falsa. Sequelam hanc admisit ille philosophus. Omnis affectio quæ voluptatem affert, bona est; quæ dolorem, mala; intermedia autem nec bona, nec mala est. Nihil autem ex naturà, sed ex consuetudine et lege justum ac turpe esse sentiebat; sed voluptas bona, licèt à turpissimis rebus proveniat. Viro tamen bono ab agendo perperam esse cavendum, propter imminentia damna. Voluptas igitur summa veritas, summa virtus, summa lex est, in systemate Aristippi.

* Quo posito, Ethicæ leges ad id reducuntur, quòd voluptati indulgeatur, major anteponatur minori, calleatque sapiens exquisitiores discernere. Longè præstantiores

esse corporis quam animi voluptates; voluptatem non sitam esse in indolentiâ et tranquillitate, sed veram voluptatem eam esse quæ sensus et animam commovet afficitque dulci ratione; nec ex præteritis aut futuris bonis perfectam voluptatem nasci, sed præsenti eam tempore consistere; beatam vitam ex collectione omnium voluptatum oriri; dolorem summum malum esse docebat Aristippus.

* § IV. *Epicurus, quis fuerit.* Eleaticæ sectæ propago, epicurea auctorem habuit Epicurum. Fuit Epicurus patriâ Atheniensis, ex oppido Gargetto, pauperibus parentibus natus, anno ante Christum 341. Samum puer, deindè Athenas, Colophonem, Mytilenen et Lampsacum incoluit, et his in locis ad trigesimum sextum ætatis annum commoratus est. Quo tempore Athenas reversus, novam sectam erexit. Jam anteà scholam aperuerat Mytilenæ primùm, dein Lampsaci. Quùm Athenis reliqui philosophi publica urbis loca occupassent, ipse hortum emit, in quo et docuit, undè secta ejus ex horto posteà dicta fuit. Ab eo tempore Athenas non deseruit. Multos habuit discipulos, non ex Græciâ modò, sed ex totâ quoque Asiâ et ex Ægypto, quos initio invitavisse ad se dicitur, quùm nondùm inclaruisset: discipulos non solùm in disciplinam, sed et in convictum recipiebat. Cælebs vixit, totus in docendo et scribendo fuit: trecenta ejus volumina veteres commemorant, e quibus non nisi tres epistolæ et sententiæ quædam supersunt. Infirmâ fuit valetudine, calculique morbo diù vexatus, obiit anno ætatis septuagesimo primo.

* § V. *Epicuri ethica.* Cognitionem humanam e sensatione repetit Epicurus. Excogitaverat præterea atheismi speciem quam in Theodiceâ confutavimus: Deos quos nomine retinuerat, re autem tollebat, finxerat otiosos

nihilque mortalia curantes. Animam insuper, quam corpoream esse existimabat, post excessum à corpore dissipari, nec nos post mortem aliquid esse; et hinc vanum esse inferorum metum existimabat.

* His præmissis, Ethicam adstruit, quam præstantissimam philosophiæ partem esse statuebat. Hæc sunt ejus dogmata. Tacito omnium consensu felicitatem esse finem ad quem omnia referre oporteat. Perfectam ex omni parte felicitatem non nisi Diis tribui posse, humanam verò imperfectam, maximam autem eam esse, in quâ bonorum quàm plurimùm, malorum quàm minimùm adsit, et hinc sapientem beatum esse posse, licèt malo aliquo laboret vel bono aliquo careat. In voluptate bonum esse situm, malum in dolore. Veram voluptatem non eam esse quæ sit in sensuum agitatione et animi commotione, sed in quiete placidâ venienti ex indolentiâ corporis et animi tranquillitate. Hinc doctrina Epicureorum à doctrinâ Cyrenaicorum discrepat. Non admittebat Epicurus adesse statum inter voluptatem et dolorem medium, ut admittebat Aristippus, existimabat enim ipsam doloris absentiam voluptatem esse. Ad voluptatem igitur epicuream utrumque jungendum esse, tum sanitatem corporis, tum animi tranquillitatem; curandum illud medici esse, hoc philosophi. Virtutibus, prudentiâ, scilicet, temperantiâ, fortitudine, justitiâ, obtinetur tranquillitas animi; cæteris autem virtutibus antecellit prudentia. Itaque Epicurus non omnes virtutes tollebat ut libidinosas voluptates eorum loco induceret, quamvis id vulgò ei tribuatur. Doctrina hæc voluptatis libidinosæ potiùs tribuenda est Aristippo et sectæ Cyrenaicæ aut quibusdam Epicureis, quàm ipsi Epicuro. Hic econtrà et quatuor virtutes cardinales, et speciales quæ ex his fluunt retinebat, imò et ipsam continentiam.

* Non tamen à gravissimâ reprehensione vacat ethica Epicuri, quippè qui penitùs officii notionem tolleret, omniaque et ipsas virtutes ad utilitatem propriam referret. Tota sapientia, ex isto systemate, in eo sita esset quòd maturè consideretur penseturque quâ ratione major felicitas obtineri queat. Ille sapientior foret, qui prudentiùs certiùsque æstimaret quid ex agendis consequendum esset emolumenti; melior esset qui ea amplecteretur e quibus, libratis molestiâ et voluptate, plùs demùm voluptatis quàm molestiæ obtineretur. Sequitur virtutem vitiumque non ex se, sed ex effectibus jucundis aut injucundis discrepare. Ob id excolendas esse virtutes, quòd reverà magis ad utilitatem et felicitatem nostram conferunt quàm vitia; at verò, si vitium carere posset incommodis quæ secum vulgò trahit, jam illud virum sapientem probumque non dedeceret, imò et illi indulgere prudentia juberet.

* Indè fluunt regulæ sequentes ad quas reduci potest ethica epicurea. Voluptas illa amplectenda est, quæ, omnibus pensatis, nullam, si fieri potest, habet molestiam; fugienda quæ majorem voluptatem impedit aut graviorem molestiam parit; amplectenda molestia quæ majorem voluptatem creat aut majorem avertit molestiam.

* § VI. *Hobbesius, quis fuerit.* Hobbesius Malmesburii natus, anno 1588, patre religionis anglicanæ ministro, litteris operam dedit. In Galliam Italiamque peregrinatus, quùm deindè reversus esset in Angliam, mox iterùm Lutetiam se recepit, ob perturbationes quæ tunc imperium Britannicum penè funditùs everterunt. Ibi dùm commoraretur, P. Mersennius, cui se jam anteà junxerat, ipsi aditum ad Cartesium patefecit. Quùm verò omnium contra se animos commovisset ob editos librum *De Cive*, alterumque cui titulus *Leviathan*, Londinum fugere coac-

tus est; ibique quùm non minor esset animorum adversùs se commotio, delituit apud comitem Devonshiriensem quem olìm discipulum habuerat, intereàque pluribus libris conscribendis operam dedit. Restituto autem regno Anglico, anno 1660, Carolus II benignè suscepit Hobbesium, à quo scientias mathematicas Lutetiæ didicerat. Obiit anno 1679, nonagesimum secundum agens ætatis annum. Multa opera conscripsit, quorum famosissimus est liber *De Cive*.

* § VII. *Hobbesii doctrina*. Jam ex his quæ in hujusce Ethicæ decursu dictum fuit, notum est quænam fuerit sententia Hobbesii. Vidimus enim illum reverà libertatem moralem e medio tulisse, quamvis nomen retinuerit. Scilicet eam tantùm admittit libertatem quâ gaudet homo ab omni impedimento exteriori solutus, interiorem verò eligendi facultatem negat, supponitque voluntatem humanam, quæcumque consilia ineat, ad ea necessariò compelli rationibus quæ ad eligendum determinant. Tollit deindè omne discrimen inter bonum malumve morale. Finis humanæ naturæ est felicitas. Quùmque omnes legitimè possint ad naturæ suæ finem tendere, possunt et vias ad assequendam felicitatem aptiores assumere. Hinc omnibus jus in omnia quæ ad felicitatem aliquid conferunt; hinc commodorum juriumque conflictus; quùmque nulla sit justitiæ norma, ex naturâ rerum; summa lex summumque jus in præstantiâ virium consistit. Status igitur hominum primitivus fuit bellum omnium adversùs omnes, donec tandem efformata fuerit societas aut per violentiam principum aut per consensum civium. Copulatâ societate, summa pariter lex in vi posita remansit. Legitimum est quidquid agere valent principes quibus sic tyrannica tribuitur potestas.

*** § VIII.** ***Benthamius, quis fuerit.*** **Jeremias Benthamius Londinii natus, anno 1735, anno autem 1832 defunctus est. Hic scientiæ juris et legum operam dedit.** Multa scripsit. Nullus ex iis qui recentioribus temporibus de regendâ societate scripserunt, gravior auctoritate fuit.

* § IX. *Benthamii sententia.* Benthamii opinionis expositio sequens excerpta est ex ejusdem libro qui titulus : *Introductio ad principia Ethicæ et legum.* Hoc est Benthamianæ doctrinæ principium. Actus omnes nobis essent indifferentes, nisi facultatem haberent intra nos commovendi sensum aut jucunditatis, aut molestiæ. Hoc tantùm à se secernuntur actus varii, qui ideò in duas species tantùm dividuntur, nempè in actus utiles et actus noxios. Voluntas humana determinari non potest nisi aut voluptatis desiderio, aut doloris metu. Negat igitur Benthamius discrimen adesse, ex naturâ rerum, inter bonum et malum morale. Principium ejus cum Hobbesiano consonat. At illud probare negligit Benthamius, quasi ex se pateret, miraturque quòd possit illud in dubium vocari.

* Ex hoc principio deducit Benthamius conclusiones tum generales, tum speciales. Inter conclusiones generales præcipuæ sunt, quòd utilitas actionis alicujus sita sit in proprietate quam habet augendi summam felicitatis aut minuendi summam infelicitatis sive individui, sive societatis : quòd actionis legitimitas, æquitas, rectitudo, moralitas, etc., ab utilitate ejusdem actionis non differant : quòd utilitas legis alicujus aut decreti pendeat à gradu felicitatis qui exindè obtinetur : quòd omnes actus, aut decreta, aut leges æstimanda sint ex effectibus. Declarat deindè præfatus auctor quemlibet æstimantem humanas actiones ex alio quocumque principio, à se penitùs dissentire. Porrò omnes oppositas sententias ad duas præcipuas

refert, quas nempè vocat ascetismum et sympathiam; non enim existimat eos qui ex voluntate Dei tantùm boni et mali discrimen repetunt, ultimam discriminis inter actus hominum attigisse rationem.

* Porrò in eo, juxta eum, consistit ascetismus, quòd discrimen pariter repetatur ex utilitate actionum; sed rem invertendo, adeò ut mala habeantur quæcumque voluptatem afferunt; bona verò quæcumque dolorem pariunt: hancque irridet opinionem.

* Per sympathiam et antipathiam intelligit sensum convenientiæ aut repugnantiæ quem in nos actus commovent; porrò opinionem quæ ex sympathiâ aut antipathiâ eo modo intellectis æstimaret actionum meritum, his impugnat argumentis. Actus æstimandos esse à posteriori, id est, ab effectibus; non autem ab intrinsecâ rerum naturâ, sive à priori, id est, juxta eum, ex sympathiâ, tum quia regula moralis debet esse clara; clariùs autem patent actuum effectus, quàm eorum natura intrinseca: tum quia regula moralis debet esse unica eademque in omnibus; diversa autem est in singulis æstimatio ex sympathiâ, dùm omnes de effectibus facilè concordant: tum quia regula moralis debet esse determinata; sed æstimatio ex sympathiâ determinata non est; assignari enim nequit quo puncto utilitas huic regulæ cedere debeat: tum quia regula moralis debet esse obligatoria; regulæ autem ex sympathiâ desumptæ ostendi nequit auctoritas: tum quia omnis lex debet esse exterior illi quem regit; sola autem æstimatio ex effectibus est agenti exterior: tum demùm quia si actus æstimandi essent ex sympathiâ, debuissent legislatores pœnas rependere sontibus pro gravitate antipathiæ quam eorum scelera commovent, dùm econtrà supplicia decernuntur ratione detrimenti quod patitur societas

* His ita stabilitis, posteà devenit ad conclusiones speciales quas singulas commemorare longius esset. In eâ parte sui systematis, calculos subjicit, regulasque præscribit, quibus æstimetur an et quo gradu diversi actus sint individuis et societati utiles aut noxii. Enumerat igitur plurimas circumstantias quibus attendere debet legislator, ut cognoscat quid præscribendum, quid prohibendum, quid pœnarum sontibus rependendum sit. Quærit posteà quibus momentis legislator impellere possit privatos ad conferendam operam in publicam utilitatem; et, consequenter suo systemati, omnia hæc momenta in voluptatis prosecutione aut doloris fugâ reponit. Quatuor voluptatum dolorumque species enumerat, nempè quæ ex causis physicis, ex opinione et famâ, ex sanctione legum, demùmque ex opinione religiosâ veniunt. Sola legum sanctio tota à legislatore pendet, tres aliæ vulgò ab eo independentes sunt. Caveat ne has adversas habeat, curet ut sibi auxilientur.

* Multùm sapit doctrina Benthamii viris qui dicuntur *positivi*, id est, qui res æstimare solent ex recto sensu maximè vulgari, nec unquàm ultra facta sensibilia assurgunt negliguntque quidquid ad speculationem refertur. Res igitur ex effectibus obviis dijudicant, parùm curantes quid in se et ex naturâ suâ sint. Sapit et plurimùm viris politicis qui sæpè sæpiùs utilitatem considerant, raró autem absolutam actuum rectitudinem, solentque ad praxim adducere principia quæ theoricè docuit Benthamius.

* § X. *Conclusio.* Animadvertemus quatuor egoismi species quas exposuimus, à se differre, et ad eas referri omnia alia Egoistarum systemata. Subjungemus philosophos anglos, inter quos numerantur Hobbesius et Benthamius, vulgò inclinare in opiniones quæ positivæ sunt,

sensu superiùs exposito. Sic, in Logicâ, omnes cognitiones non ex ratione, sed ex sensationibus ducunt : hanc opinionem tenuerunt ferè omnes, à temporibus Lockii, ad Thomam Reid. Hic non assurgit ultra facta interna magìs obvia, naturamque intimam animæ rimari metuit. Nunc verò, qui de Ethicâ scribunt, aut utilitatem spectant, ut duo hi, aut discrimen inter vitium et virtutem repetunt ex aliquo instinctu, ut alii de quibus agemus in articulo sequenti.

* Systemata superiùs exposita non hic confutabimus. Nam anteà, ubi de officio egimus, in parte theoricâ hujus Ethicæ, abundè probavimus regulam moralem actuum nullo modo repetendam esse ex eorum utilitate, sed ex ratione et essentiâ rerum. Ibidem omnia objecta ab Egoistis diluimus.

* ARTICULUS II.

* SYSTEMATA EORUM QUI DISCRIMEN INTER VITIUM ET VIRTUTEM REPETUNT EX SENSIBILITATIS AFFECTIBUS.

* § I. Articuli scopus. — * § II. Smith, quis fuerit. — * § III. Quid docuerit. — * § IV. Hutcheson, quis fuerit. — * § V. Ejusdem sententia. — * § VI. Conclusio.

* § I. *Articuli scopus.* Philosophi de quibus agebamus in præcedenti articulo, ducebant regulam actuum ex utilitate : nunc verò agendum de iis qui eamdem regulam trahunt ex aliquo ex affectibus sensibilitatis. Adest inter utrosque discrimen. Priores namque officii notionem delent, et ejus loco utilitatem et felicitatem sufficiunt : posteriores verò officii notionem admittentes, eo peccant quòd hanc non ex ratione repetunt, sed ideas virtutis et vitii ex aliquo sensu oriri putant. Priores etiam ex sensibilitate

suam regulam petunt, sed quatenùs felicitate fruitur; propria commoda spectant, et idcircò vocantur Egoistæ : posteriores autem utilitati propriæ non inserviunt, nec inter Egoistas possent computari.

* § II. *Smith, quis fuerit.* Adamus Smith, vir præstanti ingenio, Kirkalii in Scotiâ natus est, anno 1723. Logicam primùm in universitate Glascuensi, nec multò post ibidem Ethicam docuit, deindè verò Edimburgi. Post plures peregrinationes susceptas ut mores legesque cæterarum gentium observaret, in patriâ redux, per plures annos conscribendis libris operam dedit. Publico deindè munere perfunctus, obiit anno 1790.

* § III. *Quid docuerit.* Exponemus hujus philosophi doctrinam quam tradidit in opere cui titulus : *Theoria sensuum moralium.* Systema hujus auctoris est systema sympathiæ de quo jam plura diximus tum in parte psychologicâ, tum in parte dogmaticâ hujusce Ethicæ.

* Admittit philosophus ille nos ad imitandum à naturâ esse comparatos, undè sensus cæterorum hominum in nobis etiam commovent sensus pares. Aliquandò tamen commoventur intra nos dispares sensus, nempè quùm alter malevolo sensu videtur commoveri. Tunc econtrà repugnantiæ sensus in nobis commovetur. Priorem sensum vocat sympathiam, posteriorem verò antipathiam.

* Ex sympathiâ et antipathiâ repetit notionem boni et mali moralis. Vel enim agitur de actibus cæterorum hominum, vel de nostris. Si de alienis, bonitas eorum vel malitia dijudicanda est ex sensu quo ipsi commovemur. Nam approbamus sensus quibus pares experimur; improbamus autem eos qui disparem sensum in nobis excitant; partim verò approbamus, partim improbamus eos quos non integrè, sed partim tantùm experimur. Sic,

quùm video divitem eleemosynam pauperi tribuentem, pari misericordiâ afficior, approbo itaque hunc actum tanquàm bonum moraliter. Video econtrà latronem qui cædem perpetrat, tunc antipathiâ perfectâ afficior, omninòque improbo cædem tanquàm malam moraliter. Video autem hominem alteri ob acceptam injuriam plùs æquo irascentem, partim sympathiâ, partim antipathiâ commoveor; approbo igitur iram, sed improbo quod in eâ nimium est.

* Si agitur de actibus nostris, fatetur Smith fore ut homo qui solus esset in orbe, non posset judicare an boni, an mali essent actus sui. Quùm enim, juxta hunc philosophum, sympathia sit meriti actuum humanorum regula, sympathia autem adesse nequeat nisi inter duos saltem, aptè concludit nullam superesse viam cognoscendi an actus hominis solius sint boni, an mali. Homo autem qui cum cæteris vivit, potest se spectatorem proprii actûs sistere, et eum sympathiæ sensum quem ejus loco alter experiretur, ipse experiri. Ita fit ut sympathia sit etiam regula moralis ex quâ proprii singulorum actus dijudicandi sunt.

* Quo semel principio admisso, possumus memoriæ commendare actus qui sympathiam excitant, aut omnimodam, aut imperfectam, vel qui econtrà antipathiam aliquam aut absolutam commovent, et indè regulas morum efformare tum pro nobis, tum pro cæteris.

* Hujus igitur systematis fundamentum est sympathia aut antipathia quam experiretur spectator à partium studio alienus. Nihil addemus de conclusionibus specialibus.

* § IV. *Hutscheson, quis fuerit.* Fuit Hutcheson Scotus origine, in Hiberniâ autem natus anno 1694. Philosophiam docuit in universitate Glascuensi. Ibidem diem supremum egit anno 1747.

* § V. *Ejusdem sententia.* Repetit Hutcheson distinctionem boni et mali moralis, non ex ratione, sed ex sensu quodam animæ speciali quem sensum moralem vocat. Idem ante eum plures docuerant ipse verò eam opinionem pluribus argumentis quàm cæteri comprobare nititur.

* Ostendit primùm auctor ille nobis inesse tum amorem nostri, tum affectiones erga cæteros benevolas; amorem nostri esse primitivum, id est, non resolvi in alium sensum : pariter affectiones benevolas primitivas esse, nec eas originem ducere ex amore nostri, sed eas nobis non minùs connaturales esse quàm ipsum nostri amorem. Præter duo hæc, inest etiam nobis idea boni moralis cujus origo nec ex amore nostri, nec ex affectionibus benevolis ducitur. Igitur primitiva est pariter idea boni moralis, simplex et sui generis, nec ad alias referri potest. Porrò animadvertit qualitatem actionum quam idea boni exhibet, non posse percipi, nisi ope sensùs cujusdam specialis. Percipitur ope sensùs alicujus, eo quòd qualitas illa jucunditatem secum afferat, undè sensibilis est et ope sensùs cujusdam apprehendenda. Sensus ille specialis est; quùm enim qualitas illa sit speciei ab omnibus aliis distinctæ, profectò percipi nequit eodem sensu ac cæteræ qualitates rerum, sed sensu speciali indiget ut cognoscatur. Sic, quùm odores et colores sint qualitates diversi generis, nec possint odores in colores reduci, sensu speciali indigent, nec possunt oculis odores percipi. Ita, quùm qualitas quæ actionem bonam moraliter constituit nequeat in aliam qualitatem reduci, agnoscendum est hanc percipi sensu quodam speciali ; sensus ille est sensus moralis.

* Sensus moralis non est externus, sed internus. Eodem autem modo eum afficit bonum morale, quo gustus sa-

pore afficitur : jucundo sensu bonum morale commovet; malum injucundo. In priori casu adest inclinatio, in posteriori adest repugnantia, sive approbatio et improbatio. Denique sensus moralis non secùs ac sensus externi sagacior fieri potest.

* Deindè docet sensum moralem regere omnes facultates humanas, eum nos ad agendum impellere. Ipsum non probare actus qui ad nostram utilitatem referuntur; hi ad summum sunt indifferentes, non moraliter boni : sed illum probare actus qui ad utilitatem aliorum referuntur, iique moraliter boni sunt.

* § VI. *Conclusio.* Non possunt admitti systemata hæc, eo quòd utrumque repetant discrimen inter bonum et malum morale ex sensu quodam, non ex ratione. Porrò probavimus, in parte dogmaticâ hujus Ethicæ, boni et mali moralis discrimen ex ratione accipi, diluimusque argumenta duorum istorum philosophorum.

* ARTICULUS III.

* SYSTEMATA EORUM QUI TENDUNT AD EXCLUDENDUM QUIDQUID AD UTILITATEM REFERTUR.

* § I. Articuli hujus scopus. — * § II. Philosophi Cynici, quinam præcipui fuerint. Antisthenes, Diogenes et alii. — * § III. Cynicorum sententia. — * § IV. Stoici philosophi. Zeno; quis fuerit. — * § V. Secta stoica post Zenonem. — * § VI. Stoicorum doctrina. — * § VII. De Theologiâ. — * § VIII. De naturâ hominis. — * § IX. De moribus. — * § X. Fitchteus. — * § XI. Philosophi hodierni scholæ gallicæ generatim. — * § XII. Th. Jouffroy, quid in eo laudandum. — * § XIII. Quid in eo reprehendendum sit.

* § I. *Articuli hujus scopus.* Agendum nobis est, in hoc articulo, præsertìm de iis philosophis qui nec ex utilitate,

nec ex affectibus sensibilitatis ducentes boni et mali discrimen, sed illud ex naturâ rerum et ratione oriri meritò rati, in errorem tamen impegerunt, eo quòd indè deduxerunt malum esse utilitatem quærere, aut saltem intentionem hanc bonitate morali carere. Omnes autem philosophi quos in eodem articulo jungimus, non æquali evidentiâ veram discriminis inter bonum et malum morale rationem assecuti sunt, nec omnes æquali severitate utilitatem propulerunt.

* § II. *Philosophi cynici, quinam præcipui fuerint. Antisthenes, Diogenes et alii.* Ad præsentem scopum aliquâ parte attinent Cynicorum philosophorum placita. Secta cynica auctorem habuit Antisthenem qui fuit Socratis auditor. Is fuit Atheniensis, matre Thressâ genitus. Admodùm juvenis in prælio benè rem gessit, ideòque placuit Socrati. Gorgiæ primùm discipulus factus, artem oratoriam ab eo feliciter didicit : Socraticâ autem disciplinâ captus, Gorgiæ oratoriam officinam deseruit, totumque se deinceps Socrati audiendo tradidit, perductis etiam ad eum quos secum Gorgiæ discipulos habuerat. Tanta ipsi Socratis audiendi cupiditas inerat, ut quotidiè quadraginta stadia emensus fuerit ut ad eum se transferret. Mortuo Socrate, Antisthenes novum vitæ genus instituit. Virtutem in animi constantiâ, adversarum rerum tolerantiâ et cupiditatum vacuitate reponens, non præceptis tantùm sed et exemplis luxum corruptosque Græcorum mores corrigere sibi proposuit. Ideò barbâ promissâ, solo pallio amictus, eoque sordido, perâ atque baculo instructus, mendici instar incessit, paupertatem sponte elegit, simplicique et obvio victu contentus, severissimam vitæ agendæ disciplinam effinxit. Maximâ cum animi verborumque libertate quâ nemini parcebat, omnium mores

reprehendit, adeò ut canis à mordendi allatrandique consuetudine, et secta ejus Cynicorum, diceretur. Quamvis autem maxima videatur deprehendi in isto Cynicorum vitæ instituto austeritas, non tamen existimandum est eos rectè compositis moribus imbutos fuisse. Opinabantur enim naturæ placitis indulgendum esse, nec pudendum esse quidquid naturale est. Quùm igitur more canino viverent, ex eo, juxta plurimos, Cynicorum nomen habuerunt. Plures conscripsisse libros, decemque tomos exaravisse fertur Antisthenes. Ipse Deum naturalem unum esse, populares Deos multos, socraticè docuit.

* Discipulum habuit Diogenem, patriâ Sinopensem, inter Cynicos celeberrimum. Ab urbe suâ adhùc juvenis ob capitale crimen profugus, ad Antisthenem in fugâ delatus, ab eo in disciplinam recipi petiit. Quùm verò Antisthenes nemini audiendi suî potestatem facere constituisset, pertinaciùs negavit baculoque abegit Diogenem, qui constantiâ patientiâque tandem Antisthenem expugnavit. Nihil de austeritate in vivendo, nec de mordacitate superbiâque cynicâ remisit Diogenes. Ostentationi enim multa affectatæ hujus paupertatis sordidæ tribuenda sunt. Quùm die quâdam introisset ad Platonem, qui cultui munditieique plùs æquo fortè concedebat, sumptuosisque utebatur tapetibus, hos pedibus conculcans Diogenes, ut magnificentiam Platonis reprehenderet : Calco, inquit, fastum Platonis. Cui non minùs veraciter hic respondit : Sed fastu Diogenis. Jam senex Æginam navigans, à piratis captus venditusque et a Xeniade Corinthio emptus est : cujus liberos educavit et disciplinæ severiori assuefecit. In Craneo gymnasio ad turbam confluentem dissertationes cynicas Corinthi habuit, in eoque loco eum cum Alexandro Magno collocutum fuisse narrat Plutarchus.

Ibidem obiit, annos natus circiter nonaginta, incerto mortis genere.

* Post Diogenem plures fuerunt alii Cynici, inter quos præclarius nomen præ cæteris obtinuerunt Crates Thebanus et Hipparchia, quam duxit uxorem. Crates nobilis ortu divesque omnia abjecit ut Diogeni constanter adhæreret. Fuit autem animo non subtristi, ut Diogenes, sed jucundo, vitamque velut festivitatem quamdam per risum et jocum exegit. Uxorem duxit Hipparchiam genere et opibus potentem et à magnis procis petitam. Hæc autem solutum cynicæ vitæ morem ambiens, parentibus minata est mori se velle, nisi huic in matrimonium traderetur.

* Ctesibius etiam Menippusque, ob risus festivos et argutos sales celebre nomen inter Cynicos nacti sunt.

* § III. *Cynicorum sententia.* Dogmata Antistheni sequentia tribuit Laërtius, à quibus non recesserunt Cynici. Sufficere virtutem ad beatam vitam, eamque doctrinâ acquiri posse, eam operum esse et actionis, non verborum tantùm: sapientis esse omnia, ideò ipsum semper contentum esse : gloriæ damnum bonum esse; sapientem vivere in republicâ, non secundùm leges, sed secundùm virtutis præcepta. Sapienti nihil peregrinum et insolubilis difficultatis videri; virtutem arma esse quæ auferri nequeant. Bona sola esse quæ honesta sunt; mala omnia habenda esse tanquàm à nobis aliena. Sapientem peccatis haud obnoxium esse, et fortunæ nil permittere. Quæ autem inter virtutem et vitium media sunt, indifferentia esse. Horum dogmatum pleraque Stoici posteà in ethicam suam receperunt.

* § IV. *Stoici philosophi. Zeno, quis fuerit.* Cynicæ sectæ propago stoica fuit. Zeno enim hujus conditor Cratetis fuit discipulus. Qui rem pulchriùs ornando, et ex

variorum præceptorum doctrinà novum quoddam philosophiæ systema conflando, quod non scholæ minùs quàm vitæ aptum esset, sectam novam condidit, omnesque philosophicæ scientiæ partes in illud recepit. Quo factum est ut stoica secta clarissima fieret et perdiù duraret, donec à syncretismo Alexandrino deprimeretur.

* Zeno, auctor stoicæ sectæ, Citteius fuit, ex veteri Phœnicum coloniâ. Is confundendus non est cum Zenone eleatico. A parente, oraculi monitu, ad litteras et philosophiam maturè traductus et Athenas delatus est. Crateti cynico adhæsit, duceque eo, Philosophiæ magno studio vacavit : nunquàm autem illi sapere potuit decori neglectus quem affectabant Cynici. Nec ferre poterat reliquas disciplinas præter moralem ab eis contemni; divertitque etiam ad alios philosophos Stilponem, Xenocratem atque Diodorum Cronum, metaphysicam, physicam et dialecticam tradentes, denique Polemonem quoque audivit, licèt id improbante Cratete. Ex horum autem præceptis, novum philosophiæ corpus construens, sectam meditari cœpit, et, ut suum systema docere posset, porticum à picturis variis Pœcilen appellatum elegit, ex quâ huic sectæ tandem Stoicorum nomen hæsit. Multi ad eum discipuli se contulerunt. Temperantia ejus in victu tanta, ob disciplinam et infirmam valetudinem, ut in proverbium abiret; illi frons severa, os liberum, conversatio rara, fastus nullus, frugalitas insignis, ob naturam paucis contentam, reprehensiones argutæ et jucundæ, et monita saluberrima, animusque ingens et erectus, sub tenui pallio, servatâ tamen tunicâ, quâ solâ à Cynico distabat. Huic tamen sub austero vultu impudentia cynica objecta fuit. Multos adversarios inter alios philosophos habuit. Multa scriptis mandavit. Ferunt eum voluntariâ morte obiisse,

annos natum nonaginta octo, vitâ sine morbo exactâ.

* § V. *Secta stoica post Zenonem.* Multos Zenoni fuisse discipulos testatur Laertius, inter quos nobiliores sunt Cleanthes ex Lyciæ urbe Asso oriundus, qui et in scholâ Zenoni defuncto successit; Chrysippus adeò illustris inter Stoicos, ut de eo dici soleret: *Ni Chrysippus fuisset, Porticus non esset;* Possidonius Syrus Apameæ natus, qui tantâ celebritate Rhodi docuit, ut Pompeius ex Syriâ decedens Rhodum diverteret, eum audiendi cupidus. Podagrâ autem tunc laborabat Possidonius, nihilominùs tamen coram Pompeio graviter et copiosè de hoc ipso, nihil esse bonum, nisi quod honestum esset, disputavit, dolore suppresso et neglecto. Interdùm autem acritate doloris victus exclamabat: Nil agis, o dolor, nunquàm te malum esse confitebor. Secta stoica Romam invecta, post Christum natum celebriores habuit Senecam, Epictetum et Antoninum, demùmque defecit, à syncretismo Neoplatonicorum absorpta.

* § VI. *Stoicorum doctrina.* Disciplinas varias amplectebatur Zenonis doctrina, ex variis magistris haustas. Regulam autem morum regulæ Cynicorum adeò vicinam docebat, ut à Cynicis solâ tunicâ distare diceretur. Hanc autem regulam cæteris philosophiæ suæ partibus accommodare studuerat, non felici tamen semper exitu. Ut autem mens Stoicorum clariùs pateat, res altiùs repetenda est, et ab eorum theologiâ incipiendum.

* § VII. *De Theologiâ.* Omnium rerum originem à primitivo chaos ducebant. Duo in eo chaos inerant principia, utrumque corporeum, Deus scilicet et materia. Deum etiam vocant fatum, rationem, naturam, causam efficientem. Causa hæc rationalis, sive Deus, est æterna, incorruptibilis, ingenita, bona, perfecta, provida. Ma-

teria est omnis qualitatis expers et subjectum iners et patiens. Licèt Deus corporeus sit, spiritus tamen est, id est, à materiâ crassiori distinctus, et eâ subtilior. Non igitur reverà à materiâ differt. Est autem ille purissimus et limpidissimus æther, ignisque artificialis, id est, naturæ artifex, habitans in extremâ cœli circumferentiâ. Ipse est hujus mundi anima : mundum enim existimabant ingens esse animal cujus Deus anima, materia corpus esset. Anima hæc mundi omnia penetrat, omnibus universi partibus præsens est, omnia scit atque efficit. Deum dicebant ad condendum mundum liberâ voluntatis determinatione non accessisse; sed, quùm intrinseca ejus natura sese agitasset, disrupto quasi cortice, mundum efformavisse, in quo res omnes summâ arte secundùm rationes seminales productæ sunt. Esse itaque in naturâ totius æternam et immutabilem legem atque ordinem causarum et effectuum arctissimo nexu inter se implicitorum, ut aliter evenire nihil possit, et hoc fatum esse, cui subjecta omnia sint et ipse quoque Deus, cujus lex est sui ipsius natura. Deum tamen liberum esse, eo quòd à nullâ causâ externâ cogatur, quùm præter mundum et vacuum infinitum nihil existat. Nam utrumque hoc tantùm existere admittunt Stoici, mundumque vocant sæpè *Totum*, per *Universum* autem intelligunt mundum, sive totum simul et vacuum. Partes et effluvia animæ universalis ubiquè diffusa esse, et indè oriri dæmones quorum plena sunt omnia. Datum esse singulis hominibus et omnibus partibus mundi genium custodem et præsidem, et hæc numina illa esse quæ colantur. Sidera Deos esse, solemque majorem esse Deorum. Animam humanam portiunculam esse ignis divini qui universalis est mundi anima ubique diffusa. Non omnia bona

evenire, licèt Deus sit bonus; sed mala physica indè oriri, quòd materia inobsequens sit; malum autem morale ex proprietate et qualitate naturali ingenii nostri fluere. Mundum denique conflagraturum fore, ex igne latenti, et tunc cuncta reditura in Jovem, sive chaos, fati necessitate, idque futurum in anno magno. Ex hâc autem massâ divinâ, postquàm aliquandiù quieverit, novum efformandum esse mundum.

* Ex his sequitur Stoicos, licèt magnificis verbis de Deo loquentes, de eo tamen impia admodùm dogmata tenuisse, ita ut meritò recenseri possent aut inter Atheos, aut inter Pantheistas. Quidquid etiam econtrà dixerint, fatalismum admittebant, et omnis mali originem in Deum refundebant.

* § VIII. *De naturâ hominis.* De homine autem docebant hunc esse mundi imaginem, imò et parvum mundum (μικρόκοσμον); primos homines ex adminiculo divini ignis enatos esse; animam ex cœlesti Spiritu descendere, partemque ac scintillam divini ignis esse ab eo avulsam : et hic spiritum esse igneæ naturæ, eum autem ab aere refrigerari eo instanti quo corpori conjungitur. Animam corpus esse, eo quòd agat, non secùs ac ignis divinus cujus est scintilla. Hanc itaque immortalem esse, quùm sit pars hujus ignis divini; mortalem tamen, eo quòd post mortem non perseveret; sed eò revertatur undè processit et cum igne universali confundatur. Quidam autem Stoici existimaverunt animas non statìm post mortem in ignem divinum recipi; sed aliquandiù perseverare antequàm huic rursùs infundantur. Libertatis humanæ nomen admittebant Stoici, rem autem reverà tollebant. Docebant enim mentem liberam esse ut agere queat quæ vult, scilicet eam à nullâ causâ externâ cogi;

legibus autem universi per naturam suam internam subjectam esse, et non aliter agere quàm fati nexus postulet.

* § IX. *De moribus.* His dogmatibus positis, de moribus disserere non poterant quin sibi contradicerent : multa tamen de Ethicâ tradiderunt, quæ exponere per singula non tentabimus; attendemus autem ad ea quæ præcipua sunt.

* Palmarium totius ethicæ stoicæ fundamentum hoc est, finem hominis esse ut secundùm naturam vivat. Intelligendum autem est quòd, quùm natura nihil aliud sit quàm lex et ratio totius mundi et ille divinus cœlestisque ignis omnia agitans, vivificans, penetrans, naturæ convenienter vivere idem sonat ac naturæ communis ductum, leges motusque sequi, sive se ad totius naturam, tanquàm partem componere. Quùm autem potior naturæ pars sit Deus cujus ratio humana particula est, hinc naturam sequi, Deum sequi rationem sequi communem, vel legem mundi idem significant. Insiti sunt animo humano igniculi et semina vivendi secundùm naturam.

* Vivere autem secundùm naturam idem est ac vivere secundùm virtutem.

* Beatitudo est vivere secundùm virtutem.

* Sola igitur virtus sufficit ad beatitudinem, maximumque hujus instrumentum est virtus.

* Quo posito sequitur res quæ extra nos sunt, corpus, possessiones, gloriam, magistratus, nihil facere ad beatitudinem bonumque, quùm sola bona sint quæ honesta. Sequitur etiam dolorem qui ad animum non pertinet, in malis non esse, sapientemque in tormentis esse beatum.

* Sapientem autem suum dicebant esse severum, à negotiis abstinere, non peccare, non dubitare, non falli

neque fallere, non dolere, non misereri, non esse benignum, solum esse liberum, nobilem et ingenuum, regem, gerendo magistratui idoneum, solum non esse exulem, rusticum, ingratum, inconstantem, aliaque his similia paradoxa prædicabant. Justè et sapienter ac cum ratione sapiens se e vitâ propriis manibus aliquandò educit; nec hoc tantum in necessitate ultimâ facit, sed quùm primùm illi cœperit suspecta esse fortuna.

* Ex his concludendum est systema Stoicorum de moribus attinere ad eam speciem systematum, quæ notionem utilis tollunt ut unam servent notionem recti et honesti; sicque eos directè oppositos esse Epicureis et cæteris philosophis qui econtrà recti et honesti notionem tollunt et unum bonum agnoscant, nempè utile. Quùm verò ex utrâque parte negetur utilis et honesti discrimen, fieri potest ut, quamvìs planè inter se sint oppositi, in plurimis tamen consectariis concordes inveniantur. Sic, quamvìs facie admodùm severa sit Stoicorum disciplina, non immeritò creduntur multo mitiores fuisse in agendo quàm phalerata eorum verba indicare videntur.

* § X. *Fichteus.* Exposuimus in Theodiceâ quisnam sit autotheismus hujus auctoris. Postquàm negavit mundi exterioris existentiam, cujus loco non nisi vacua phænomena relinquit, nititur ut ope conscientiæ moralis comprobet non realem modò ejusdem mundi physici et sensibilis existentiam; sed et existentiam mundi alterius intelligibilis à mundo physico independentis, huicque superioris; demùmque possibilitatem actus nostros referendi ad finem posteà obtinendum. Ex ideâ libertatis, suo sensu intellectæ, concludit officium in eo esse positum, quòd conscientiæ morali parendum sit, virtutem verò in eo quòd secundùm naturam agatur. Eo quòd

adsunt officia lexque moralis, sequitur existere ordinem moralem. Agens, officium adimplere conando, tendit ad alterum mundum, nempè mundum ordinis moralis, in quo summum bonum per virtutem obtinetur. Summum bonum non est beatitudo quæ nec existit, nec existere potest.

* Non expendemus an ope conscientiæ moralis Fichte possit restituere quæcumque anteà negaverat; quod autem ad præsentem scopum attinet, notabimus eum à virtute excludere beatitudinem, ut ex superiùs dictis liquet. Deindè agens ille, de quo locuti sumus, non est nisi ipse *ego* quem ens esse unicum et universale contendit hic autotheista. De Deo autem quem in præsenti loco admittere videtur, et quem idem esse docet ac ordinem moralem, ità sentit ut immeritò crederetur reverà admisisse Deum quem anteà negaverat. Deus enim ille est ens abstractum et ordo moralis; non autem ens aliquod speciale, ordinisque moralis causa. Docet enim 1° Deo non posse tribui intelligentiam et personalitatem, nisi fiat ens finitum nobisque simile. 2° Superstitiosum esse, Deique notioni contradictorium, hunc habere tanquàm substantiam quamdam distinctam; eo quòd substantia sit ens sensibile in spatio et tempore existens. 3° Deo tribui non posse existentiam quæ non competit nisi entibus sensibilitate præditis. 4° Nihil adhùc rationi consentaneum dictum fuisse de modo quo intelligendum sit mundum fuisse à Deo creatum. 5° Inanem esse et cassam beatitudinis exspectationem. Deum conceptum tanquàm beatitudinis largitorem vanum esse cupiditatum nostrarum commentum.

* Ex his patet haud immeritò hunc auctorem sibi athei famam conciliâsse. Equidem paulò sententiam aut sal-

tem loquendi modum de Deo posteà immutavit : at incompleta correctio id tantùm probat quòd adeò absurda esset paradoxumque saperet opinio hujus auctoris, ut huic ipse stare nequiverit.

* § XI. *Philosophi hodierni scholæ gallicæ generatim.* Multa apud nos ex philosophorum Germanorum placitis invecta sunt sophismata, ut jam notavimus, præsertim in Theodiceâ. Ad nos inter cætera transiit istud Fichtei paradoxum, felicitatem scilicet ne existere quidem posse, unicum esse bonum, nempè virtutem. Ex quo occasionem nacti sunt quidam docendi non solùm actus directos ad felicitatem consequendam morali bonitate carere, verùm et ipsos esse malos moraliter, tanquàm pravitate egoismi vitiatos. Ita auctor libri cujusdam cui titulus : *Essai sur les bases et les développements de la moralité.* Huic sententiæ vicina docuerunt plures eorum qui sive in academiis, sive in collegiis Universitatis gallicæ præcepta philosophiæ explanant. Non eò tamen progrediuntur omnes. Doctrina autem Universitatis gallicæ consonat generatim cum doctrina domini Jouffroy nunc exponendâ.

* § XII. *Th. Jouffroy. Quid in eo laudandum.* Hic auctor, à paucis annis fato functus, edidit opus cui titulus : *Cours de droit naturel,* tribus voluminibus exaratum, quorum ultimum post ejus mortem typis mandatum fuit. In eo opere multa eximia inveniuntur. Nempè probè confutat omnia systemata eorum qui legem moralem tollunt, admittendo aut necessitatem, aut pantheismum, aut scepticismum; tum pariter systemata eorum qui ex utilitate aut ex aliquo instinctu sensibilitatis, non verò ex ratione et essentiâ rerum boni et mali moralis discrimen repetunt; imò et systemata quorumdam philosophorum qui,

licèt discrimen illud ex ratione ducant, aliquâ tamen parte reprehensioni ansam præbent. Egregiè deindè probat virtutem in eo consistere quòd homo actus suos referat ad finem suum : finem autem hominis includi in fine totius universi : finemque tum hominis, tum universi esse bonum absolutum, ordinem absolutum, Deum ipsum; Deus enim creationem referre non potuit ad finem ab ordine, à bono absoluto, à se ipso distinctum. Hominem cognoscere posse quis sit finis suus, et ideò eum posse moraliter agere. Multa tum exteriùs, tum interiùs fini suo adversantia superanda huic esse, dùm his in terris versatur. Virtuti aliquandò conjungendam esse perfectam beatitudinem, id est, omnia naturæ desideria tandem implenda esse. Quùm autem in vitâ præsenti adsit lucta, beatitudoque virtuti non conjungatur, hinc certam evadere alterius vitæ existentiam. Hæc omnia dilucidis firmisque rationibus optimè comprobat. Multùm itaque dolendum est quòd maternam fidem pietatemque juvenilis ætatis in cæteris deseruerit vir ille ingenii præstantiâ et luciditate in dicendo conspicuus : plura enim in eodem opere falsa, impia et à dogmatibus catholicis valdè aliena deprehenduntur, quæ nunc breviter exponenda confutandaque sunt.

* § XIII. *Quid in eo reprehendendum sit.* Hæc nobis in ejusdem auctoris opere præsertim reprehendenda videntur. 1° Quòd pœnas æternas, sin formaliter neget, at saltem fidem ipsis dubiam adhibeat, videaturque earum loco diversas probationes admittere, quibus tandem purganda erit anima improborum, et, iis absolutis, beatitudine potitura est. Doctrina hæc dogmati catholico apertè adversatur. Attamen fateor pœnarum æternitatem non posse ope rationis solius probari; rationemque solam

ostendere tantùm quòd æternitas pœnarum divinis attributis non repugnet.

* 2° Quòd ascetismum Christianorum, sub nomine mysticismi, malâ fide exhibeat, in quintâ lectione, velut omnes facultates humanas ad nihilum redigentem absurdumque, et quietismo Indorum similem. De hoc superiùs egimus, ubi de quietismo.

* 3° Quòd agens de scepticismo ætatis hujus, in lectione decimâ, de religione christianâ loquatur tanquàm de opinione humanâ, in quâ, inter multas veritates, non pauca adsunt falsa quæ emendanda sunt. Quòd doceat hanc religionem saltem à temporibus Lutheri acriter impugnatam, exstinctam funditùsque deletam fuisse à philosophis, decurrente seculo decimo octavo. Nunc animos fide dogmatibusque indigere, religionem novam appetere, nusquàm verò novum dogma apparere, nec sperandum quòd citò appareat. Non ad pristinam fidem redeundum, non de ratione humanâ desperandum; sed patienter sedatoque animo exspectandum esse donec nova oriatur religio. Mille saltem annos effluxisse ex quo à Thaletis tempore polytheismus in dubium revocari incepit, donec religio christiana perfectè constituta foret; non igitur mirùm quòd exspectandum sit donec plura effluxerint secula antequàm religio nova inventa fuerit, et in locum veteris dogmatis suffecta; interdùm autem singulos debere placido animo esse, res, prout eveniunt, accipere, agendique rationem quàm optimè instituere. Porrò quis non videat quantùm in his impietatis simulque falsitatis et dementiæ adsit? Impietatis quidem et falsitatis, quùm religio christiana traducatur tanquàm opinio humana in quâ plurimi sunt errores, jamque devicta et penitùs ex omnium mentibus sublata. Dementiæ, quùm animos fidem

esurientes à veritate christianâ avertat, remittatque gravissimi humanæ destinationis problematis solutionem post plura secula, interdùmque nobis vivendum moriendumque sit inter dubia de verâ religione, de pœnarum æternitate, etc. Numquid divina Providentia potest hominem relinquere adeò rerum tanti ponderis ignarum? At saltem id notatu dignum est, quòd tandem philosophica impietas suam inscitiam, suam inopiam, suumque nihilum planè confiteri coacta fuerit.

* 4° Quòd ex ejus placitis sequatur eum qui mercedem æternam aut pœnarum alterius vitæ fugam directè intendit inter agendum, equidem non peccare, sed actum ejus saltem bonitate morali carere; non enim, ut mihi videor, ab ejus mente alienus sum, quùm id ei tribuo. Porrò bona sunt æternæ mercedis spes pœnarumque æternarum metus, et à Christo catholicisque scriptis et adhortationibus sæpè sæpiùs commendata. Eorum præterea bonitatem moralem comprobat ratio, ut in parte secundâ hujus Ethicæ demonstravimus.

* 5° Quòd doceat virtutis essentiam esse ut secundùm naturam vivamus. Hoc autem effatum intelligendum non est de naturâ rationali tantùm, sed et de naturâ nostrâ sensibili : quod quidem verum esset, si natura vitiata non fuisset, sed, quùm natura nostra non recta sit, dictum hujus auctoris falsum est; ducit enim ad consectaria absurda contradictoriaque doctrinæ quam posteà idem auctor subjungit. 1° Quidem ad absurda ducit consectaria : ex eo enim principio sequeretur libidinibus aliisque vitiis indulgendum esse, quùm ipso naturæ sensibilis impetu in libidines vitiaque plurima erumpamus. Nec alio principio Cyrenaici, Epicurei, Cynici Stoicique et alii usi sunt ut perversa ethicæ suæ præcepta statuerent. 3° Sibi

ipsi posteà contradicit; paulò post enim agnoscit luctandum esse homini adversùs causas non externas modò, sed et adversùs causas internas fini nostro reluctantes. Sed, si naturam sequi debemus, cur ergò ipsi obsistendum est?

* 6° Quòd peccatum originale, licèt non ipsis verbis, apertè tamen neget. « La vie présente (in quâ scilicet « perpetua adest lucta), la vie présente n'est donc pas un « accident; la vie présente était nécessaire; elle n'est pas « seulement expliquée, elle est complétement justifiée. » (*Cours de droit naturel,* t. III, p. 177.) Nempè contendit luctam hominis adversùs causas externas et causas internas quæ ipsum à fine suo prosequendo retrahunt, esse naturalem necessariamque hominis conditionem, tum ut liber sit, tum ut adsit bonitas moralis in actibus nostris, tum ut beatutidinis simus conscii, tum denique ut adsit meritum : quod si verum esset, facultatum nostrarum inordinatio quam peccato originali dogma catholicum tribuit, ipsi reverà non foret adscribenda. At non valent argumenta quæ ab eo afferuntur. 1° Quidem falsum est hominem non fore liberum nisi adesset lucta. Nam in eo consistit libertatis essentia, quòd homo possit omittere bonum quod agit, perpetrare autem malum à quo abstinet. Sed ad id lucta necessaria non est. Numquid vir probus qui nunquàm ad furandum se sentit inclinatum, ideò non liberè à furando abstinet? At verò si lucta necessaria esset, maximè ob eam rationem quam affert auctor ille, quòd, sublatâ luctâ, homo non esset libertatis suæ conscius : porrò hæc ratio nihil valet; homo enim intellectu solo cognoscere potest se esse liberum, potest et illud cognoscere ope conscientiæ, seclusâ luctâ. Nonne vir ille probus sibi conscius est se posse furari si vellet, quam-

vis nullo modo sese in furtum inclinatum esse sentiat? 2° Falsum est non adfore bonitatem moralem in humanis actibus, nisi homo luctandum haberet. Adest enim bonitas moralis, etiam ex confesso auctoris quem impugnamus, quotiès actus hominis liber est ordinique consentaneus et ad eum directus. Porrò hæc omnia inveniri possunt, licèt absque luctâ impleatur officium. Sit pater optimus qui in natos beneficia confert, impellente, nedùm retrahente naturâ, hic liber est; posset enim beneficia hæc non conferre, si vellet : actus ejus ordini consentaneus est; consentaneum enim est ordini quòd pater in natos conferat beneficia : nihil demùm obstat quin officium implendum explicitè intendat, si cui videatur non sufficere intentionem in consideratione ordinis implicitam. 3° Falsum est nos absque luctâ conscios non fore beatitudinis nostræ. Inquit namque auctor ille nos quidem posse esse felices, non verò felicitatis conscios, nisi aliquid infelicitatis experiamur. Porrò hoc est absurdum. Felicitatis enim nostræ ipso felicitatis sensu conscii sumus. Numquid ille qui beatitudine perfectâ fruitur, qui nullum unquàm dolorem expertus est, non eo ipso se beatum esse noscit, quòd se beatum esse conscius est? 4° Falsum est demùm luctam necessariam esse ut adsit meritum. Meriti enim notio includit tantùm ideam officii liberè adimpleti, nec quidquam ampliùs. Equidem meritum vulgò adauget lucta. Undè autem magis meriti adesse creditur quandò post luctam difficilem homo bonum operatus est? Nempè eò quòd bonum egisse eum cum vehementiori voluntatis studio ostendunt ejus conatus. Concipitur autem aliquem voluntate valenti præditum posse in bonum ferri non minori studio et ardore, etiamsi lucta non adforet. Inclinationes igitur perversæ quæ virtuti adversantur, sunt tantùm oc-

casio majoris meriti obtinendi, sunt et meriti probatio; sed illud non constituunt : meriti autem gradus ex affectu majori vel minori quo voluntas humana in bonum fertur, æstimandus est. 5° Si allegata ab auctore absolutè, ut reverà ego opinor, intelligenda essent, sequeretur Deum pariter nec liberum fuisse in operibus ad extrà, nec eum beatum esse; in eo enim non potest supponi lucta. Deus libertate ad intrà caret, non potest bonum morale operari, non potest meritum obtinere, non equidem eò quòd in eo lucta non adest, sed eò quòd, quùm sit ens necessarium, non potest ad intrà liberum esse; quùm sit perfectissimum, non habet libertatem malum operandi, et ideò nec bonitatem moralem, nec meritum obtinere potest, quamvis optima sint omnia ejus opera. Prætereà nihil bonitatis novæ, nihil meriti acquirere potest qui est à naturâ suâ perfectissimus. 6° Luctæ necessitas, ut jam superiùs notavimus, contradicit principio quod primùm posuit ille auctor, quòd nempè virtus in eo sita sit ut secundùm naturam vivamus.

CAPUT III.

* DE VERO ETHICÆ SYSTEMATE, SIVE DE ETHICA CHRISTIANA.

* § I. Hujusce capitis scopus. — * § II. Dogmata quibus innititur ethica christiana. — * § III. Ethica generalis. — * § IV. Ethica specialis. — * § V. Ethicæ christianæ effectus. — * § VI. De doctrinâ Socratis. — * § VII. Conclusio.

* § I. *Hujusce capitis scopus.* Magis nota est ethica christiana quàm ut necesse sit aut historiam divini ejus institutoris texere, aut singula ejus præcepta ob oculos

ponere. Opportunum autem judicavimus summatim brevique spatio complectere quæ præcipua sunt, ut, comparatione institutâ cum variis systematibus hucusquè expositis, pateat quantò præsit divina sapientia sapientiæ hominum.

* § II. *Dogmata quibus innititur ethica christiana.* Alia Deum spectant, alia spectant hominem.

* 1° Quoad Deum, agnoscitur unicus, incorporeus, à mundo visibili distinctus, sanctus, verax, summè perfectus, omnipotens, creator, omniscius, providus, benignus, beneficus, virtutis remunerator criminisque ultor æquissimus. Nonne autem hæc opinio de Deo rationi est omninò consentanea? Nonne hæc Ethicæ præstat firmius stabiliusque fundamentum quàm opiniones Scepticorum, Atheorum, Pantheistarum, Deistarum eorumque omnium quibus id præsertim displicet quòd Deus existat criminum judex æternusque ultor?

* 2° Quoad hominem, creditur genus esse Dei, ad ejus imaginem creatus, animâ spiritali et à corpore materiâque distinctâ præditus, ad æternam beatitudinem quæ legitima sit virtutis merces, destinatus, liber, sui potens, lapsus, nascensque à pristino sublimiorique statu dejectus, casu fractus, naturâ vitiatus protoparentis culpâ : misericordiâ autem factoris sui erectus, à Christo Domino redemptus, in pristinis juribus restitutus; debilitatem autem, libidines, cupiditatesque malas, utpotè peccato originali saucius, intra se gerens, ita tamen ut nunquàm patiatur Deus *illum tentari supra id quod potest.* (*Primâ ad Cor.* c. x, v. 13.)

* Non omnia hæc docet ratio, sed fides. Quamvis autem captum humani ingenii superet peccatum originale, recta tamen ratio agnoscit illud valdè credibile esse, quùm

attenditur quot et quantæ perturbationes adsint in facultatibus humanæ mentis. Quibus factum est ut homo visus fuerit ænigma esse impenetrabileque mysterium cuilibet rem attentiùs consideranti. Præcipuum autem id esse debet quùm præscribenda sunt morum præcepta. Quùm enim homo sit veluti duplex, partìm bonus, partìm malus, quænam regula morum statuetur? Num dicetur ipsi sequendam esse naturam? En statìm, januâ apertâ, irruunt libidines, cupiditates, flagitia, scelera, ut ex historiâ philosophicâ constat. Num dicetur ipsi sequendam non esse naturam? Cur autem non sequenda erit natura, si vitiata non est? Si autem vitiata est, à quo irrependi occasionem accepit vitium? Numquid homo pollutus egredi potuit ex fabricâ auctoris optimi et sanctissimi? Si natura sequenda non est, quænam ergò hujus loco alia supponetur regula? Qui hominis pravas inclinationes debilitatemque ejus ad operandum bonum considerabit tantùmmodo, adeò eum infirmum inveniet ut unquàm eum sanari et ad meliorem frugem reduci posse desperet. Qui econtrà attendet ad vestigia pristinæ bonitatis quæ multa in eodem supersunt, ipsum nimiùm extollet, elatumque in superbiam conjiciet. Undè mihi videtur omninò impossibile esse quòd rectæ tradantur morum regulæ, nisi loco principii ponatur hominem vitiatum esse. Hinc nullum usque adhùc systema proposuit Ethicam ex omni parte irreprehensibilem, secluso peccati originalis dogmate, ut ex historiâ constat : dùm econtrà regulæ morum quas tradit religio christiana, inveniuntur facultatibus humanis apprimè accommodatæ.

* § III. *Ethica generalis*. De Ethicâ generali docet christiana religio boni et mali moralis discrimen repetendum esse ex ratione et essentiâ rerum : vidimus autem

hanc esse veram officiorum rationem. Multùm autem abest quin christiana religio existimet felicitatem non aliquandò conjungendam esse virtuti, quùm econtrà nil elatiori voce inclamet, quàm tollendos ad cœlum oculos, conscipiendamque esse æternam et superantem omnem modum beatitudinem quæ post fata virtutem manet. Imò docet benè moraliter agere eum qui mercedem directè appetit. Reverà spes mercedis, tanquàm mercedis, includit intentionem implendi officii ex quâ bonitatem moralem actus accipit, ut ostendimus in secundâ parte hujusce Ethicæ.

* Docet etiam christiana religio æterna fore impiorum supplicia, quòd quidem dogma plurimos à peccato retrahit et ad virtutes sectandas feliciter incitat. Equidem ratio demonstrare non potest illud dogma, at diluere valet quæ contra illud objiciunt increduli. Porrò, sublato hoc dogmate, non aderit legibus moralibus sanctio satis gravis ut homines à vitiis deterreri possint, historiâ teste.

* § IV. *Ethica specialis.* Deum venerandum esse tanquàm omnium creatorem et Dominum, deprecandum tanquàm omnis boni fontem et largitorem, maximè verò diligendum esse filiali affectu tanquàm patrem optimum, et pro delictis pœnitentiâ propitiandum. Ipsi persolvendum esse cultum internum, externum et publicum. Quid autem magis consentaneum rectæ rationi?

* Erga nos, curam prudenter gerendam esse tum animæ, tum corporis, in omnibus autem temperamento utendum.

* Diligendos esse cæteros homines tanquàm nos ipsos, illos naturâ pares fratresque habendos, pacem et concordiam cum ipsis, quantùm fieri potest, esse servandam, ignoscendum inimicis, miserendum, benefaciendum omnibus, obsequendum cuilibet potestatem habenti, pu-

blicum bonum privato semper anteponendum, solvenda tributa, reddendaque Cæsari quæ sunt Cæsaris. Num excogitari potest doctrina quæ sit felicitati tum privatæ, tum publicæ afferendæ magis accommodata?

* § V. *Ethicæ christianæ effectus.* Quemadmodùm autem arbor ex fructibus dignoscitur, ita et ex effectibus pensandum est quid valeat christianæ religionis ethica. Dùm philosophi increduli, ut Th. Jouffroy, confiteri coguntur philosophiam irreligiosam cujus effectus adaugent, potentem esse tantùm ad destruendum, ad ædificandum imparem, dubium in animos invehere, non lucem, non veritatis esuriem satiare; homines destinationis suæ cultùsque Deo persolvendi inscios, irrequietos, intùs agitatos relinquere, firmum humanæ societati fundamentum non præstare, totque inter ruinas unicum malis solatium superesse, patientiam, exspectationem per plura secula productam, quis non videat philosophiæ secularis inanitatem fallacesque nugas, et ex eâ undique oriri mala, remedia neutiquàm? Econtrà religio christiana omnibus humani generis infirmitatibus doloribusque aptam attulit medicinam. Qùùmque genus hominum mille erroribus deceptum, vitiis corruptum penèque malis enectum invenisset, erexit penitùsque illud renovavit, privatorum mores restituit, societatem firmavit, barbaros populos ad vitam civilem duxit, omne genus scientiarum provexit, hominumque cujuslibet ordinis conditionem tum physicam, tum moralem, meliorem in dies effecit. Ubi philosophia incredulorum, ibi sterilitas, ibi tenebræ, ibi dubium, ibi mors, ibi nihilum. Ubi econtrà philosophia christiana, ibi lux, ibi veritas, ibi vita, ibi fructus exquisiti et uberrimi. *A fructibus* igitur *eorum cognoscetis eos.* (*Matth.* c. 7, v. 16.)

* § VI. *De doctrinâ Socratis.* Nobis de systematibus philosophicis circa Ethicam agentibus, prætermittenda non est Socratis doctrina de moribus : quæ autem Socratis vitam et mortem spectant omittemus. Pernotum enim est omnibus Socratem Sophronisci sculptoris filium, philosophorum celeberrimum, multos sermones habuisse de moribus, ipsumque Sophistarum præsertim invidiâ damnatum, cicutam bibisse, anno ante Christum natum 400. Videatur comparatio à J. J. Russæo instituta inter vitam mortemque Socratis et Domini Nostri Jesu-Christi.

* Doctrinam moralem adinvenisse perhibetur Socrates : ut autem veriùs loquamur, Philosophiam ab incertâ consideratione naturæ et à vesanis systematibus Physicorum quæ hominem meliorem non efficiebant, aut à fallacibus Sophistarum cavillationibus revocavit, ut illam ad informationem morum converteret. Quod ut consequeretur, homines ad intimam sui considerationem hortari solebat, hoc delphici Apollinis templi epigramma velut omnium suorum documentorum compendium prædicans : γνῶθι σεαυτόν. Reverà intimis animis Deus regulam moralem inscripsit; hanc autem ità obscurârunt libidines, ut vix possit integra ab ipsis præstantissimis ingeniis agnosci. Et ipse Socrates in pluribus non parvi momenti punctis offendit, ut ex sequentibus liquet.

* Circa Deum cultumque ei exhibendum versantur præcipui Socratis errores. Videtur quidem numen supremum et providum admisisse, ipsique perspecta fuit fabularum poeticarum de diis inanitas. Huic tamen congruunt quæ S. Paulus generatim philosophis ethnicis exprobrat, de quibus ait : *Quia quùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* (*Rom.* c. 1, v. 21.) Ipse namque inferioris ordinis admittebat numina cultumque his exhi-

bendum esse docebat : quin et ipse non solùm in solemnitatibus publicis Atheniensium diis litabat et more patrio offerebat sacrificia, verùm etiam eosdem cultu privato excolebat, quanquàm compertam habebat falsitatem eorum quæ de diis suis narrabant Atheniensium sacerdotes : sed docebat observandum esse cultum loci in quo quisque degebat. Nec vivus tantùm pagano cultui addictum se præbuit, sed, jam absorptâ cicutâ et proximâ morte imminente, præsentes amicos monuit ut gallum Æsculapio immolarent. Artem quoque divinatoriam admittebat. Ipse sibi assistere genium à quo monita sæpè accipiebat, constanter et publicè declaravit.

* Animam corporibus superstitem fore agnoscebat : sed huic opinioni non firmiter omninò stetit, plurièsque animum de futurâ hominis destinatione dubium invasit.

* Quùm Socrates scriptis non fuerit usus, imperfectè tantùm cognoscimus ejus præcepta. Optimas et præclaras persæpè de moribus informandis sententias emisit. Dubia autem gravia supersunt de iis quæ de castitate docuit, gravioraque de quibusdam turpissimis criminibus quæ ipsi objiciuntur et à quibus memoriam ejus absolvere meritò conantur philosophiæ profanæ laudatores : an feliciter? Hic etiam ab arrogantiâ alienum se non ostendit, præcipuè quùm staret coram judicibus.

* Ex præcedenti expositione manifestum est Socratem non posse magis Christo Domino ratione doctrinæ quàm ratione vitæ et necis æquiparari, dicereque pari veritate possumus : si doctrina Socratis sapientis est doctrina, hominis tamen doctrina est; Christiana, Dei doctrina est.

* § VII. *Conclusio.* Ex institutâ comparatione inter philosophorum qui se rationem solam sequi jactitant, systemata et religionis christianæ documenta, hujus intel-

ligite, amici lectores, veritatem atque præstantiam. Semper aliquâ parte sese prodit error. Quùm verò ingens quoddam invenitur systema dogmatum præceptorumque legitimo nexu inter se conjunctorum, humanis facultatibus apprimè accommodatum, sapienter temperatum, ad morum integritatem sanctitatemque vitæ homines ducens, in eo certissimum veritatis indicium profectò agnoscitis. Quinimò si attendatur omnia philosophorum systemata qui religionem revelatam aut ignorârunt, aut facem ejus respuerunt, plurimis erroribus, insaniis deliramentisque deturpasse sublimem numinis supremi ideam, nil certi de futurâ hominum destinatione docuisse, morum corruptionem præceptis suis fovisse, et in dubium inextricabile hæsisse de iis quorum cognitio maximi est momenti, nullam inter se concordiam habuisse, mutationi perpetuæ, pro magistrorum temporumque varietate, obnoxia fuisse, dùm econtrà in religione christianâ animadvertuntur sana doctrina de Deo, de mente humanâ, de regulâ morum, unitas perpetuitasque et sanctitas tum dogmatum, tum præceptorum de moribus, tunc iterùm patet huic competere veritatem. Versipellis est error; veritas una eademque semper manet. Sed eodem indicio proditur christianæ religionis divinitas; historiâ enim teste, debilior est humana ratio quàm ut potuerit excogitare, tueri, integrumque tandiù servare, tam amplum systema, dogmataque et præcepta adeò cupiditatibus adversantia. Donum Dei pretiosissimum est revelatio christiana, necessariumque infirmæ hominum rationi supplementum benigniter adjectum. His addamus internam animi pacem, conscientiæ securitatem, gaudium, spem bonam quam secum indubitata fides menti nostræ ingerit. Quid verò, si, præter omnia hæc præjudicia in gratiam

religionis christianæ, monumenta historica suppeditent insuper invicta argumenta hanc à Deo reverà institutam fuisse?

* Hoc igitur unum superest, ut religioni christianæ firmam adjiciamus fidem, moresque nostros secundùm ejus præcepta informare omni ope atque operâ enitamur. Jesum autem Christum Dominum nostrum divinumque religionis nostræ institutorem enixè deprecemur ut nos à se nunquàm separari permittat, mentem intùs illustret, gratiâ suâ adjuvet, nosque ad æternam salutem feliciter perducat. O veritas Deus, ô Jesu, præceptor dulcissime, unica spes animæ meæ, institutor et rector juventutis meæ, fac me tecum unum in caritate perpetuâ, tibique et sanctæ tuæ Ecclesiæ omninò deditum atque mancipatum.

L. J. C.

FINIS ETHICÆ.

INDEX

TOMI TERTII.